LYCEVM

LATERANENSE

ABBATIS ROSINI.



LYCEVM
LATERANENSE
ILLVSTRIVM SCRIPTORVM
SACRI APOSTOLICI ORDINIS

Clericorum Canonicorum Regularium

SALVATORIS LATERANENSIS
E L O G I A.

CELSO DE ROSINIS CAESENATE

Eiusdem Instituti Doctore Theologo, & Abbate

AVCTORE.

LIBRIS VIGINTI AD FACILIOREM ORDINEM DIGESTA.

In quibus eorum Opera edita recensentur, editionesq; Notantur:

Et quæ Manuscripta integra reliquerunt, in quibus nam Bibliothecis asseruentur adducitur.

Cum Quadruplici Indice Auctorum, Nationum, Operum, & Librorum Sacræ Scripturæ explicatorum.

Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum: & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. 1. Machab. cap. 2.

TOMVS PRIMVS.






CÆSENÆ M. DC. IL.

EX TYPOGRAPHIA NERII.

DE CONSENSV SVPERIORVM.

SANCTISSIMÆ TRINITATI
VNI DEO
PATRI, FILIO, ET SPIRITVI SANCTO.







OLIOR (Adoranda, & in æternum colenda Summa, & Vna Trinitas) viginti huiusce Lateranensis Lycei libris, quasi vicenaria ex aula, promere doctos illos, religiosósq; viros humiles seruulos tuos laurea redimitos Regulares Canonicos, quos ab Reformationis beneficio sanctissimo tuo Frigdionariç vniuerso Dogmati prestito ad hos vsque dies floruisse, & calami tributo frugiferos Ecclesiç Sanctç tuæ, posteritatiq; esse tribuisti. Quam exigui valeam, quamue vilis ipse sim, pretij ad id prestandum, *Domine, probasti me, & cognouisti me. Tu qui instè probat renes, & corda* Tu, *Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam*, quantus sederim in incubando, inque fouendo eo: quantus assurrexerim in educendo pullo exiguo, fœtu inconditio, & incompto. Quoniam *Intellexisti cogitationes meas de longè semitam, & funiculum meum inuestigasti*; ad quem vtique finem direxerim illud, quo scopo vsus sim, quibus medijs, per quos ambulauerim tramites, quam adhibuerim mensuram in illo concinnando, à summo Cælo tuo, ab æternitatis immensitate, cui præsentia sunt vniuersa, tu benè nosti. *Tu omnes vias meas præuidisti, quia non est sermo in lingua mea*. Me aptis, conuenientibusq; dicendi formis carentem, ijsq; legitimis illis, quas digni præcones tui terrere solent, inceptum ab adolescentia possedisti. Operi autem perficiundo præteritorum temporum, gestorumque actuum notitiam, quæ me omninò præteriret circa postrema hæc sæculi sçcula scribentem, in primis esse necessariam supponendum erat. Omnipotenti igitur misericordiæ manu tua deducendum me, deductumque, atque dextera firmandum nec non & firmatum ab exordio speraui, in præsens ue spero. Dubius tamen, & anxius Dixi *Forsitan tenebræ conculcabunt me*: conscius videlicet exilitatis meæ, & quanti referret opus aggredi præ viribus grande. Sed statim subiere, & subeunt annexa Regij Psaltis tui verba, *Et nox illuminatio mea in delicijs meis*. Quod nempe si caligine temporum offusa omnia, altoq; obuoluta silentio, & nubium obliuionis obtecta inuolucris reperijssem, illud ipsum acceptum mihi, quin & in delicijs esse debuisset. Cum enim tuo Diuino sacrandum Opus nomini in animum à prima vsq; induxerim literula, teq; maioremq; gloriam tuam vt finem idearim primo intentum agnoui; *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur*. Tu enim ille ipse es, Deus meus, cui tenebræ obscurari nequeunt; sed sub diuino conspectu tuo esse desinentes in prçclarissimam transeunt lucem, & noctes debilitatis alienæ, te volente, in illuminationem transmutantur lucidissimam; adeo quod subinferre possim in Operis animositatem, *Et sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*: quod illud idem est, cui Gentium Magister Apostolus tuus electionis vas adstipulatus est, *Vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia*: idest quò vberiores erant telæ huius contexendæ nodi, tenuioraq; stamina; eò maiora fuere diuinæ virtutis tuæ in me surrigendo subsidia, *Quia tu possedisti renes meos* illuminasti mentem, confirmasti corda, direxisti calamum, manum brachiumq; roborasti. *Suscepisti me de vtero matris meę*, qui mihi cineri, mihi nihilo ab infecię conceptionis, ab abiectæ natiuitatis mearum tempore, & deinceps, vt tibi immenso sub hoc Canonico Apo

ſtolico Inſtituto tuo inſeruirem ſummè beneficus, ſummè miſericors elargitus eſt. Hinc & propter hoc, & ob cætera cuncta tua. *Confitebor, tibi, quia terribiliter magnificatus es*: & quoniam *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis*: Nimio illo, quod ſummum eſt. Ita verò fieri & eſſe fiendum tu ſolus benè noſti, Cui omne cor patet, & omnis lingua loquitur, quia *Non eſt occultatum os meum à te*, Sum enim tibi intus, & in cutè, de facie, de cordeq; notus; licet cor meum illud ſit *Quod feciſti in occulto*; Quod reliquis creaturis incrutabile, impenetrabile, inacceſſum eſſe voluiſti; & licet ſit, *Subſtantia mea in inferioribus terræ*, hoc eſt in ipſo exiguitatis, debilitatis, nihilitatiſq; centro. Quare probè te docente noſco, quoniam *Imperfectum meum viderunt oculi tui* Imperfectum malitiæ meæ nunquam ſufficienter deteſtabilis, nunquam & ſatis deteſtatæ: Imperfectum ignorantiæ meæ, & cuiuſque veri ſcibilis, & cuiuſque boni operabilis. Imperfectum longè, latèq; diffuſum Operis huius mihi quidem mei ipſius conſcio pluris cognitum; ſed non plenè, ſed non ſatis. Suppetijt tamen te iuuante, te inſpirante, te illuminante, quoniam iſti omnes, de quibus pertractare conabar, & de quibus iam hoc loci pertractaſſe dediſti, *In libro tuo omnes ſcribentur*, in libro ſcientiæ, notitięq; diuiniſſimæ tuæ, in libro tuo etiam iſto, tuo Numini, & Nomini ſupernectabili nuncupato; quandoquidem *Dies formabuntur & nemo in eis* Venient vtique dies (ſicut & tales præceſſere) in quibus nemo laboret, vt poſteritati tranſmittantur ij, qui in anteacta tempora operarij jn vineam tuam pondus portauere diei, & æſtus. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. Tu feciſti, honor verus, confortatio vera, animo impreſſiſti meo, præcordijs meæ inſtillaſti mentis, vt amicos tuos, mancipia tua iſta in honorem haberem, de illorum laboribus honeſta conciperem, de lucubrationibus proba ſentirem. Tu feciſti, vt de eorum principatione, de eorum gubernio, œconomia, politicis, moralibus, religioſiſq; actionibus in puſillo grege tuo Lateranenſi præſtitis digna ſentirem, vt penè antiquata aſſequerer, & vt velut obſoleta reuiuiſcere facerem. Concepi igitur, atque dixi *Dinumerabo eos & ſuper arenam multiplicabuntur*: Tantum dediſti fibris meis fiduciæ, tantum ſpei animis impreſſiſti de miſerationibus tuis maximis; vt eos, quos vix ſupra ducentos Lyceo recenſui in iſto, in ſequentia tempora augendos ad numeros cenſuerim innumeros, iſtis etiam aliquando ad maiorem tui nominis gloriam ſuperaddendos; tunc videlicet quando meliorum æmulatione charismatum ſucceſſuri nepotes, ventueaq; ſera poſteritas enitetur viriliter, ne ſibi dictum ſiet, *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Sed à mane ſummo ad veſperam vſque heſperi labores manuum ſuarum manducantes beati ſint, benèq; ſit illis. O' fiat, fiat; O' amen, amen. Ego autem Domine Deus meus. *Exurexi, & adhuc ſum tecum*. Vigoris, æſtuſq; à te immiſſi ſecurus, exurgens, atq; exundans hac vna adhuc tecum ſum implorante Diuinitatem tuam Nuncupatione, hoc vno Operis exigui ſacro. Tuum eſt munus, ſi quid boni in eo attactum eſt; meum totum quod mali. Sed & malum ipſum tu bonum facere potes, ſoleſq qui melius iudicaſti De malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere. O' Domine Deus meus, miſericordia mea, liceat mihi de Lyceo hoc verè dixiſſe tibi, *Exurexi*. Fac vt planè de omnibus exuegam iniquitatibus, imperfectiſq: meis. Impera ventis crudelibus fluctuoſæ nauigationis meæ, & fac tranquillitatem i liceat & dixiſſe, *Et ſum tecum*, adhuc reliqui vitæ miſerabilis huius per gratiam, & adhuc æternitatis per gloriam. O' nimium: Sed quod ſolum poſuiſti finem noſtrum. Elogia dedi creaturis, ſeruuliſq; tuis, Concanonicis, Patribuſq; meis, vt te ſolum laudatum intelligerem, vellemue in eis, qui ſolus laudabilis, ſoluſq; verè laudandus es. *Dà, Domine, dà Virtutem, & Fortitudinem plebi tuæ, Benedictus Deus*.

Corde, ore, pectore, prouolutus cum cinere dicabam
Creaturarum tuarum abiectiſſima.
Celſus Roſinus.

FRAN-

FRANCISCO BARBERINO

EMINENTISS. PRINCIPI, ET REVERENDISS.

S. R. E. CARDINALI

Vicecancellario, & Bibliothecario,
Canonicorum Regularium Lateranensium
PROTECTORI OPTIMO.

Celsus Rosinus eiusdem Instituti Abbas F.





BTVLI (Eminentiss. Princeps, & Reuerendiss.) offeroq; humilem Fœtū hunc Lyceum Lateranense Inuisibili, sed Omniuidēti nostro, omniumq; Summo Deo, quoniam Domini est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo, *Psal. 23. Obtuli offerone*, Quoniam ipse super maria fundauit eum, *Fœtum*, & super flumina præparauit eum. *Maria, Fluminaq; appellabo (si licet) tot viros seruos eius, totq; labores, ac volumina, chartas, & attramēta fluctibus, fluxibusq; obnoxia semper, nam Aquæ multæ, populi multi*, Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas, *Ps. 20. Super quibus fundata qualis qualis hæc Lycei huius machina surgit. Nūc verò mens in ipso fiendæ oblationis aggressu, trepida iuste suggerit; Cum altus sit Deus & lucem habitans inaccessibilem*: Quis ascēdet in mōtem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? *Quis exiguum puluerem, vel multam imperfectionum saraginem throno statuet immenso, pedumq; illius pronoluet, proijciet, expandetq; scabello? Quis tantam emensurare sublimitatem, quis tantum emetiri spacij, quis immensum valebit adire cacuminis?* Certè homo compositus Deo non poterit ei respondere vnum pro mille, *Iob. 5. At at quispiam secundum cor eius cytharedus suppeditat*, Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo? *Quare si talem inuenero; adhibuisse illum interuentorem, ac veluti paracletum, studij electio erit æquissima. En Purpuratorum Patrum maxime, tibi talis procumbo, te talem accedo, te prorsus huiusmodi dulia veneror, tibi preces, vtraque effundo mea, vt sis vndus post Deum mihi fauorabilis, mihi benignus affulgeas. O' si* Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, *Ps. 90. Tu, mihi tanquam Angelus Domini, mentis meæ partum istum in manibus porta*, Ne vnquam offendat ad lapidem pedem suum. *Tibi tribus dudum factis verbis, Do, Dico, Addico illum, vt supremæ eum sistas Numinis maiestati, qui de summa* Cardinei Senatus *specula affulges cum primis; In cælesti illa Hierusalem Triumphātium Ecclesia Hierarchia Angelorum, Ordinesq; sic dispositi*

sunt

sunt, vt inferiores ab superioribus illuminentur Angelis. In terrestri hac Hierusalem Militantium Matre æquum est eundem seruare morem Prælatos eius. Tu ex supremo huius chorò quasi Seraph alter mihi creaturarum minimo, homini tamen, splēdorum tuorum portiunculas impertiri aliquas ne dedigneris. Tu innocens manibus: Tu mundo corde: Tu non accepisti in vanum animam tuam: Tu non iurasti in dolo proximo tuo. Manuum innocentia tuarum, qua sacrificator Deo accedis, notissima esse decuit vniuerso Fidelium cætui; sed illa nobis maximè innotuit Regularibus Canonicis, qui sub Protectionis tuæ clypeo positi practico quodam iure nunquam te, vel tuorum quempiam à recto deuiare tramite, nunquam Congregationi vel in minimo quoq; grauem, vel molestum fuisse nouimus, & profitemur. Innocentia manuum, quacum liberalitatis verè Regia munificentiā iuuit inopes, fouit agenos, subleuauit oppressos. Mundicia cordis donum tui, vel aspectus ipse primus proloquitur quasi interioris animæ atrium nobile, cui maiestas, decorq; adiuncta sunt in tesseram puritatis. Vaha Deus. Te in vanum non accepisse animam tuam Deus ipse innumeris in te collatis diuinæ liberalitatis muneribus commonstrauit. Quo namq; modo potuit in vanū animā accepisse suam is, qui od quinq; Olimpiadas Orbē vniuersum penè moderatus est? qui Cælestem Militantis Ecclesiæ machinam Athlantis Vrbano gloriosissimo Hercules Franciscus adiutor laborauit indefessus? Monstra hinc, itq; hinc edomita, prostrata, obtruncata hæresum, hæresi proximè accedentium, hæresimq; obsitentium Herculem te: maris indomiti Politici fluctuans bestia superata Iasonem te (verè magis) te Danidem, qui Leonem, & Vrsum, & Goliath prostrasti, te Noemum qui grande cathaclismum Numine edocente, concedente superasti, qui Columbam tandem ramum oliuæ virentibus folijs gerentem emisisti, non reuersuram assimilem te comprobant, & euincunt in vanum non accepisse animam tuam. Ehem, inueni ergo conuenienter, qui oblationem meam, Lyceum hoc, Elogia ista Triadi sistat sanctissima. Dicat autem ibi Cythæredus idem coronatus quo euentu, qua id felicitate futurum liceat ominari. Hic accipiet (inquit) benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Id (Eminentissime) illud vnum est, quod opto, quod quæro Benedicat te Deus, Deus noster, benedicat te Deus: & metuant eum omnes fines terræ Ps. 66. quia in benedictionibus tuis mihi quoque, oblationiq; meæ benedictiones datas, mihi, illiq; transfusas sperabo, & In Domino sperans nō infirmabar, Ps. 25. Misereatur nostri Omnipotens Deus, misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri Ps. 66. O' vtinam. Tunc legitimè subiunxisse tibi, mihiue dabitur cum eodem Iesseo Psalte, Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. Optimos istos Patres, Canonicam hanc Lateranensium phalangem Generationem esse liquebit quærentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob. Ex historia memorabo Seraphica (Eminentissime) sub Innocentio quondam tertio in visu ostensum esse Franciscum Diuinum illum Assisiatem Lateranensem labentem Basilicam humeris sustinentem. Innoua, Optime, innoua Fortissime, sub Innocentio Decimo veterascentem, innoua, visionem, Confortare, & esto robustus, tu enim sorte diuides populo huic terram Iosue 1. Agat illud idem nunc Barberinus Franciscus, quod Franciscus iam Moriconus egit, Pauper ille; Diaconus ille; Cardinalis hic, hic Sacerdos, agant vtriq; vtrosque circumcingente, circumplectente Deo. Decet id ex desuper tibi dispertitis ominari, sperare ne dotis. Insuper qui Vaticanum Apostolicus Bibliothecarius custodis supremo loco depositum à felicissimæ recordationis Patruo tuo Vrbano amplificatum, adauctum, Volumen istud ex vna nuncupata ab eo Sanctissima Triade benemerens in eo repone, illac illud exhibe Deo, vt demum lætus dicere queam Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Syon; quoniam confortauit seras portaarum tuarum benedi. it filijs tuis in te. Ps 147.

IN

IN LYCEVM
LATERANENSE
PROPOSITVM AVCTORIS.



GREGIOS, illustresq; viros illos Instituti Canonici, qui post reformatum Ordinem in Frigdionaria Lateranensi Congregatione Orbi vniuerso effulsere iunctim opere, verbo, scriptisq; fert animus Elogio aliquo exornare pro virium tenuitate mearum. Agnoui quippe Sancto dictante Spiritu cecinisse Dauid, In potentatibus salus dexteræ eius *ps.* 19. *Quandoquidem salutem populorum dextera Domini adauctam medijs hisce viris, & cooperatores illos excellentes, eximiosq; extitisse certò certius liquet lucubrationum eorum euidenti testimonio: atque ideo potentes illos, potentatusue ritè appellandos venire: non quidem* Potentes à sęculo viri famosi, *vt de Gigantum sobole illa dixit Chronista Moses Genes. 6. sed* Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia sua præditi; nunciantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba: in peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum, *Quod exarauit Ecclesiasticus cap.* 44. *Porrò ipse exilitatis virium mearum apprime conscius Opus aggressus sum huiusmodi sola ductus in Deum confidentia* Qui de tenebris facit lumen suum splendescere, *& qui* de lapidibus potens est suscitare filios Abrahæ *dixi enim cum Dauide*, Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua, *ps.* 138. *Præstat autem hic ante omnia typum misericordis dexteræ, omniualentisq; manus eius producere, à quo ipse fiduciæ meæ occasiones, argumentaue sumpsi, quinque quasi digitorum eius formulas distinctim exhibendo, vt vno velut intuitu mens aliena mentem assequatur meam. Est igitur*

POLLEX

Mementote Præpositorum vestorum, qui loquuti sunt vobis verbum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. *Ad Hebr. cap.* 13.

INDEX

Qui multos erudiunt ad iustitiam, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates, *Daniel.* 10.

MEDIVS

Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, atq; doctrina 1. *Timoth.* 5.

ANV-

ANVLARIS

Suadeo te emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuplex fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. *Apocal. 3.*

AVRICVLARIS

Quis mihi tribuat adiutorem, vt desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat, & in humero meo portem illum, & circundem quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi Principi offeram eum. *Iob. cap. 31.*

Horum itaque digitorum, huiusq; manus, ac dexteræ meditatione, & impulsu non leui prouinciam huiusmodi aggressus sum, quia In Domino sperans non infirmabor. *Ps. 25. Graue quippe onus subijsse ita non displicuit, vires ab eiusdem manus contemplatione toties innouans, quoties lassus in eam oculos mentis conuertisse eligerem. Non hoc loci congessisse in vnum me profiteor illorum omnium Patrum Auctorumq; nomina siue iam fato functorum, siue adhuc aura lucis huius perfruentiũ qui intrà spacium hoc postremè reformati ad Frigdionariam Canonici Ordinis lucubrationes edidere proprias, vel exactè perfectas manuscriptas reliquere in proximorum adminicula, & in proprij Instituti decus, & ornamentum. Neque item eorum etiam, quorum hic memoriam refricamus, opera omnia adduxisse credimus, quippe quæ multò plura & numero, & pondere extitisse vna omnium nostri propositi seniorum mens est, & prædicatio. Eos tantummodo exarasse exprimimus, quorum ad manus nostras deuenere euulgati Typographiæ ministerio labores, & quorum literarios vidisse fœtus contigit: adeo quod locus minime fieri debeat admirationi, & minus multò querelæ, si aliquorum hic non adsit memoria, quorum apud alios extent volumina, pleniorq; Auctorum cognitio. Vtique omnium optassemus hic contexuisse recordationem, qui Ordinis incumbebamus iustis honoribus; verum longiòr intercapedo temporum, leuidensum in hac parte maiorum nostrorum studium præpedita quondam nobis ab Epidimiæ morbo totius Congregationis, & consequenter bibliothecarum eius lustratio, dum Visitatoratu fungeremur; in huiusmodi nos impegere dithalassum. Fortè alij (nec perperam præuidisse confidimus) multò instructiores, paratioresq; dabunt à Domino* pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. *Iob. 22. Interim totius Ordinis Canonici speculum maximi Patris Aurelij Augustini profitentis Auctores compingemus, qui testimonio Calchographico operibus præluxere, quod meditamur non prorsus imparati, maturabimus opus, manumq; dare enixius petimus quotquot curæ est proprij Dogmatis profectus ad maiorem Dei, & Domini nostri honorem, & gloriam, cui soli Honor, & Gloria in sæcula.*

FA-

FACVLTAS
Perillustris, & Reuerendissimi D.
D. ALEXANDRI TROILI
ANCONITANI
Abbatis Generalis Canonicorum Regularium
Lateranensium.

VISA attestatione trium Theologorum nostræ Congregationis per nos deputatorum tenore præsentium facultatem facimus Admod. Reu. P. D. Celso Rosino Cæsenati Doctori Theologo, Abbati, & Definitori, vt Opus cudere possit adtitulatum Lyceum Lateranense Elogia Illustrium Scriptorum Canonicorum nostræ Congregationis, seruatis de iure seruandis: quin & ad meritum Obedientiæ illi accumulandum id ei iniungimus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. In nostro Collegio Sanctæ Crucis Cæsenæ Die 12. Maij 1647.

D. Alexander Troilus Abbas Generalis.

D. Petrus Cima Archipresbyt. & à Secretis.

LYceum Lateranense, seu Elogia Illustrium Scriptorum Canonicorum Regularium Lateranensium, eorumq; Fasti Generalitij à Reuerendissimo P. D. Celso Rosino Cæsenate Abbate, Definitore, Theologo, omni Scientiarum genere ornato elaboratum, ac in viginti libros distributum, de mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. Petri Bonauenturæ Cæsenæ Episcopi, nec non Reuerendissimi Patris Magistri Michaelis Saxi Generalis Prouinciæ huius Romandiolæ Inquisitoris, ego infrascriptus magno animi oblectamento vidi, & perlegi: & tanquam Opus stylo facundo, & eminenti totum Ordinem Lateranensem, Decreta, Sanctiones, Gesta, Generales, ac insigniores Patres e tenebris obliuionis ingenti labore, diligentia, dispendio, & mira suauitate ad esse, & vitam reuocans, nec quidquam contra Regulas Sacri Indicis continens, dignum vt in lucem prodeat, Typisq; mandetur, hac mea attestatione, ac manus propriæ libenti subscriptione censeo, & approbo Cæsenæ Kal. Augusti 1648.

Ego Aurelius Masinus I. V. D. & Sancti Officij Consultor.

Imprimatur

P. Episcopus Cæsenæ.

Imprimatur

Fr. Io. Dominicus de Roma Vicarius S. Officij Cæsenæ.

ANVLARIS

Suadeo te emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuplex fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. *Apocal. 3.*

AVRICVLARIS

Quis mihi tribuat adiutorem, vt desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat, & in humero meo portem illum, & circundem quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi Principi offeram eum. *Iob. cap. 31.*

Horum itaque digitorum, huiusq; manus, ac dexteræ meditatione, & impulsu non leui prouinciam huiusmodi aggressus sum, quia In Domino sperans non infirmabor. *Ps. 25. Graue quippe onus subijsse ita non displicuit, vires ab eiusdem manus contemplatione toties innouans, quoties lassus in eam oculos mentis conuertisse eligerem. Non hoc loci congeßisse in vnum me profiteor illorum omnium Patrum Auctorumq; nomina siue iam fato functorum, siue adhuc vsura lucis huius perfruentiũ qui intrà spacium hoc postremè reformati ad Frigdionariam Canonici Ordinis lucubrationes edidere proprias, vel exactè perfectas manuscriptas reliquere in proximorum adminicula, & in proprij Instituti decus, & ornamentum. Neque item eorum etiam, quorum hic memoriam refricamus, opera omnia adduxisse credimus, quippe quæ multò plura & numero, & pondere extitiße vna omnium nostri propositi seniorum mens est, & prædicatio. Eos tantummodo exarasse exprimimus, quorum ad manus nostras deuenere euulgati Typographiæ ministerio labores, & quorum literarios vidisse fætus contigit: adeo quod locus minime fieri debeat admirationi, & minus multò querelæ, si aliquorum hic non adsit memoria, quorum apud alios extent volumina, pleniorq; Auctorum cognitio. Vtique omnium optassemus hic contexuisse recordationem, qui Ordinis incumbebamus iustis honoribus; verum longior intercapedo temporum, leuidensum in hac parte maiorum nostrorum studium præpedita quondam nobis ab Epidimiæ morbo totius Congregationis, & consequenter bibliothecarum eius lustratio, dum Visitatoratu fungeremur; in huiusmodi nos impegere dithalassum. Fortè alij (nec perperam præuidisse confidimus) multò instructiores, paratioresq; dabunt à Domino* pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. *Iob. 22. Interim totius Ordinis Canonici speculum maximi Patris Aurelij Augustini profitentis Auctores compingemus, qui testimonio Calchographico operibus præluxere, quod meditamur non prorsus imparati, maturabimus opus, manumq; dare enixius petimus quotquot curæ est proprij Dogmatis profectus ad maiorem Dei, & Domini nostri honorem, & gloriam, cui soli Honor, & Gloria in sæcula.*

FA-

FACVLTAS
Perilluſtris, & Reuerendiſſimi D.

D. ALEXANDRI TROILI
ANCONITANI
Abbatis Generalis Canonicorum Regularium
Lateranenſium.

VISA atteſtatione trium Theologorum noſtræ Congregationis per nos deputatorum tenore præſentium facultatem facimus Admod. Reu. P. D. Celſo Roſino Cæſenati Doctori Theologo, Abbati, & Definitori, vt Opus cudere poſſit adtitulatum Lyceum Lateranenſe Elogia Illuſtrium Scriptorum Canonicorum noſtræ Congregationis, ſeruatis de iure ſeruandis: quin & ad meritum Obedientiæ illi accumulandum id ei iniungimus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. In noſtro Collegio Sanctæ Crucis Cæſenæ Die 12. *Maij* 1647.

D. Alexander Troilus Abbas Generalis.

D. Petrus Cima Archipribyt. & à Secretis.

LYceum Lateranenſe, ſeu Elogia Illuſtrium Scriptorum Canonicorum Regularium Lateranenſium, eorumq; Faſti Generalitij à Reuerendiſſimo P. D. Celſo Roſino Cæſenate Abbate, Definitore, Theologo, omni Scientiarum genere ornato elaboratum, ac in viginti libros diſtributum, de mandato Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. Petri Bonauenturæ Cæſenæ Epiſcopi, nec non Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Michaelis Saxi Generalis Prouinciæ huius Romandiolæ Inquiſitoris, ego infraſcriptus magno animi obleċtamento vidi, & perlegi: & tanquam Opus ſtylo facundo, & eminenti totum Ordinem Lateranenſem, Decreta, Sanctiones, Geſta, Generales, ac inſigniores Patres e tenebris obliuionis ingenti labore, diligentia, diſpendio, & mira ſuauitate ad eſſe, & vitam reuocans, nec quidquam contra Regulas Sacri Indicis continens, dignum vt in lucem prodeat, Typiſq; mandetur, hac mea atteſtatione, ac manus propriæ libenti ſubſcriptione cenſeo, & approbo Cæſenæ Kal. Auguſti 1648.

Ego Aurelius Maſinus I.V.D. & Sancti Officij Conſultor.

Imprimatur

P. Epiſcopus Cæſenæ.

Imprimatur

Fr. Io. Dominicus de Roma Vicarius S. Officij Cæſenæ.



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LIBER PRIMVS.



AGAPITVS SCHIVS VICENTINVS.



GAPITVM Schium hominum memoriæ suscitemus, qui viuens labore non pauco Litterariæ Reipublicæ eloquentissimos, ac propè diuinos Sermones Diui Petri Chrysologi Archiepiscopi Rauennatis suscitauit. Quis verò est qui nesciat, vel mediocriter ad declamandum instructus, quanti æstimentur vsquequaue breues illę quidem, sed supra omnem laudis latitudinem admirabiles lucubrationes? Has per annos fermè nongentos in tenebris delitescentes à blattarum, & tinearum excidio ad lucis triumphum extractas litauit posteritati Agapiti erudita curiositas. Quo id præstiterit vel ordine, vel tempore, ab eius liceat excipere narratione ad Herculem Gonzagam Ordinis Protectorem in hæc verba. *Quo fit, vt cum mihi quoque e Bononia Rauennam regresso non post multos hos dies, quam à Beatissimo Clemente Septimo Pontifice Maximo inuictissimus Imperator Carolus Quintus inaudita quadam adhuc, ac penè diuina fælicitatē imperij sui insignia, ornamentaq; suscepit, sacratissimi*

pariter, ac eloquentissimi viri Petri Chrysologi Rauennatis Archiepiscopi Sermones quamplurimi omni certè auro, gemmisq; pretiosissimis longè pretiosiores in manus venerint, non iniuria in idem auaritiæ crimen vocandus iudicarer, si aut diutius clarissimis rebus tenebras obduci permitterem: aut nostros homines tam excellentis ingenij monimentis non sine magno eorum incommodo, detrimentoq; spoliatos, atq; orbatos æquo animo sustinerem: cum præsertim, vt quidam, inquit Sapiens, non plus vtilitatis afferat hominum generi abscondita sapientia, quam aut gemmæ reconditæ, aut inuisus, défossusq; thesaurus. Nam quis obsecro lucernæ est vsus, quod commodum, quæ vtilitas? si quemadmodum à Christo Deo Optimo, Maximo proditum est, sub modio, aut lecto, & non super candelabrum collocaretur? Ita enim natura comparatum est, vti res egregiæ quanto latius patent, tanto magnificentius naturæ suæ bonitatem mortalibus præseferrant. Itaque ne ab ijs, qui sacris literis operam, ac studium dicarunt, aut illiberalis, aut inhumanus haberi iure possim, sed potius, vt quantum in me est, non solum mihi, sed etiam alijs prosim; eos nunc demum Chrysologi Sermones in publicum proferre statui: quandoquidem in his nihil non eruditum, non excellens, non absolutum offendas. Tanta enim est huiusce viri diuinarum omnium, humanarumq; rerum cognitio, tamq; incredibilis, ac propemodùm diuina dicendi vis, tantaq; copia, vt neminem satis admiraturum putem, cum eum viderit aureum illud eloquentiæ flumen effundentem. Nam siue occulta, atq; abdita diuinorum oraculorum sensa conetur explicare, quis hoc homine subtilior? siue cælestis, ac salutaris disciplinæ velit rationes reddere, quis illo scientior? aut ad virtutem cohortari cupiat, quis ardentior? aut à vitijs reuocare studeàt, quis acrior? denique vel caros viros contendat in Cælum laudibus eferre, quis grauior? vel in improbos inuehi, quis vehementior? Vnde non immeritò Chrysologus à nostris, & habitus est, & nominatus. Posuit autem Agapito tantus thesaurus occurrere, quem non fortuna aut cæca, aut ludens locupletem facere, sed virtus illustris, iugeq; rerum pariter diuinarum, pariterq; humanarum studium ditare gestirent. Quocunq; defferretur hospes bibliothecæ recipiebant ad horas, erantq; animo legendi auido volumina tantum speciosa, præsertim ea quæ manuscripta commendaret antiquitas. Moderabatur Portuensem Canoniam cum in pretiosam mercem huiusmodi incidit, primam, potioremq; portionem offerente viro non inerudito, cui per munus illud cordi erat plurimum placere liberalitati eius, quam nec irritè prouocauit. Cæterum quid studij impenderit in eo perficiendo, & perpoliendo ab ipso audiamus in nuncupatoria ad eundem Cardinalem. Cuius tamen, inquit, in perpurgandis, ac potius instaurandis hisce sermonibus incredibile dictu est, quantum labo-

ris

ris susceperim: propterea quod is codex, quem principio nacti fuimus, proximorum sæculorum inscitia quadam quasi rubigine ita cum fædatus erat, tum manus vt nulla fermè in eo pars integra, atq; incorrupta reperiretur. Verum nos quantum ex antiquorum exemplarium collatione assequi potuimus, opem, auxiliumq; afferre conati sumus. Quare effectum est, nisi mea me fallit opinio, vt disertissimi huiusce viri scripta in pristinum iam ferè nitorem, nonnullis tamen exceptis restituta sint. Æditionem dedit Ioanni Baptistæ Phaello Typographo Bononiensi anno trigesimo quarto supra sesquimillesimum. Atque post septennium prodiere ijdem Sermones ex Melchioris Nouesiani officina Coloniæ; de hinc Parisijs,& Anruerpiæ à Plantino, & Venetijs ab Vgolino, qui tamen parum æquè Agapiti nomen, opus, & laborem in eorum æditionibus suppræssere, cuius solo beneficio thesaurus tantus innotuerat orbi. Verum posteriores omnes impressiones mutilas suspicamur ex libro Roberti Bellarmini beatæ memoriç *Cardinalis* de Scriptoribus Ecclesiasticis, cum Diuo Auctori Chrysologo attribuat tantùm Sermones centum viginti duos, qui re vera apud nostrum Agapitum sunt centum septuaginta sex, quibus & adiecit Sanctissimi Archiepiscopi Vitam, stylo quidem præsso, & laconico, sed vsq;quaque veritati, & temporibus consonam. Agebat cum hæc moliretur Ordinis supremam dignitatem Rector Quinquagesimus apici tanto impositus, vt luceret ab ædito gloriosius omnibus, qui in domo essent. Nam cum pridem ex minoribus Magistratibus inculpatè gestis Tertium Censoream potestatem exercuisset zelo armatus digno fortis, constantisq; viri; fermè solus, aut saltem cum paucis iudicatus fuit, qui irrepenti paulatim laxiori disciplinæ murum opponere posset post Gabrielem Arboreum à Gattinaria, & Iosephum à Naue Veronensem, quibus immediatè successit. Atque ideo depositis etiam fascibus illis Portuensi iterum Academiæ redditur prçses, quo inchoata ante Generalem Præfecturam reassumeret, adq; exitum omninò perduceret. Præter ipsam Sacrarum literarum cognitionem, qua facundè splenduit in contionibus ad populos, & in priuatis cohortationibus ad subditos, speciali prærogatiua fulgebat in fabricis ad dioptram curandis, inq; moribus iuuenum adamussim efformandis; atq; ideo præficiebatur ampliori collegio ad vtraque hæc promouenda, quibus per sexennium non infimè iuuit. Videtur decessisse circa annum sæculi quadragesimum vix sexagenario maior.

Nouissimè de anno 1644. Bononiæ apud Carolum Zenerum prodiere ijdem Sermones Beatissimi Archiepiscopi Chrysologi, in quibus illustrandis, expurgandis, recognoscendis atq; emendandis plurimum enituit studium, solertia, virtus, atq; pietas in ipsum Diuum, atq; in cōmunem patriam eorum Dominici Mitæ Sacerdotis, & Rectoris Imolensis, vt potè qui vetustis-

iustissimis manuscriptis exemplaribus additis, conquisitis, lectis collatisq; nulli sumptui, nulliq; pepercit incommodo, vt illos in natiuum decus restitueret, atq; splendorem, varijs eos augendo lectionibus, scholijs insuper atq; obseruationibus, atq; ipsius Chrysologi vita laxiore stylo ex eius potissimum operibus excerpta: adeo vt inter triginta & eo plures editiones hæc sola potissime commendanda veniat; quæ tamen fontem recognoscit, atq; profitetur ab Agapito nostro, & nos lubentes hæc memorauimus de docto, & nobis amicitia iuncto viro. Habemus igitur ab Agapito.

Vitam Diui Petri Chrysologi Archiepiscopi Rauennatis, quam praeffixit Sermonibus eiusdem, quos primum expurgauit, & edidit ad Herculem Gonzagam Cardinalem, Ordinis protectorem. Bononiæ apud Io. Baptistam Phaellum Anno 1534.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

AVsonio quondam latuerunt scripta cothurno
Queis fudit sacras Pallas, & Hermes opes;
Scilicet vt fuluum terræ sub rupibus aurum
Delitet, & tumulum se videt esse sibi:
Aurea sic Petri latuere volumina, verum
Non tulit has latebras ingeniosa manus;
Audit Agapitus, sacro mox Pneumate plenus
Hæc ait, hæc oculis scripta videnda meis:
Ferte citi calamos, & quæ iam longa vetustas
Fœdauit noster diluat ista labor.
Dixit, & eximia vigilans industrius arte
Incomptum sollers illico compsit opus.
Currite florilegæ compta ad violaria mentes,
Nulla alibi melius mellificauit apis.

ALE-

ALEXANDER A TVRRE CREMENSIS.



NTER complures Lateranensis Ordinis, qui Præceptore Archangelo Mercenario à Monte Sancto Lycei Patauini Peripateticorum Dogmatum Professore Primario, Philosophiæ operam dederunt in Diui Præcursoris viridariana Academia, eluxit cum primis & dignitatis adiecto splendore, & virtutis publicæ testimonio Alexander Turrianus Cremensis. Adscriptus etenim clericali militiæ adhuc puer, post præstitum triennale tyrocinium de more ad capescendas, & vsu confricandas Ordinis consuetudines, & constitutiones, Patauium transmittitur. Profecit ibi vsq; adeo in scientijs omnibus, quarum professio apud nostros est; vt vix initiatus præsbyteratu ad Dialecticam explanandam in ædibus Beatæ Virginis de Passione superiorum mandato deportatus sit. Enituit autem in illo præter robur, & soliditatem Doctrinarum scholasticarum, dictionis candor, & cultioris Latinæ, Italicæq; linguæ ornatus. Quibus *præsidijs* superi viam illi ad eminentiora aperuere, vt lucerna videlicet non sub modio litesceret, sed e specula adnauigantibus per mare nouorum dogmatizantium esset vsui ad refugiendas syrtes, scopulosue cauendos, & ad anchoram in portu veræ Romanæ Fidei iaciendam, atq; firmandam. Siquidem per aliquot annos datus in concionibus populo e suggestu ad sacra Aduentus, & Quadragesimæ tempora; sic deinceps animum scribendo *applicuit*, vt nonum præssus in annum exierit de illius promptuario liber ille perquamclarus de Fulgenti Radio Hierarchiæ Ecclesię Militantis. In eo autem materias illas ãplexatus, quę pars vna, & fortè pręcipua sunt cõtrouersiarũ cũ moderniorìbus nebulonibus herçticis in Põtificiã Dignitatẽ, & Sacrum Cardineum cætum impiè debacantibus; per quam auidè admissus est ad omnium in Aula Romana lecturam, & approbationem. Perstringit *in* eo sic aduersarios firmissimis Eloquentiæ verè Romanæ neruis, & absq; *sordibus* (quod aiunt) rudioris gymnasiorum sermonis; vt qui inter exteros *Germanos*, *vel* Belgas, vel Gallos appetunt sibi parari sublimia Sacrorum *Dogm*atum obsonia mitioribus Musis, magisq; culto differendi mappario, *vel triclinio*; non vltra habeant quod oblatrare, quodue expiscari. Aperuit autem ille mentem suam, operisq; intentum finem Sixto V. Summo

mo Pontifici in hæc notabilia verba; Cum Ecclesiastici Principatus ornamenta ex altissimis illis Cælestium Numinum amphiteatris, ad hanc nostram cohonestandam Hierarchiam delapsa, animaduerterem detestabilibus infamiæ notis inuri ab vniuersa consceleratorum turbidi huius æui Hereticorum Phalange, quæ exulcerato animo pertentat Sacrosanctum Pontificiæ Maiestatis splendorem sacrilega improbitate obscurare;eo Pontifex Maxime, incitatus afflatu, quo Deus suorum Athletarum mentes dignatur impellere; sancta quadam audacia loco ferrei illius gladij; quem nobiliores Duces animi præstantia, virtutisq; amore, ad commune Christianæ Reipublicæ patrocinium distinguere soliti sunt; præfulgentem Verbi Dei mucronem omni gladio ancipiti acriorem, pro virili contendi in huiusmodi perduelles exerere. Quo factum est vt Sixto post annum e viuis sublato, successor eius suo tempore Clemens VIII. illum ad Episcopalem dignitatem prouexerit assignata Sponsa apud Cretenses Ecclesia Scityensi, & Hierapetrensi. Præfuit clauo inter eos populos actuali administratione, corporisq; ac spiritus præsentia per complures annos, satagens sibi commissi gregis finitimorumq; saluti lingua, calamo, munijs pontificijs, vitę integritate; conuersationis innocentia. Nec tamen triuit absq; intellectus emolumento diem, nocta scilicet occasione post reliquos labores profitendi ad vnum græcam linguam ex domesticis vsu, & librorum indagine. Hinc & aliud eduxit commodum, quod pluribus summa industria, & non minori incomodo per longum conterminæ Græciæ tractum perquisitis operum græcorum voluminibus tum antiquorum Sanctorum Patrum, tum reliquorum Auctorum, sertum illud compegit, quod postmodum ex Orientali ad Occidentalem Ecclesiam se conferens vt Apostolica Lymina tandem aliquando præsens inuiseret, venerareturue, Paulo V. Pontifici obtulit, à quo adiudicata fuere digna, vt illis Bibliotheca Vaticana ditaretur. Eo item loci composuit luculentum opus illud materno Italico elegantiore idiomate cui triunphus reuelatæ Theologiæ nomen fecit, sexdecim libris distinctum de Animorum Humanorum Diuinitate pertractans. In illo flores tum Grecorum, tum Latinorum cum etiam Italicorum Poetarum excerpēs, & pertractans Theologicas marerias non mininū exornauit ijs qui tali idiomate scolastica pertractare affectant. Viam tandem vniuersæ carnis ingreditur sexa genario maior Veronæ anno 1622. Illum etiam scripsisse breuem narrationem de Almaricianorum Hæresibus, & concremati one editam in Bibliotheca Sanctorum Patrum Margarini Bignæi in secunda editione Parisiensi restis est Antonius Posseuinus Sacro apparat u in Appendice ad literam A. Nos illius manibus hoc attramentati calami tractu post vera sacra parentare debemus, qui aliquando Patauij dum Pontificia Decreta, Sacramq; Theologiam audiremus in Vniuersitate Viridaria-

na

na ab consilijs pijs, & hortationibus eius illac transeuntis flammis consignauimus decem magna volumina illa, quæ de Artediani Regis Thracum ficta genealogia perscripseramus æstu iuuenilis Genij Hispanos æmulati Auctores Amadisiorum, Palmerinorumue. Opera ergo illius sunt.

De fulgenti Radio Hierarchiæ Ecclesiæ militantis. Romæ 1588. *apud Vincentium Pelagallum.* *Lib.* x.
Triumphus Reuelatæ Theologiæ De Animarum humanarum Diuinitate. Venetijs 1611. *apud Iuntas.* *Lib.* xvj.
De Almaricianorum Hæresibus, & concrematione. Parisijs. *Lib.* 1.
De Felicitate.
De Excellentijs Reuelatæ Theologiæ.
De Abissis Diuinitatis.
De Monarchia Dei.
De Principatu Naturæ, & Imperio gratiæ.
De AEconomia Christi.
De Matrimonio Christi cum Ecclesia.
De Cælesti Regeneratione.
De Merito, & Præmio.
De Potestate illarum virtutum, quæ ad martyrium inducunt.
De Sacramento Sacramentorum.
De Pœnis damnatorum.
De Triumpho Sanctorum.
De exacto regimine Prælatorum. Verum ista ab eo promissa nondum tractantur.

Leonardi Sarctij Bargæi.

CVm Pater æquoreis veheretur Turrius vndis,
Et peteret Cretæ littora amica maris
Ipsa superbifico gaudebat pondere pinus.
Lætaq; ceruleos ipsa secabat agros
Arua nec vndisonus rupit Neptuunia remus,
Ipse nec æquoreas sollicitauit aquas
Vtilis occiduis spirabat ventus ab oris
Siue aliqua & certum Nympha regebat iter:
Eolus ingrato frænauit carcere ventos,
Qui turbant nautas, præcipitantq: rates.
Quin & fortè cauo quos iam dimiserat antro
Et terras pelagus vertere posse dedit.

O ma-

O magnum: placidi tunc littore sponte qui erant
Et dulci somno membra sepulta dabant.
Scilicet ethereijs descendit somnus ab astris,
Somnus, Letheis ipse rigauit aquis
Ergo securus carpsit dum nauta sopores
Et tenuit dulcis languida membra quies
Caraq; Nereidum duxit dum turba coreas
Ipse ceruleis Nereus iuit equis
Fatidicus Proteus summa caput extulit vnda,
Et cecinit blandis fata benigna modis.
O felix auibusq; bonis: tibi vota secundet
Iuppiter omnipotens quæ tibi facta cano?
O felix nauis doctis fabrefacta magistris,
O felix Cretæ sic pia regna petas
Scilicet hic presul, quem grata ad litora vectas
Non ne tibi officio premia digna dedit?
Audin? vix quondam teneris egressus ab annis
Exijt, vt puero tecta paterna tument,
Vixq; triennali dimittitur ille magistro
Tyro, cum virtus regnat amica genis
Ordine vita meat: Patauinas tendit ad arces
Auditor veniens, vnde magister abit
Quæ tibi tunc Latiæ, Tusceq; copia linguæ
Lactea? quæ labris gratia verna sedet?
Iam stupet ambrosios mirata Academia fontes
Iam stupet, & Pallas florida serta parat.
Tartarus Encellados recludat niger iniquos,
Et licet in Superos asperet ora ferus,
Impia Titanes partu vel terra nefando
Fundas;tu mater mæsta sepulchra dabis,
Aspice, in incertas nunc descendit arenas.
Hic Pater, & Victor tela cruenta iacit
Iam tonat, & miseros iaculatus fulmine partus
Disijcit; auctori funera quanta mouet?
Non ne vides,Ceosq; tuos dirosq; Typhones
Fulminat, & cæsi tartara nigra replent
Sic Vates. Nauis vento tum vela secundo
Implet, & accelerans litora amata tenet.

IC-

Ioannis Matthæi Cariophili Cretensis

SI radium scribis totum nos ethera scriptum
Cernimus, & visu fallimur ambiguo.
Si radium vocitans totum describis Olympum
Fallimur unius nomine sub radij.
An quod fulgentes radios dum scribis olympi
Et radios radij irradiare cupis
Vnum terrarum radium sine nomine Xystum
Scribis fulgentem nomine fers radium?
Qui radios scribis radio fulgere nitenti
Inter Cælicolas, terrigenasq; mares.

Gregorij Brunelli Mediolamensis.

HEresos si quis perfida cupiat
Toxica, sincera medicare manu;
Quin etiam densas pelere tenebras
Si velit errorum, radios mutuet
Doctus Alexander quos rutilo vibrat
Ingenio: O quis quis Christiadum expetit
Militiam solers imbuat acribus
His animum dictis, Dogmata fidei
Queis reserat sacro numine percitus
Scommata deludens, quæ impia ventilat
Turba Acheruntheo percita spiritu:
Nunc fera Lernea reticent belluæ
Monstrifico rictu sibila, & inuidæ
Quod maculæ fædant, limpida Præsulis:
Vena repurgat Latio celebris.
Dulcibus ò quantum Roma liquoribus
Hisce debet; queis potuit perfidæ
Dira venena extinguere sobolis
Curasq; eluere hæresum.

ALEXANDER MARINVS VENETVS.



IRANDVM propè eſt, vt in ſtructura corporis gibbo turpiter deformata vis ingenij ad omnem muſicam nati floreret. Siquidem illuſiſſe vel luſiſſe parens natura videri poteſt, cum præter omnem armonicam conſonantiam membra compegerit, quæ clauſtra eſſe deberent animæ per cunctum armonicum tractum mirabilis. Solent certè gibboſi vocem graciliter inęqualem, & ſemper ſubraucam ab vtero matris congeſtare, ſic videlicet concamcrata compage ferente. Hic verò illam in omni dulcedine reſſonantem obtinuit. Propter quod vtrique Muſicæ datus, & vocali, & organicę; in virum celebrem harum artium euaſit. Apud Inſubres pręſertim, & Venetos claruit notiſſima fama. reboantibus Sacratiſſimis Ædibus ad concentus illos, quos mira concinnitate, & diſpoſitione aliquando ad viginti vſq; choros (vt aiunt) Muſicę pręfectus perficiebat. Excitatis nanq; circumcirca, vel in fronte templorum tabulatis, & coaſſationibus omni periſtromatum ſplendore ornatis ad ſuſtinendũ canentiũ numerũ, tantus fiebat populorum cõcurſus, vt maximè Diuinus cultus iuuaretur, & pietas animorũ, feruorq; ad ſacra adeũda floreret. In machinis illis pulſandis, quę vento per folles adacto, & reddito ad fiſtolas ſtanneas, vel plumbeas prę omnibus muſicis inſtrumẽtis magis vocalia ſunt, Organaue maiores noſtri dixere appropriata voce genericavnę huiuſmodi ſpeciei; tanta velocitate manus exercuit, tamq; ſolutis digitis percucurrit ligneas mẽſas, vt vento ipſi par eſſe viſus ſit, & victor. Cremonenſibus per plures annos gratus in ornatiſſimo Diui Clauigeri ad Padum tẽplo; deinde Mediolanenſibus, & Placentinis, tandem in patriam reuectus in ipſo ſeneſcentis ętatis limine Venetos Patricios laudatores, & admiratores habuit ad vetuſtas ędes Diuę Virginis de charitate. Edidit plures muſicas compoſitiones Eccleſiaſticę Pſalmodię ad omnes totius anni veſperas, & miſſarum ſolemnia binis, ternis, quaternis, quinis, & octonis vocibus concinendas. Gregorius Brunellus noſter cum nobis depoſcentibus muſas ad carmen elogijs hiſce exornandis addendum vocaret, ab Alexandro hòc exordium elegit. Vt verò ſoluta oratione ęquè ac verſu valet vir ſequens, quod reddimus, amicę virtuti teſtem elogium attexuit. Luſit indigno

planè

planè ſpectaculo natura, dum intra flexuoſi corpuſculi anguſtias animum ad muſicę numeros inſigniter aptum collocauit. Neq; id abſq; occulta Numinis prouidentia actum crediderim oſtendentis poſſe etiam non bene modulata ſub artuum compage ad modulos natum ingenium latere. Id etiam miraculo proximum, quod vox illa, quę gibboſi pectoris concamerata anguſtijs non niſi gracili, & infirmo ſpiritu auras pulſare aſſueuit, eluſo nouercali naturę odio dulci, & valido ſonorè promeretur. Acceſſit pariter ad nobile tam deformis ſtructurę prodigium noua quędam organa pulſandi peritia (recens hoc muſicę artis inuentum plumbeis compactum fiſtulis, quę forticè per foramina concepto flatu, pręſſis quibuſdam gradu ſonoro, inq; ordinem digeſtis ligneis teſſerulis concordi diſcordia gratum auribus concentum parit) hoc digitis modulantibus tanta celeritate pulſabat, vt manus citatiſſimo curſu attentos eluderet obtutus. Patrios lares aliquando deſerens Alexander Antenoream vrbem, & inſubrię oras peragrauit. Peregrinam virtutem mirabantur precipuè proceres, qui quoties ſtata hora templa pio ritu adeuntes luſtrales effundebant pręces, eorum pietas attenta ſacrum melos aure bibens incrementa ſentiebat, cordiſq; cytharam per ſuſpiria longa modulans gemitus aptabat in fiſtulam, atq; organi planctu prębente clamorem ſacrum ingeminabat Alexandri ſymphoniam. Vigeſimum quandoq; chorum mirabili arte direxit. Dixiſſes orbiculatum illud corpuſculum ſupremo inſidens choro reliquos tanquam orbes minores ad ſuos nutus tanta dexteritate trahere, vt Pitagoricum melos felici mendacio auribus propinaret. Demum poſt inſignes virtuti, ac nomini acquiſitas penes exteros acclamationes, ac pręmia redux patriam reuiſit, & relictis aliquot muſici ingenij monumentis ſenex obijt ſacer olor, Adriatici ſinus Regina proprijs lachrymis parentante.

Quattuor Librorum varietates, mutas cantores appellant. Venetijs Anno Domini 1586. Lib. jv.

Gregorij Brunelli Mediolanenſis.

Replet Alexander ſacras dum cantibus AEdes,
Atq; artem peragit, voxq; manuſq; ſuam,
Sic eſt cælicolum Reſpublica fata tonantem
O Deus en quanta temperat arte melos
Quam iuuat aſſiduo hunc replere ſacraria cantu
Et longa modulos continuare mora.

B 2 En

En properat gaudens facto velut agmine plebes,
Attonitaq; illos ebibit aure sonos;
Mox lachrimis culpas plectens condemnat obortes
Queis gerit humanæ conditionis amor,
Et mens insolito stimulata cupidine flagrans,
Inuicta cælos arietat vsq; præce.
Cædat Alexandro primos Pelleus honores,
Ferro orbem hic rapit, sydera at ille chilij.



ALE

ALEXANDER TROILVS ANCONITANVS.



SI superfutura nulla essent argumenta posteritati (quæ certè supererunt plurima) quisnam, quantusue fuerit Alexander Troilus de Ancona, ex hoc vno licebit illud ominari, quod solo octodecim annorum spacio ad dignitatem eam in Congregatione ascenderit, quæ vno tantum gradu distat à suprema in Ordine. Is enim nobilis ornamenti euentus vt felicissimè gestus est sub nullo, vel saltem rarissimo exemplo post reformatum Ordinem; ita promerita proloquitur extraordinaria in viro, & virtutem sub ætate præcoci tanto magistratui gerendo aptissimam: eò maximè si addas, inter eosdem Anconitanos Patres floruisse illi syncronos, ætate tamen valdè prouectiores, Serafinum de Carolis, & Celsum de Gratiolis Patritios viros & doctrina claros, & gestarum præfecturarum laude insigniores. Qua die Sanctus Carolus Borromeus Mediolanensium Archipræsul, & Cardinalis festiuo colitur in terris honore, ea ipsa is lineum colobium de manu Seraphini Merlini recepit anno decimo octauo præsentis sæculi. Grandeuus vir ille gerebat tunc Portuensem Præfecturam, summoq; studio incumbebat in profectum eius seminarij, quod ab Prouinciæ Ecclesiasticæ Prælatis sibi creditum compingebat solerter in vnum, vltimum videlicet paternæ suæ solicitudinis in Congregationem argumentum: & ante tres dies in solemni Sanctorum Omnium kalendarum Nouembriarum Canonica eadem clamide induerat binos ex Rauennatibus suis Benedictum Franconum, & alium illi parilem. Ab proximæ Dietæ Comitijs traducitur cum cęteris condiscipulis ad Sanctæ Crucis Cęsenatense cœnobium, vt in anachorisi illa abundantius quietem potirentur, nouelli spiritus coagmentatricem. Vota distulit ex occasione aliquãtisper: ea emittentem audiuit, & recepit Cherubinus de Gualdis Ariminensis vir doctus Adeodati Manzonij Abbatis vicaria potestate fungens. Præfuit disciplinæ morum Sebastianus Cellus Cæsenas polens scientia, & probitate Sacerdos, cuius solerti diligentiæ debetur quod eodem tempore Logicalia benè excultis, ritèq; paratis exposuerit, vt in vtrunq; parati prodirent ex tyrocinio. Legerunt Censores in visitationibus Alexandrum, Benedictum, de quo supra, & Dominicum de Sassatellis Romanum, qui in

Viri.

Viridario Patauino cum alijs coequalibus excolerentur ab Petro de Magnanis Placentino ſcholas iam pridem ducente. In eum compacti Lyceum ex diuerſis ſeminarijs potiores adoleſcentes, de quorum prouectibus ſpes fidentior eluceſceret, ſub Cherubino de Beterris Brixienſe Abbate, & Definitore viro optimo; per ſummam mentis contentionem, perq; ardorem maximum Philoſophica inuaſerunt arcana, ex quibus proceſſerunt de more ſacris Theologicis perueſtigandis ſub diuerſo quidem gubernio, ſed ſub eadem diſcendi cupiditate, atq; profectu. Ad exactum ibidem quinquennium Angelus Morbiolus Mantuanus Theologus Præſtantiſſimus priuata illorum tentamenta recepit, & approbauit, publiciſq; thæſum concertationibus præfuit, vt per poſtrema hæc vadimonia lauream, laborum præmium immarceſcibile, contingerent ex ſummo Congregationis Senatus conſulto. Diſtribuuntur hinc vnicuiq; onera deinceps ferenda iuxta munerum, qualitatum, geniorumue proportionem. Alexandro obtigere Ariminenſia ſubſellia ad Sanctum Marinum, ex quibus Naturalis Philoſophiæ Lecturam inchoaret cum adhuc leuites prçiret à longè Sacerdotium. Sed ſupra puſillam ſcholam vernabant in doctore vires non refringendæ. Hinc diomedearum iuuentuti copioſè magis, magiſue prouectæ adſcribitur Magiſter. Verum quia emolienda quoquo modo videbatur diſparata illa ablegatio, remotiorue incolatus, præſertim in iuuene valdè ſociabili; ideo placuit proceribus, vt Priorem quoque gereret. Abbatibus Anſelmo Semprerio, Tiburtio Boſſo, & Petro Pelizzono gymnaſium illud gubernat; quin & fermè Inſula tota ab illius pēdebat nutu, qui dexteritate, & prudentia, qua ſemper ſuper ętatem floruit, non diſcipulos modo, ſed & patres ceteros, officioq; maiores, cæteramq; familiam dicto penè obſequentes haberet. Aſſumptus enim in viſitatorem ſemprerius locum expediuit Boſſo, & hic vniuerſæ carnis viam ingreſſus ſucceſſorem habuit Pelizzonum. Illorum porrò omnium iugis abſentia auctoritatem Troilo conciliabat, & robur, vt reſſidendi ſarcinam, præſidendi iura ex ſe ſe compenſarent. Exacto ibidem triennio, ad inclytos Portuenſes transmeat Theologica proſecuturus pandere, quo loci poſt conceſſam auditorum ſuorum potioribus per nouemuiros lauream, in qua procuranda plurimum ſolercia eius enituit, ipſe Abbas de Capite montis ordinatur poſt Celſum de Gratiolis. Subiacauit in ea triennali gubernatione non leuibus infortunijs, quorum tanto acrior impetus obiecit ſe conſpicientium obtutibus, quantò prædeceſſoris præfectura vegetior apparuerat. Succeſſorem tamen habuit Chriſtophorum Scalamontium ſibi tunc valdè probatum, in cuius poſtea comparatione fælicem ſe præſulatū geſſiſſe videri potuit, ſiue ob dirum morbi virus, quo ille afflictatus continenter extitit, ſiue ob quiduis aliud inde excreſum. Scalomontio de viuis ſublato, vices illius fungi iuſſus eſt
vſq;

vsq; ad anni terminum. Conueniunt interea Patres ad Generale capitulum resignationis Arbizani Bononiæ: suffragium in illo ponit, & ipse capitularis socius pro anconitano colleggio. Inter Ecclesiasticæ Prouinciæ idoneos ad Visitatoratus dignitatē per iura circumscriptus enumeratur, solusq; lectis suffragijs obtinet, dignè quidem, sed cui ante ascititia nonnulla præter ordinem iuuere, in quæ consensere Patres in Religionis bonum intenti adhuc supra leges, & consuetudines. Fridericus enim Troilus ex numero eorum, qui à secretis Principum Sanctissimo sunt, ad aures, & corda nepotum purpuratorum, illos & in fratrem, & in ordinem beneficos inclinasse, inclinatos detinuisse iudicatum est: personam gesturus Alexander pro dignitate scientiæ, morum, aspectus, prudentiæq; laudibus pollens. Apud Ariminenses Academicum decus obtinuit, Adagiatorum in quorum conuentu de somno aliquando aptissimè æstiuo disseruit tempore: illud idem consulit Anconitanorum nobilis cohors caliginosa. Ex Proximo gradu post aliquot annos prouchente Andrea Fossa Generalatum ressignaturo imponitur supremo illi culmini in Comitijs Rauennabus anni quadragesimi sexti Tertius ex Prouincia Ecclesiastica Abbas Generalis intra spacium annorum sex ab quassatis nempe per Thomæ Prouane zelum, sed non secundum scientiam, perq; vafriciem, & rubiginem, politiæ canonicę iuribus. Cecinit tunc de eo Dominicus Valerianus infra reddenda poetica, & Carolus Bassanus sequenti Elogio.

Nil mirum, si celeri plausu, pernicibus votis mille capitum vna sententia Sacræ cohortis Dux eligeris. Es Alexander. Soluisti hactenus calamo vtriusque Sophiæ nodos; discerpes & illos, quos Germanica Sphinx errorum filis contexere nititur. Nulli tuus animus non dominatus est loco in Orbe virtutum: extra illum refugit imperium, & solum in sublimi gloriosum exquirit triumphum. Præliatur, & nunc ò Roma, legio Aurelij Augustini aureæ Augustæ sub Aquilæ signo pro suæ religionis tutamine. Auium Regina aduolat Cælo certamina, nec timet, nec sub eius vmbra timentur fulmina. Sortes tamen ne fidite: Summo Ioui, & illa ministrat contra Gigantes. Cæterum Alexandri Troili siue vestes, siue mores spectentur, ex Aquila genitam Columbam, veteri abrogata paræmia, veritas fateri compellet, quæ sui ipsius nunc facit assertorem Carolum Cassanum.

Scripsit in Funere Alexandri Cardinalis Vrsini Ordinis Protectoris Orationem ad Angelum Cesium Episcopum Ariminensem. Arimini anno Domini 1627. apud Ioannem Symbenium.

De Fide, Spe, & Charitate libros nouem admirabiles ex Thologijs Scolastica, & positiua mox, mox, edendos.

Domi-

Dominici Valeriani Raueunatis.

INclyti, Alexander Fortuna, Troylus armis;
Tu quoque ALEXANDER, tu quoque Troilus es.
Sed nihil fortunæ debes omnino, nec Armis
Imperium virtus tradidit vna tibi.

Idem alludens ad Aquilam Gentilitiam.

TAm bene tu Imperij fastigia Troile scandis,
Quàm bene in excelsis nidificant Aquilæ.



AMBROSIVS MARLIANVS PAPIENSIS.





RREPTO calamo parentamus per præſentis Elogij thus, vel amomum Ambroſio Marliano, quod modo eius obitus nuncium acceperimus. Vtinam muſis litati propitio calore fibras incenderent. Ritè namq; id ſupremi officij munus viro debemus, à cuius præceptis amicè monebamur, dum Ticini Philoſophicis operam nauantes in ipſo adoleſcentiæ limine, in ſummo ipſe templo annuas conciones haberet. Eo autem maximè perſoluimus ſymbolum hoc, quoniam & de Congregatione, & de Litteraria Republica benemeritum illum declarant omnia quę ſcripſit, plura quę orauit, aliqua quæ geſſit quinquagenarius in hæc caſtra, ferè ſeptuagenarius in orbe. Excerptum ab honeſtis natalibus apud Papienſes recepere intra viridaria, & ſeminaria ordinis comitia ſiue Anconæ, ſiue Mantuæ habita Theodoſio Burla Generali. Ex cauta neſcio qua prurigine aliquorum de quorũ cortina oracula gubernationis promebãtur, immutauere illa tẽpora formulas tã parendi quã dicun di iuris in congregatione, ingeſta prælaturarum perpeſuitate, conceſſis faſcibus triennalibus ſupremo Abbati, alijſq; nonnullis ſimilis redolentiæ; vt ab ipſo limine ſalutato Marlianum præmonerent futurorum euentuum, ad quorum ſe partem largiebatur. Formauere adoleſcentis animum ex trienni dolabra morum ad ſtudia tranſmiſſum Ludouicus Paueſius, & Honoratus Robertus Neapolitani Peripatetici, Seuerinus Mediolanenſis, & Florianus Nanius Bononienſis Thomiſtæ. Hauſtos latices ex huiuſmodi claris fontibus iuſſus promere in experimentum Doctoratus, portuenſem ſcholam exornauit vario munere punctorum, thæſum, concionis qua latinæ, qua italicæ; atq; ideo in album prædicatorum relatus eſt Camillo Becio Generali decretum obſignante. Vicenaria perſeuerantia virum exercuit Apoſtolico munere inter ſortitiones ſemper vnas, ſemper ſimiles quoad fructum boni operis, ſed aliquando varias illi quem inanis gloriola, vel aura popularis pupugiſſet. Querentem verò non ſe ſed Deum in animabus ſculpere nihil ſollicitabat humani, aut abiecti. Pagos æquè cumulabat ſermonibus, atq; Ciuitates, dumodo illos offerret ſeu Epiſcoporum vocatio, ſeu Generalium libitum, idq; non modo circa priores annos tan-

tæ prouinciæ in exercitationem operis perficiundi, verum etiam per acquisitum habitum absolutior factus. Ecclesias Diuorum Georgij de palatio, Afræ, Ioannis, Virginis de charitate, Disciplinæ, quam aiunt, Frigdiani, & Andreæ tenuit per quadragenarium concionem Mediolani, Brixię, Genuę, Venetiarum, Parmę, Lucę, ac Vercellarum, in principe verò templo perannuam apud Papienses suos, Alexandrinos, & Dertonenses. Indulsit ętati duodenario lustro proximę, vt suggestui vale diceret etiam, si vegeta membra, sucoq; plena oneri haud imparia se præstarent quę ad extremum vsq;spiritum penè talia perseuerauere. Lubuit verò refferre pedem, vt acrius vrgeret calamo nobiliora mentis meditata neutiquam distracto ad plura spiritu. Ædiderat ante annos decem opus, quod à vero Pęnitente inscripserat in quo animę verè pœnitentis ideam adeo descripserat adamussim per varios discursus illam à primo diei diluculo vsq; in vltimam vesperum dirigens inter pias exercitationes; vt commendabili vsquequaq; plausu receptum auctorem ad alia molienda haud animarit insulsè. Interea vocatur ad partem sollicitudinis pastoralis subeundam Canoniæ Diui Apostolorum Coriphei, quam in Cęlo aureo appellant, pręposítus. Verum non omnia nos posse omnes ritè enunciatum. Facilitatem naturalis gènij in fomitem magistratus non peridoneè gesti habuit. Accademiæ quippe celebri, & ex varijs Congregationis ingenijs conflatę seueriorem disciplinam imminere decuit, vt iuuentus intra leges exculta exlex non coalesceret. Ambrosium verò innocentia vitę, solitudo ex studio, alięq; dotes haud cõmunes electorũ suffragijs obtulerãt, & commendarant in simili ritu peridoneũ. In fractione autem panis non tantus apparuit. Puduit tamen innoxiam alioqui bonitatem abdicare, sed fascibus iam colatis sua triennis periodus permissa est. Hinc diluere potuit vmbras, vel neuos magistratui illatos ex lenitate superflua per binos radios calcographis traditos. In eorũ altero rationes illustrauit oblationũ, que fieri solent ex voto Ticinẽsis Senatus, & Populi in Basilica illa celurea aduersus insperfas quasdã siue fuligines, siue caligines nonnullorum rem propriam, non iuris, agentium. In altero per quinque pijssimas meditationes descripsit sacros triumphos quinque sacratissimorum Christi Domini Iesu vulnerum breuiter, præsse, & ex imo cordis affectũ. Hoc autem statim diffusum, & auidè exceptum nos &. Rauennæ, & alibi pluries lectum ab communi refectione, commendatumq; non sine fructu, & vidimus, & letati sumus. Valuit in opusculo styli puritas simplicitas, & candor, atq; rerum deuota, aculea taq; affectus compassiui expræssio longe aliam terrens viam, atq; dicendi genus ab illo quod varium, ac floridum adhibuit in veri penitentis imagine. Ibi enim per amenitatem non affectatam placere studens aduocauit poetas castos, & castigatos quasi subsidiarias cohortes, vt non oblegaretur lectio etiam à

delicato,

delicato, & emunctæ naris lectore. Functus præpositura non minore cum sui tædio quam alieno, secessum quæsiuit siue studijs, siue quieti, cuius vel minimã partem in regimine libauerat ex animo. Facta est autem ei facultas concupiti ad Sanctorum Naboris, & Felicis oppidi Luzani, & quatenus lubet ex coniectationibus arguere vtrisq; finibus potitus est ad longam diem. Inde verò digressus aliquando Romam petijt, vbi & Theatrum Politicum euulgatum dicauit Antonio Barberino Cardinali, lucubrationem bonam, ac vtilem quam Luzanensi illi subductioni de integro debemus. Et qui in alijs expresserat animi meditata ope nobilioris sermonis Italici, in hoc opere latiam linguam adhibuit tanquam magnificentiorem, & materiæ magis accommodam. Nequiuit tamen ipse per semet oblatione voluminis præsentem venerari Mæcenatem tunc Vrbinum properantem in Apostolicæ Sedis ditionem redactum. Quippe ex maiorum præscripto *Roma digredi*, licet extra tempus, & Neapolim commigrare iubetur, vt esset à sacris confessionibus nobilissimo Gynecæo almæ matris Reginæ Cœli. Accidit autem id illi perincomodè, qui ad præstitutum sacræ Congregationis Regularium multis curatorum, aliorumq; complurium moralis legis, quam casuum conscientiæ nominant, lectiones haberet in ipsa Canonia pacis. Præstitit tamen obtemperare præsertim in re suapte natura, ac merito digna, in qua & postmodum ab supremo nouem virorum tribunali per integram auctoritatem confirmatus est ex Dieta Regiensi. Sed relabente anno sublatus est hoc anno trigesimo secundo currentis sæculi vir minoris fortunæ quam doctrinæ. Supersunt eius ingenij.

De vero pænitente ad sacrum perfectionis montem aspirante opus italicè. Ad Eminentissimum Ferdinandum Tabernam Sancti Eusebij Cardinalem. Papiæ apud Andream Vianum Anno 1611. *Lib.* 1.

Breuis instructio circa oblationes, quæ fieri solent in Ecclesia Sancti Petri in Cælo aureo Papiæ. Ibidem apud Petrum Bartholum Anno 1614. *Lib.* 1.

Sacri Triumphi Sanctorum Christi vulnerum descripti in quinque meditationibus Italicæ. Ad Eminentissimum Iacobum Cardinalem Serram. Papiæ apud Petrum Bartholum Anno 1615. *Lib.* 1.

Theatrum Politicum, in quo quid agendum sit à principe, & quid cauendum accuratè præscribitur Elogijs, adagijs, emblematibus, notis accademicis, hyeroglificis, & varijs historiarum monimentis insignitum. Ad Eminentissimum Antonium Cardinalem Barberinum Summi Pontificis Vrbani Octaui ex fratre nepotem. Romæ typis Francisci Corbelletti Anno 1631. *Lib.* 1.

Incerti

IMperij elaras artes, & iura potentum
Regnorum, Ambrosio sparsa lepore refers.
Nominis excelsi splendenti Antonius vmbra
Hæc tegit, Ambrosium fida tuetur Apis.
Artem regalem, regali ornare patrono
Ambrosiam & melli iungere nempe decet.

Eiusdem

DEfossæ antiquum terræ qui credidit aurum,
Thesaurum arcanis condidit in tumulis.
Aureus Ambrosiam sed qui liber aflat, & artem
Regnandi, ingenua prouidus arte docet.
Diuitias non condit iners, sed diuite censu
Mentis opes auro nobiliore beat.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

FOrtunæ varios discutiens casus
Virtus, quæ proprijs fulget honoribus
Gauisa Ambrosij artibus
Excipit proprio sinu.
Te quamuis tenebris liuidus, inquiens
Damnet, tu e tenebris expedies caput,
Nec te perpetuo sinam
Marcere inuidiæ situ;
Clarus luce tua nil opis indigus
Externæ, calamo pectora figere
Docto vulnere liuida
Dilectus superis scies.
Nuuc magni Proceris te diademata
Mirantur, celebrant te ora quiritum,
Dum miro eloquio doces
Mores, sceptraq; regere.
Et quamuis placido lumina funere
Claudentem populus lugeat, attamen
Virtus te tua collocat
Inter brachia Gloriæ.

AN-

ANDREAS FOTIA GENVENSIS.





RVEBAT iam iam præceps in tumulum annus vltimus ſeculi primi poſt ſeſquimilleſſimum longo fatiſcens ſenio, iamq; in ſublatum ab oſtio lapidem incubabat; cum illi apud Regulares Canonicos contigit heſpero gaudere ſplendentiſſimo, ſub cuius irradiante lumine glorioſius quodammodo deſijſſe videretur. Cur enim heſperum illorum dierum non appellarim Andream Fotiam Genuenſem, cum idem ſydus heſperum, luciferumq; eſſe notiſſimum ſit, nunc Solem ſubſequens, nunc antecedens? Heſperus ille quidem ſæculi, cui parentabatur; eius, quod ex ouo erumpebat, lucifer futurus ſcientiarum, prædicandiq; verbi lumine coruſco vndiq; conſpicuus. Habebat Theodoſius Roueſcala Papienſis Generalis poſtremam ſui regiminis Dietam procerum in ædibus portuenſibus, cum in ea ſancitum eſt die ſextadecima kalendarum Maij de Ioanne Baptiſta Fotia Horatij filio in Ordinem acceptando. Qui Sanctionem curabant Patres adoleſcentem cognitum, per omniaq; tentatum, teſtabantur ornatum ijs dotibus, quæ non ætatulam cumularent modo, ſed quæ in viris plurimis, ijſq; religionem, ac doctrinam profeſſis deſideranda venirent. Vſque adeo clarebat illa ab humanioribus ſcholis, & ab culta in crepuſculis dierum pietate. Prorſus verò promotores vera locutos euicit exitus ipſe. Siquidem ex Ioanne Baptiſta Andreas factus ad aras martyris Georgij ab Riccardo Criſpo Brinatenſi Præpoſito, iniecit ſe in vlnas ſanctæ rigidi ſenis diſciplinæ ardore illo animi, qui non tyronem, ſed veteranum præſignaret: exſorbebat tanquam ſuauitates aſperiora quæque vigiliarum, victus, veſtitus, & inter multos ſpiritualis manipuli nouos commilitones, eoſq; ſcelectos, operabatur tanquam triarius. Hinc ſibi adeo optimum conciliauit Præſulem, vt ad Diomedis, verius, ad Virginis Inſulas gubernandas proficiſcens, itineris, vitæq; ſociū Andreā ſecū aſportarit. Erat Criſpus inter Ordinis Primarios non ſola probitatis minus fucatæ laude inſignis, ſed & ſcientia, & rerum gerendarum prudentia excellens, & ab exacto iam Cenſoris munere poteſtate florens; ideoq; in ſciunctos ab continenti Apulia ſcopulos literariam Accademiam innouare, tranſlatis hinc atq; hinc iuuenibus, facile exorauerat. Vnum Ioannem Franciſcum Maſ-



Massam Ticinensem eo in itinere, & incolatu comitem, & condiscipulum Andreas habuit ex Brinare, quorum eriam longam postmodum exercuit studiorum necessitudinem, donec dispar aliquando gubernandi ratio amariores reddidit animos, seriùs tamen conueniendos. Quemadmodum ferro ferrum acuitur, sic & ingenijs ingenia fœcundantur, castigataq; æmulatio iuuentutis rheda animorum est, qua ad olympum gloriæ otius illos vehi contingit. Naturalium Aristotelis Acroasum interpræres ibi audiuit Camillum Alegrinum Bergomatem, & Ludouicum Pauesium Neapolitanum. Exacto biennio Marcus Antonius Oliua, qui Crispo successerat in præsulatu, Patauinam illi scholam exorauit ab Antistitibus, eò vehementiore sedulitate, quo eius ingenium in conscribendis epistolis per annum sic exercuerat, vt pluribus, disparatisq; studijs eodem tempore norit aptissimum, quoue prænosset præsidium Genuensibus suis, ac decus excitari in iuuene paratissimum. Profitebantur tunc in eo clariore Lyceo summi Doctores Gabriel Penottus Nouariensis, Petrus Nicolaus Lucensis, Honoratus Robertus a Iuuenatio, & exterorum Marcus Antonius Otelius Vtinensis Iurisconsultorum Coripheus. Nactus tantam vbertatem vorax scientiarum animus effudit se in cibos degustandos, & decoquendos auiditate, quæ captum ipsum penè præfocaret. Robustior tamen factus ex consuetudine, quæ naturam bonam non destruit, sed perficit; & quatuor illos sequi, atq; assequi, & alias ex se ipso scientias Græcorum in primis volumina, atq; linguam libare valuit, rem alteram altera non impediente. Anno sexto primæ decadis huius sæculi redimendus doctoreas theses publicæ concertationi submisit Ioannetino Auriæ Equiti, Senatoriq; præclarissimo nuncuparas, quarum oppugnatores quot habuit, tot & laudum suarum præcones dimisit. Rudimenta concionum ponenti primus campum dedit Camillus Beccius Casalensis Aquensium Episcopus, qui vt ex Ordine assumptus erat, ita Ordinem assumptum quoq; ad summa exoptabat decoris, ac meriti: & grati animi promens perpetia documenta, quot quot doctorum Congregationis offendebat, illos omnes à se adiutos, prouectosq; dimittebat. Vt iuuenem tentauit domestico examine in collationis modum habito, nihil sibi imponens, mox coniectauit quod futurum erat, ex initijs illis debilibus ad apicem aliquando peruenturum præconibus emunctioribus assignatum. Dimisit quidem ab se quadragesimatum illum, sed veluti præsentem, quicquid circa eum fieret edoceri per singulas penè ferias præcipiebat. Non se totus per ea exordia commisit præpotentibus verbi aquis Fotia, sed cautus, ac enatans periculum alti fluminis, viriumq; velut pauescens, atq; subdubius habebat. Vt tamen erecti erat animi meliorem conspectabat Cynosuram. Actis pascalibus solemnitatibus Antistes in filium dilectionis Leuitam mox Sacerdotio initiandum adoptauit, armauit monitis, animauitque;

uitq; ad vberriora messis beatæ metenda. Vix dictu credibile est quantus post hac assurrexerit, quam suaui clangore tibicen insonuerit, quamq; velocibus progressionibus inter illos, qui à primioribus locis dicerent, enumerari meruerit. Non is idem videbatur omninò, qui exiliter adeo inchoauerat. Sed & Paulus (liceat similitudo) manuductus est cæcus in Damascum, qui postea Gentium Apostolus, Paradisiq; tuba insonuit clamore æternitatem metiente. Parauit se quidem aliquandiù Prior Genuæ studio in id collimato; sed altius illum parauerat natura donis vocis, aspectus, illium, memoriæ, venustatis: diuturniusq; parauerat aquisita disciplinarum notitia: quódq; caput omnium est, Sancti Spiritus vnctio, qua errantes, ac deuios ex Domini grege ad aulas reuocare satagebat. Potuit hinc placere Bononiensibus ad Euangelistam Virginem, Pisanis ad Equitum conuentum, Ferrariensibus, Ticinensibus, Ariminensibus, Vicentinis, Mediolanensibus ab summo illorum templo, & ex eodem facere satis Genuensibus suis proceribus, ac populo, quod pro multis valuisse periculis quis æquus iudex est, qui non videat, inspecto nempe gentis ingenio, atq; genio? Exitus certè huiusmodi nos ipsi testes extamus, qui eodem tempore sub Prioratus sarcina concionatorem ad Sanctum agebamus Theodorum. Ariminenses verò contestata voluere propensi cordis viscera in clarissimū oratorem, illum ex Senatus consulto ciuitate donando, vt in publicis eorum tabulis adnotatum cernitur. Apud Ferrarienses, & Insubrum regiam dicenti fauere adeo Iacobus Serra Legatus, & Fridericus Metropolita Cardinales summi, vt diuturnioris ieiunij nulla extiterit dies, qua cibo carere verbi aliquando elegerint. Vnus Borromeus hominum, morumq; singularis diribitor, cordato, solidoue dicendi genere mirificè delectabatur ab fuco, ostentationibusq; seiunctissimo: & qui Ambrosium Sanctissimum prędecessorem colebat impensius, iucundabatur lautius epulatum populum singula quaq; concione ex diuini Doctoris sententijs, & eloquio. Quandoquidem Foria in Patrum lectione versatissimus suoptè genio Ambrosium, eiusq; dicendi vim, ac robur præ cæteris amplexari consueuerat, quod tunc maximè sibi vsu venire experiebatur vtiliter. Approbationem quoque mirificam retulit ex concionato Cæsenatibus Aduentu penes expeditum Michaelis Angeli Cardinalis Tonti iudicium, cuius beneuolentiam in summi lucri locum reposuisse iactasset, si Eminentissimum Antistitem diuturniore vita frui contigisset, cum & de Episcopatu eidem ressignando non semel egisse narratum audiuerimus. Extant cultissimi, pariterq; docti Abbatis Grilli ex Casinatum Instituto epistolę inter cæteras nobilium eius voluminum, quibus & gratulatur Andreæ suggestum Neapolitanum ad Spiritus Sancti, & posteritati testatam, ac commendatam linquit viri inclyti virtutem egregiam. Excreto ad apicem huiusmodi quid aliud deesse poterat, quam suę

ipsius

ipsius Religionis iudicium labores coronans, præmiaq; decernens pro merito? Iuit autem lubens pia mater in promeriti filij ornamentum, insigni eum cumulans priuilegio iugem Prælationis continente titulum, & impleta decernente quæcunq; ex legis constituto necessaria requirebantur ad decus huiusmodi assequendum. Serra Cardinalis eius Mœcenas, & Ordinis Protector retulit priuatim Patribus de viro honestando, qui vt in doctos viros propensus erat, ita diligens in illorum mores inquirebat, ne patrocinaretur improbis sub doctrinæ cerussa. Diuisionis Apostolorum Abbatem primitus eum appellarunt: atq; hinc exorsi compotem quoque, Reipublicæ moderandę fecere assignata nobili prefectura Pistoriensi. Sed in fluminis modum aquas ex aquis fontium, ac riuulorum deducens, cęteros in alueū proprię capacitatis penè deriuauit, Abbas ad Sanctum Theodorum Genuę, Ordinis penes Summum Pontificem Vrbanum Octauium Orator, quem Generalem Procuratorem in curia dicunt, Visitator demum, atq; Commissarius. In Vrbe nodos præ manibus versauit sursum deorsum implicitos, quorum quo implexior solutio, eo speciosior exitus. Iudicauere Patres Rotæ in causa Capicotæ pro Congregatione: Andreas Brogiotus Sacrę Visitationis calculator dixit inter Gabrielem Penotum, & Anselmum Semprerium: Ascanius Ordeus postulatus locum retinuit, & infulas: Astulfus implendo triennio annuus successit Viuolo. In agenda censura ex grassantis Epidemię impedimento Canoniarum tantumodo medietatem adiuit nō interdictam, quod cessisse creditum est in non modicum detrimenti regulari disciplinę, atq; veteri Patrum instituto, dum noui ritus sensim inducuntur. Post hęc iterum Genuensibus suis datur Pręsul. Ab anno sexto Abbatiam illam moderatus in omnium oculis,& ore, ex nouis ędificijs, insigniq; bibliotheca Monasterio illi adauctis per Pontificium diploma Vrbani Octaui Abbas generalis renunciatur successor Antonio Parmesano Rauennati, datiq; sunt ei per illud idem Breue collegę Visitatores Laurus Astulfus Ariminensis, Thomas Prouana Taurinensis, Michael Angelus Parpaglionus Nouariensis, & Iacynthus Fagnanus Patauinus. Quoniam verò id obtentum eo inter cętera intuitu est, vt laxiores, quę in Generali Capitulo cogendo fieri solent expensę obtruncarentur, iuxta instita per Procuratorem Parpaglionem penes Eminentissimum Franciscum Barberinum Protectorem; hinc indicto conuentu ad modum dictalis Capituli Rauennę paucorum interuentu Pręlatorum per nouem viros assuetos reliqui Antistites emersere. Ille post triennium resignatis inter fluctus feliciter superatos fascibus, Genuensi restituitur infulatui Theodoriano. Ibi Serenissimę Reipublicæ benè notus, & apud præcipuos Senatores polens propriorum talentorum splendore, ac gestorum magistratuum testimonijs, cum per nouam sanctionem creuisset illa, Congregationem Theologorum erigere, qui pro sibi emergen-

gentibus essent in consulendo ad pręscriptum sanctæ legis, & ad conscientiæ rectæ Cynosuram; Fossa primus nominatur, & eligitur cæterisq; præficitur quatuor Ioanni Camoggio, & Noceto Iesuitis Sabilio Theatino, ac Poggio Domenicano. Tanti autem estimatam, tantiq; euectam virtutem quis non applaudat? Veruntamen propiora sunt pericula de cacumine: quippe quoniam plusquam arduum semper extitit opus rationes politicas, atq; iura principatuum Euangelio concordare, arctareq; terminos regnantibus cum eorumdem approbamento pauci, vel nulli assequi potuere. Inter tot tantaq; actuose Marthæ vir corporis animiq; dotibus insignis spartam etiam peruolutauit calami, ex quo prodiere propediem cudenda.

In Librum Thobiæ Amussim viri perfecti in genere suo. Lib. xij.
Item pentacordon charitatis. Lib. v.
Item Aduentuale, & Quadragesimale.

Ascanij Mullij Rauennatis.

QVis nouus AEterni pandit nunc præco thesauros
Numinis, adq; poli sydera sternit iter?
Quæ noua terribilis leges mirandaq; Regis
Tuba canit, tantis insonat, atq; modis?
Ast quid ego miror? Surrexit en alter alumnus
Andreas Christi; nomina, gesta, docent.

ANGELVS GABRIEL
ANGVISSOLA
PLACENTINVS.





DOLEVERAT iam ad annum primum ætatis supra vigesimum Angelus Gabriel Anguissola cū Apostolorum Clericalem sobolem ineundam concepit: atq; ideo paratiore consultatione, firmioribusq; decretis rem serio attrectauit. De instituto vitæ nutabat, fluctuabatq; adhuc inter pietatis igniculos; laxasq; mundi illecebras, cum per colloquia Sigismundi Anguissolæ inter Ordinis Proceres tunc, atq; postea viri illustris manu quasi ducitur ad stationem querendam, adq; ratem in portu ducendam. Remearat is in patriam ab gesto magistratu, cum ob fundendas in gratiarum actione preces ad ædes Virginis Deiparæ, quam de Campania Placentiæ vocant, pergit, comite inter alios consanguineo adolescente. Inter eundum interrogat de profectibus morum, vitæ, conscientiæ, doctrinarum, deq; rationibus viuendi in posterum. Vt pollebat autem penes illum auctoritate, atq; sermone flexit mentem aliud agens ad concipienda Religionis secessum, & Ascetarum abdita. Neque tamen iuuenis primos illos aperuit motus. Conuenere tantum, ex imo cordis commendandam rem Sacratissimæ Matri proximis in precibus. Animatur hinc ab oratione; sed dilata adhuc deliberatione discutit negotium intra se, atq; extra vario, pioq; opere de se ipso facit periculum. Tandem vocantibus superis porrigit manum, & linostola Canonicus initiatur, votaue solemnia ab annuo præstito experimento reddit in manibus Barnabæ Gazolę Prioris, Abbate Hyppolito Anguissola, & Generali Rectore Petro Francisco Riua Veronense. Quæ bona animi secum detulit naturalia, moraliaue perpolitam, & dolatam quodammodo, beneq; stratam viam purgationi reddidere, vt luctam minus vrentem, contumacemue senserit illam, quæ incipientibus quibusq; communis est. Disciplinis oratori Christiano opportunioribus mentem instructam adiecit ita, vt exorberet haud egrè quod ab anagnostis excipiebat. Hauserat quidem ante ingressum ab Augustino Clerico viro claro Diui Antonini tum Præposito, & ab Iulio Cæsare Arcellio Iuris vtriusq; Doctoribus vberem satis notitiam eorum, quæ ab Pontificibus, Cæsaribusq; promulgata legi consueuerunt in scholis. Atq; ideo non cecutiebat in disciplinis, quę superinducebantur; famulatum nempe facultate

cultate facultati præbente, & obſequentibus omnibus Theologiæ in veſtitu deaurato imperanti, ac varietate circumdatæ. Vt inter Sacerdotes meruit annumerari, meruit & inter Doctores; diſtulit enim ſacrari Præsbiter ad abſolutum vſq; diſciplinarum curſum. Hinc duplici dignitati duplices curas ſolito acriores impoſuit, vt maiore innocentia viueret, vt impręteremiſsè doceret. Fecit porrò quod ſibi decreuit toto vitæ curriculo. Moribus præluxit vbiq; & quocunq; in gradu ſiue prælatus, ſiue ſubditus, ingenio, lingua, calamo, manu æquè frugifer, æquè proficuus. Integros annos quadraginta duos Placentinam Baſilicam Diuo Patri Auguſtino nuncupatam excoluit ſacrificijs, concione, oratione, prælaturis, præſertim vero iugibus ſacris confeſſionibus ſub omnium conciuium ſuorum oculis, hoc eſt ſub nobili admiratione, laudeq;. Terna promotione Abbatiam illuſtrem, Gymnaſiumq; eruditum moderatur per nouennium cultu, ſplendoreue vix immitabili, hinc modulantibus muſicis, hinc increpantibus concionatoribus, hinc abſoluentibus confeſſarijs, hinc Deum ſub accidentium velamine diſpertientibus Sacerdotibus. Magnificum templum vix confluentes capiebat animas. Subſellia inclyta pſallentium, ſacrarij repoſitoria egregia eius ingenij inuenta, & architectura, piorum largitiones ſunt ab illius lingua, & operibus excitæ. Triginta millium librarum eius monetę ſummam reddunt, quæ monaſterio aduenere, ſeu libere donationis, ſeu pij legati titulò per ipſius miniſterium. Eandem ſummam æquant, ac ſuperant quæ in temporalium bonorum adminiſtratione præſtitit, tam delendo antiquas æris alieni tabulas Romæ, Venetijſq; quam noua aquirendo immobilia bona monaſterio. Quod ſupererat temporis ab oratione, lectione, & charitatis operibus totum dabat exercitio manuum mirabilis ingenij acumine, dexteritateue exequendi. Horologia, ſiue ſolaria, ſiue quę rotarum artificio diem in ſuas notas partes ſecant, indicant, ac tinniunt, ſiue quas puluereas clepſydras vocant abſoluebat vnus excellentiſſimè. Thecas ſacris reliquijs aſſeruandis ex omni pretioſa materia ligni, metalli, lapidum, ſericorum: imagines cereas, aliaq; huiuſmodi plurima componebat, plaſmabatq; ſupra quam exponi poſſit concinnè. Fontium inſuper, cęterorũq; ſpiritalium machinator erat eximius. Cum verò hęc Placentino Collegio, hiſq; ſimilia plura præſtiterit, perpauca admodum alibi poſuit, quod tamen non ei vitio verti poteſt, ſed virtuti, ac laudi, qui ſcilicet duo alia vixdum monaſteria ſuo conuictu dignauerit, quod omninò rarum in viro præſertim grandæuo. Inſula, arxq; Tremitana ſexennis incolatus, Parmenſis verò annui ſedes fuit, hic Abbatiæ, ibi Prioratus inſignibus honeſtatus. Iuuentum, & robuſtiorem ætatem non excuſauit à ſuggeſtu; quin nec peperciſſet ſenio, ni alibi induſtriam eius legaſſet Congregatio minorum faſcium adiectione. Quo tempore Diomedeas incoluit, euangelizauit per ſex qua-

dragesimas oræ illius populis, in qua pridem fuere notissimi Frentani, Daunij, Iapigij, Larinates, Sipontini, & alij; adeo captui gentis sermones accommodans, vt in vbere animarum fructu maximè quesito inuenerit æqualia mentis piæ solatia, & bene compensatos labores. Reuersus in patriam idem præstitit Parmæ, Burgi, Castri Argenti, Ponti, Rossilioni, Placentiæ, & alibi. Insuper ne genus quidpiam esset laboris, cui industriã suam non commodaret, per septem annos scholam eodem tempore habuit. Dialecticam per biennium, item & moralem Theologiam, quam casuum conscientiæ appellant, per aliud biennium in Insula interpretatus est. In Cathedrali quoq; Placentina per duos etiam annos Præbendæ Theologalis lectiones habuit, ac per annum in Basilica Augustiniana Sacrum Codicem, quem Scripturam dicunt, exposuit. His igitur animi dotibus vixit in omnium ore, & oculis, vnos aliquando expertus ex suis ob æmulationem aduersarios, quos tamen æquanimitate, prudentiaue, ac tolerantia fregit. Cum Parmensem Abbatiam postremo gereret, anno priore gubernationis expleto quietis amans fascibus abdicauit se; atq; ideo ab Nouemuirorum supremo magistratu in Diæta Regij Lepidi congregata priuilegio honestatur amplissimo illo, quo soli de Republica egregiè meriti coronari assueuerunt sub perpetuę Prælaturę titulo. In Generali conuentu Arbizani enumeratur cum primis inter candidatos Visitatoratui, dum scilicet it vox communis necdum ad actum vocata in meritum, & consultationes aliquorum non desunt Procerum; sed aliud tandem terminari visum est, ipso nil pensi rem prorsus agente. Scripsit aliquando super Hebraico Numismate, quod Magher, seu Scutum Dauid, & Abraham attitularunt, Italicum Cõmentarium. Sed quoniam superstitionem, seu olere, seu fouere prę sertim apud populos faciles, amuletisq; deditos Numisma videbatur; licet alioqui res pias, sacrasq; exponeret subtiliter, doctèq; commentator religiosus; ideo per Sacros Quesitores reiectum est. Bonorum operum, dierumq; plenus decessit Placentie anno quadragesimo tertio huius seculi circa kal. Iunias. Ab eius ingenio promanarunt

De Laudibus Sancti Caroli Cardinalis Borromæi Oratio habita Placentiæ. Ad Serenissimum Ranutium Farnesium. Placentiæ apud Alexandrum Bazachium 1619. Lib. 1.

Iter spirituale ad Sanctum Bethleem, & peregrinatio in spiritu ad Sacrum Presepe Incarnati verbi, Manuscriptum italicè, valdeq; pium.

Gre-

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

Vatum Phebi parens huc ades, & mihi
Mentis nubila disijce,
Illustra ingenium lumine candido,
Et vis excitet enthea.
Hoc plectrum, hanc cytharam Deus
Dà versu lepido, & pio
Laudes egregij scribere Præsulis.
Ingenuis animi bonis
Hunc ornat pietas numine dextero,
Visq; interrita pectoris.
Adscripsit soboles inter egregias
E quisnam hoc melior viam
Virtutis tenuit, quem variabilis
Sortis, nec fera perpetis
Liuoris rabies à studio auocant
Cælestis Sapientiæ:
Doctrina, eloquio, moribus, & fide
Fulgens eminet inclytus.
Hic mundi strenuus perfida gaudia
Miles fregit, & expulit,
Ostenditq; viam, qua Bethlemitica
Flens mapalia spiritu
Inuisas lachrymis crimina diluens,
Et cordis tabidam luem.

ANGELVS PVSTERLA PLACENTINVS.





APHAELI Rigolò feniori ad onera gubernationis publicæ inter Placentinos Canonicos Regulares obeunda fucceffit Angelus Pufterla, prout & illum ad viuum exprimebat virtutum fulgoribus, ac merito. Licet enim intermedijs dignitatibus ab illius occubitu in eandem femitam dirigeret fe Ioannes Placentinus quintum Vifitatoratu functus, tamen periodo expleta vitæ locum florentiori reliquit, prout defuper ordinabatur. Redemerat ftola Ordinis adolefcentem Pufterlam Rizolus cum Tertium dux maior noftras cohortes anteiret, & cui auctor Sancti propofiti extitit voluit quoq; & præftes effe ad præclariffimas quafq; animi dotes affequendas. Hinc tanto viro admonitore ftrictifsimam vitæ rationem primo fibi afciuit ftatim quidem in tyrocinij obductionibus, fed & arctius deinde in eo ftadio, quod prȩsbiteratus decorem præcedit:& fub huiufmodi cecceritatis genere obcaluit adeo fuper illecebrarum cōtemptu vtnihili facere vniuerfa videretur prȩter ardua,atq;difficilia de quorū virtus gaudet incolatu. Eodem doctore ftatim ac ab foliditate fcholæ miffum habuit fugeftus gloriam æmulari cæpit, non eam quæ inanis ex aura tenui populorum eft,fed eam quȩ coronæ immarcefcibilis præmium eft charitati. Magiftram natiuam propenfionem ab initio fequitur,mox illam perficit prȩceptis, & exercitio adeo,vt vel minima annorū intercapedine potiora quoquolibet maiore ieiunio obtineret vrbium auditoria viam adhuc fternente Rizolo qua mifsionibus, qua officio. Per has virtutis femitas gradienti obuia fit Congregatio collatione dignitatum Ordinis tanquam in præmij cuiufdam fpeciem, quibus non obices inferre integrum duxit, cum per eas ab curfu non remorari permitteretur. Porrò quænam expectarentur ab eo ad declamandum electo, quantufue haberetur, aperit fyncronos Matthæus Boffus, in ea quam de amore literarum, modoq; difcendi epiftola dedit ad Hyppolitum, & Leonardum ardentiffimo Chrifti tyrones. Quod verò, inquit, tu Hyppolite fcribis de Angeli Patris ad hos noftros Rauennates acceffu euangelizandi caufa, gratum mihi admodum eft. Veniat exofculandus millięs, & venerandus omni hora ifte mihi Pater. Veniat ardentiffima in Ecclefia tuba, & verus Angelus, hoc eft legatus, &

nun-

nuncius Christi, quæ ethymologia eius nominis est. Paratum illi auditorium erit effusum, & vastum, quod frequentem, & auidam coronam excipiat. Acuat in scelera sagittas, & tela: strictam, & bis acutam veritatis, atq; virtutis exerat cuspidem: celestibus omnes illiciat odoribus perpolito suo, atq; aureo ore: sic & quos velit secum habeat in Euangelio socios; de nostris eidem erit quisq; illi minister. Hæc quidem ille de prædicatione in Vrsiana Archiepiscopali habenda. Sed multo adhuc clariora sunt, multoq; fortius ad viuum sublimitatem eius exprimentia quæ de eadem in Diui Petronij apud Bononienses profert in responsiua ad ipsummet Pusterlam in hanc formam. Quibus verbis tibi respondeam Angele tuo isto nomine, & nominis ethymologia certè dignissime non facilè mihi succurrit. Vincit enim humanitatem omnem nectarisq; dulcedinem sancta, & perbenigna tua erga me charitas, & vt mea ad te desint efficit verba; & si amor quidem, & reuerentia tui magis, ac magis semper exuberet meq; incendat. Quid ò quam libenter tantopere inuitatus, atq; rogatus, si per valetudinem mihi liceret, ad te venirem spectaturus oculis quæ de te audiuntur opera mirabilia, atq; sanctissima, exauditurus & voces tuas illas, quibus cum bonos excitas ad probitatem, atq; virtutem, aut diuinas laudes enarras, aut Sanctorum gesta concelebras, nihil est omninò suauius, atq; beatius: contra cum excandescis in scelera, notasq; flagitia, tum quidem tonitrua refers, ac fulgura, vt & Angelus pacis simul, & belli fulmen possis meritò vocitari. Et optimo quasi iure id tibi conueniebat Angele vt vastam intra istam Diui Petronij Basilicam curaturus ab animorum languoribus quos Bononia habet infirmos, vt Cælestis ille Angelus quondam ad probaticam piscinam descendisse Betsayde legitur, claram Hierosolimis quinq; porticibus, & geminis lacubus, sanare aridos, cæcos, & claudos ibi iacentes. Sed ista tam gloriosa spectare meo ex voto, consilioq; non pendet, cæterum diuino ex nutu, atq; permissu, qui sapienti suo humana disponit, & moderatur arbitrio, & aduersus quem neque consilium est, neque prudentia. Quod si vires tamen aliquanto firmiores ille mihi præstiterit, me Angele protinus Bononia tecum habebit. Sin minus, propter eundem etiam, qui nos per tristia ista erudit, & beat exultantissimè tolerabimus, himnis, & odis illi nihilominus gratulantes, atq; psallentes. Vtra autem mihi successura sit vel prospera, vel aduersa quidem valitudo ipse nescio satis. Ex die comperta ipsa res fiet: habet enim longas semper, tristesq; periodos febris ista, quæ ortum ducit à flegmate; neque miseretur ante sexagesimum fermè diem, si non stirpitus conficit, quam si me confecturam audieris, ora vt fiat inde transitus mihi fælix ad vitam, qui vt cæteri omnes, sic vnus ego ingressus sum mundum ad mortem, & occurrat illius mihi gratia, & miseratio, qui pro me tulit etiam crucis opprobrium. Vale,

Vale, & in Domini palestra miles animose decerta. Regij. Hæc serio de viro scribebat Bossus testis omni exceptione maior, si candorem animi, si morum integritatem, si vitæ sanctimoniam ab seruili assentatione alienam dimetiare. Ex his licet coniectari quantus vbiq; fuerit, & quanam eloquentiæ forma floruerit. De gestis in ordine magistratibus, deq; methodo in illis exercendis plura edicat historia. Nos quartum visitatoratu honestatum memorabimus sub generalibus Hieronymo Barisano Taruisino, Syluano Mauroceno Veneto, & Gabriele de nigris Vincentino, & per hos proximos gradus ad summam vsq; præfecturam ascendisse. Semel atq; iterum hanc obuit, annis videlicet septimo, & vndecimo post sesquimillesimum. In his contigit illi fæliciter tres colonias describere primus, Tolentinatem Sãcti Catherui in Piceno, Sanctissimæ Trinitatis in suburbijs Mutinę apud insubres, & Eugubinã Diui Patris Vbaldi in cliuo mõtis apud eãdẽ ciuitatem. Interfuit quoq; præpositus Mortariensis cum deducta fuit Papiensis præclarissima ad Sanctum Petrum in Cælo Aureo, quin & pars maxima fuit cum Hieronymo Bosso Mediolanense Abbate Sancti Augustini de Placentia, & Baptista de Tortis Papiense Sancti Epiphanij Præposito. Decebat enim Sanctissimum locum sacratissimis pignoribus Magni Legislatoris Aurelij Augustini decoratum per peculiares, notabilesq; viros recipi, dum à Canonicis Regularibus Mortariensibus ad Lateranenses obseruantiores transmigraret. Tandem vix sexagenarius obdormiuit in Domino Abbas Placentiæ. Scripsit

In Euangelia quadragesimæ conciones duplices; has superioribus annis custodiebat Atthanasius Arcallius Placentinus summo zelo. *Lib* xj.

AN-

ANSELMVS TANZIVS
MEDIOLANENSIS.





VM hæc alma dudum Orbis vniuersi Imperatrix Italia exterarum nationum armis impeteretur, & quateretur, hinc Gallis, Theutonibus hinc, Hiberis inde præualentibus, atq; imperia figentibus; pacis; & verę quietis amore flagrans Anselmus Tantius Lateranensibus regularibus Canonicis se gubernandum in illorum instituto tradit: vt videlicet Deus, à quo Sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, daret seruo suo illam, quam mundus dare non potest pacem. Mediolani claro loco natus auxit natiuitati splendorem probitate vitæ. Originem à nobili illo, cum primisq; pio viro Petro Tantio ciue Mediolanense ex Genuensibus claris genitoribus tanquam fratris nepote trahere videbatur, ex illo, inquam, Petro qui anno quarto post quatuordecim centenaria humanæ salutis sub ipsis reformationis Frigdionariæ incunabulis monasterium Diuæ virginis Casoretanæ excitauit, hęredemq; suum instituituit. Hinc traducta quodammodo beneuolentia dogmati Canonico animari videbatur. Florebant tum apud nostros ex eadem ciuitate viri illustres zelo regulari, ciuili prudentia, doctrinarum possessione Seuerinus Calchus, Hieronymus Bossus, Simon Aliprandus, Cosmus, ac Desiderius & alij. Quo fiebat, vt exemplis domesticis, non excitatus, qui nunquam obdormiuit somno malo; sed roboratus, stadium curreret tanquam brauium comprehensurus, non in incertum pugnans, neque aerem verberans. Ex ambone populos iugiter docuit lucroso animarum exitu. Sed adhuc frugi maiori futurus, opus meditari cæpit, quo naturam, qualitates, conditionesue temporalium bonorum ob oculos poneret, & solatium in aduersitatibus propinaret; cum alieno operi, at illo quidem eximio, animum applicuit, vt auctoris eminentissimi probatissimo nomine lectores attraheret, & pondus lectioni conciliaret rationum pondere, sententiarumq; varietate. Transtulit ex latino idiomate in maternum italicum quinq; libros Seuerini *Boetij* viri consularis de consolatione Philosophica, illosq; Ioanni Iacobo *Tantio Fratri* dicauit. Alieno opere ad omnem perfectionis ideam elaborato veritatem solatiumue alijs suadere, atq; infundere magis sategit, quam sibi gloram ex proprijs ingenij liberalissimi fœtibus aucupari. In eis partes

omnes exacti translatoris expleuit sensa ad vnguem prosequutus, non verba; quippe qui multa eruditione floreret, & exactam poeseos cognitionem possideret, quod potissimum liquet in ipsa metrorum Boetij transportatione, cum nullibi coactè sed naturaliter fluens, Musas Italicas maximè sibi domesticas demonstret mutato semper carminum genere, vt ipsum Seuerinum in hoc quoque imitaretur. Hos eosdem libros deletis ferè, & absumptis copijs ex diuturnitate temporis, nullisq; nostrum formas calcograforum opera amice reuocantibus ad præsentis sæculi limam, transtulit Ludouicus de Dominicis postulante Carolo Quinto Augusto atq; mandante Cosimo Mediceo Florentinorum Duce sub anno quinquagesimo superioris sæculi apud Laurentium Torrentinum. Quin & post annos duodecim id ipsum præstitit Benedictus Varchius Florentinus clari nominis scriptor, vt est apud Michaelem Pociantium in cathalogo scriptorum Florentinorum, & ex Veneta æditione transacti anni sexagesimi secundi. Lubet hinc deducere quanti volumen faciendum tantoties excitatum, & quam amplè Anselmi iudicium commendandum, cum infæliei eo sæculo rem tam egregiam elegerit. Extabat ipse inter viuos Anno Domini vigesimo quinto post sesquimilesimum. Est illius

Seuerini Boetij de Consolatione Philosophica Translatio in italicum Idioma. Mediolani apud Augustinum de vicomercato Anno 1520.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

Nobile qui quondam mæsta testudine carmen
Prompsit flebilibus modis,
Qui Sophiam Latio fecit sermone miscentem
Tot solatia fletibus;
Hetruscis variat Latialia verba susurris,
Funditq; ambrosium melos.
Fallax terrifico si obducit turbine vultum,
Sors vel nubila congregat,
Squalida perpetuo madeant vt lumina planctu
Et curæ extenuent genas,
Hæc lege, discussis remeabunt gaudia curis,
Et mestus fugiet dolor,
Qualiter ingenti dum verberat aera flatu
Nubes discutiens Notus.

A N-

ANTONIVS MISEROCHVS RAVENNAS.



VAM malè inter se conueniunt quę Antonius Miserochus egit,quęue scripsit.Illa quidē quā multa,quam varia, quamq; grandia, hæc verò quam breuia, quam exilia, quamue extra magnificas voluminum formas. Immo quam bene inter se conueniunt, Antonij Miserochæ acta, scriptaue: quam armonicè calamus, & digiti, manus,atq; mens coiere; cum de perferendis aduersis breuiter quidem, & summariè, sed vtiliter scribens, quæ in se ipso fuerat expertus per epilogum cumulata sinceriter expressit, & absq; fuco. Quis electricem applicet manum ad lata spacia occupantem stuppam, dum pondere præualens,ac splendore aurum minora implet, sed maiora perficit? Neutiquam eruditorum lucubrationes calamo mensurantur arundineo: ab auraria pendent trutina, & sacrarij lance expenduntur. Quis nesciat omnium sæculorum,sed huius maximè morem, quo sententia Anaxandidæ apud Atheneum in cæna Dipnosophistarum impletur aduersum vberrimas quam plurimorum diuites, voluminosasq; chartas? Quam Liricus præco Venusinus in hanc expressit formam.

Deferar in vicum vendentem thus, & odores,

Et piper, & quidquid cartis amicitur ineptis;

Ne miserabiliores proferamus accessus, & infeliciores conuectiones ad lardarios, sardarios, & casearios. Non ambulauit Antonius in magnis, neque in mirabilibus super se;sed sicut ablactatus est super matrem suam,ita retributio in anima eius,cum profitetreur non minima esse, quæ bona essent, nec magna, quæ mala. Pauca scripsit;sed proba; ideoq; vt prior dedit, sic retributum est ei: quia quæ seminat homo, hæc & metet. Dum Constantius de Vecchis Mediolanensis Rectorum Generalium quinquagesimus nonus Congregationem Lateranensem moderaretur, Antonium enixè per Conciues Rauennates locum deprecantem,in nostra iura admisit longa cathechisi ex vetere more probatum. Annum ipse agebat ætatis circa sextumdecimum sobriè educatus inter honestas honestioris familiæ fortunas, promicabantq; compositæ, & ad frugem satis dispositæ mentis indicia, quę adolescentem retrusere in quadriennem inchoatiuæ partis caminum, quo ad progressiuę methodos tanquam vas auri solidum efformaretur, perfe-

ctionem suis loco & tempore adepturus, & contenturus. Disciplinis deinceps Naturalibus, & sacris attributus est in arena gymnastica disceptator vsq; ad sacerdotij assecuti tempora, tum enim per Generalem Synodum aperta sunt labia eius ad enunciandam Dei laudem in Euangelicæ veritatis explicatione atq; præconio. Ex facta sibi concionandi facultate tum demum proximius agnouit Canonicæ vitę praxim ęgrè seruari posse ab illo, qui sibi tantum viuere posse putaret; cum illa ex mixto quodam Actiuę, Contemplatiuęq; dudum oborta, tum etiam similibus incrementis insisteret. Iuuit propterea methodūm ad eos vsq: dies sibi ipsi seruatam permutare ad aliena cōmoda: & qui voluntario prorsus silentio sibi ora obligasset etiam in permissis gymnasiorum certaminibus, ne ambitiosa quadam iactantia ostentationem ingenij faceret; decreuit scientifico mugitu in speciem bouis triturantis alienas aures opplere, aliena pectora halitu calidiore fouere. Hinc commendantibus promotoribus magistris, qui taciturnitatem non ab stoliditate tardioris ingenij, sed ab electione sanctioris voluntatis labendi nimium suspiciosę intimè nouerant originari; ad Dialecticam profitendam assumptus est, eodemq;tempore ad probationis alumnos instituendos. Prior huiusmodi regiminis executio suasit Maioribus illum ad efformandos mores aptissimum exemplo pręsertim vitę patientia, & taciturnitate ab ipsa penè natura factum, à quo ætas abijceret incommoda senectutis frigescentis, & opinosum temperamentum, virtutibusq; moderatū induceret veri rectoratus igniculos. Diuturnior verò prorogatio affabrè pleraq; docens experimento comprobata, cathechisis perfectissimę apicem pectori eius imposuit, secundum quam initiandos ordini aut deterreret, aut animaret; initiatos verò nouis, & castigatissimis indueret actibus. Arduum Magistratum, sed charitatis vndiq; luce scatentem duodenni perseuerantia gessit ob omnium oculos versans, in omnium ora constitutus. Ab illo ad Pręlationem translatus est per vniformia eligentium suffragia nunc Prępositus Imolensis, nunc Tolentinas, vsq; dum iactis maioribus fundamentis, ętateq; confirmatus, & auctoritate Abbatię Portuensi apud suos Rauennates præficitur. Dignitates huiusmodi ad virtutem ornandam inductæ, adq; concinandos labores exactos, in semina conuertuntur angustiæ, & ærumnarum. Siquidem cum circa publicæ administrationis iura dissentire cogeretur à potentioribus alijs, neq; tamen tempori cedens tutò se dissimulare posse arbitraretur; palam sæpius causa sua in cassum perorata, absoluitur à Prælatione, præualentibus in ministerio impotentibus aduersarijs,& in ordine subditorum redactus ablegatur in extrema Montisferacis in Cratensi Monasterio Virginis Deiparæ sacro. Æquanimis tollerantiæ robur acceptiorem reddidit Congregationi virum,reuexitq;in pristina cum fęnore; dum peruicit inter humilia subiectionis diffidentium à se prelatorum opi-

opiniones, ſuamq; perduxit in ſententiam, qui inter alta dignitatum ſuſpicaretur auctor rebus innouandis. In quantula illa exilij mulcta opuſculum illud compoſuit quod de tollerandis aduerſis, & de falſa proſperitate malorum inſcripſit. Atq; hoc pacto ab mali conditionibus bona eliciunt ſerui Dei, quorum cura non venter eſt, ſed animę ſalus. Italicè ſcripſit, & pręſsè vt expeditius per omnium manus opuſculum peruolaret, quo omniũ pectora indigere putabat. Et cum rerũ experientia probatarũ narraret hiſtoriam, ſed non hiſtoricè; nullibi tamẽ lapſus eſt, vt Cinicè carperet quẽquam, inuectus in vitia, non in homines. Stoicè potius cauſam egit, quatenus Stoica dogmata Euangelicę veritati famulari poſſunt. Adminiſtrationi reſtitutus nil antiquius habuit, quam ſe totum dedere patrio amori, ab cuius fece perpurgatus, & vſtus Canonicos per virtutis dignitarumq; iter direxit, vt illa vna ſererent, hiſce pluribus colligerent publicum decus, & ornamenta. Hinc non ſemel iuniores, poſteriuſq; Religionem profeſſos, neq; adhuc Reipublicæ attingendę introductos, ſibi pręponi curauit, pręcipuè vero Seraphinum Merlinum, de cuius ſeueriore diſciplina bene conſcius, ominabatur Congregationi optimè ceſſurum illo adminiſtratore. Neque prudenter pręuidentem feſellit exitus ipſe, vt ſatis alibi proſequemur. Ex huiuſmodi minimè, vel ſaltem minora ſibi curantis, arte Rauennatum ſuorum animos ſic in ſui pellexit amorem, admirationemq; rapuit, vt ad hęc vſq; tempora non inſigniter tantum nominetur, auribuſq; ac mentibus exterorum Portuenſem ad Academiam ſtudij cauſa accedentium inſtilletur, & reſonet; ſed etiam eius vel dicta, vel facta auctoritatem faciant, atq; in exemplum adducantur perenne. Nos quidem ibi Philoſophicas, Theologicaſq; ſcientias erudito Auditorio aliquando interpratati, acutiſſimas, pleraſq; ſolidaſue viri ſententias, flammea dicteria ab gubernantium Abbatum ore prolatas, & exceptas admirati, reueritiq; ſumus intimè. Nec dubitamus illas perpetuo duraturas, ac memorandas, dum traditione quadam deſcendunt à Patribus in filios ſpiritus, atq, nepotes ſucceſſiuè exceptas cum plauſu. Interea temporis Camillus Becius Caſalenſis in Abbatem Generalem iam promotus ab Comitijs Rauennatibus anni milleſimi quingenteſi octuageſimi octaui diplomate Potificio in idem regimen prorogatur per aliud triennium, nouo quidem quoad Congregationem exemplo, neutiquam tamen eidem inutili, ſi tanti viri ſolertiam, egregiamq; induſtriam attendamus magè, atq; gubernationis exitum ipſum, quam fundamentalia Ordinis inſtituta, inuiolabiliter vſq; tum obſeruata, ſi annualem caſum Petri Franciſci Riuę Veronenſis excipias mera ex neceſsitate obortum. Quare cum per eandem Apoſtolicę auctoritatis ſanctionem Gregorius Quartuſdecimus caueret, vt quattuor Collegæ Viſitatores in Ordinem redigerentur, ſolaq; tantum Generalitia poteſtas firma perduraret, coacto Cremonę Generali con-

uersæ sententiæ suspicionem. Vixit post functum Visitatoratum ad quinquennium, eius etiam temporis maiore parte absumpta in aliorum gubernatione, quæ probatæ illius virtuti in omni couuentu offerebatur. Decessit anno vno ante sæcularem Millesimum Quingentesimum Rauennæ Leonardo Giraldo à Mondulfo Abbate, sepultusq; est cum patribus suis. Quāti illum facerent Rauennates, quibusue exercitijs conciues, & Concanonicos occuparet clarè posteritati testatum reliquit Gabriel Pascolus in eo libro, quem de vera hominis effigie italicè attitulauit. Dum sibi vberrimè, & constanter complaceret super disciplina Seraphini Merlini de claustro seuerè sentientis, complanauit illam eius virtuti viam, quam ille postmodum citissimè cucurrit, & super cuius semitas inculpate, vt satis creditum est, nostro æuo triumphauit. Nec dubitauit se Antonius exhauctorari, vt auctoraretur iste in spem maioris, meliorisq; frugis. E contra aduersabatur Ambrosio Prodano viro alioquin cordato, & docto, eiusq; methodum declinauit in omnibus ex corde. Superstat ex eius calamo.

De tolerandis Aduersis, & de falsa prosperitate improborum. *Lib.* I.

Leonardi Sarctij Bargæi.

LVgubris extincto fleret dum mater alumno,
Atq; sinum largis mæsta rigaret aquis:
Et socio Elysios optaret funere campos:
Et Superum duram sollicitaret opem:
Diceret & sæuis crudelia sydera dictis:
Et fleret tardos ire relicta dies;
Ah modo curarum abruptis iactata procellis
Angitur, & pectus tristior AEtna premit:
Ah moritura super crudeli funere luget,
Ah sibi sanguineas iam minitata manus,
At cum de erumnis, quem scripserat ille ferendis
Aspiceret librum, tum dolor ossa subit.
Vix illum mortis tanto vicina periclo
Perlegit, subito cum dolor omnis abest.
O mirum: Viduo qui infixit pectore vulnus
Ille ferè vitam perdidit, atq; dedit:

Aucto-

APOLINARIS CALDERINVS RAVENNAS.



EGNORVM, Principatuumq; Iura apud nationes quascũq; omnes, in quibus literarum cognitio floruerit aliqua, Scriptoribus semper subiacuere diuersis. Plausibilis namq; materies, & auribus semper arrectis, cordibusq; patulis recepta lectores inuenit siue ociosos, siue curiosos, siue honesti, vel vtilis, aut delectabilis sequaces, qui illam deperijsse patenter demonstrarint; atq; ideo multiplicare Auctores, qui de illa egerint. Nullus tamen postremis hisce temporibus inter tantos comparandus venit. Cum Ioanne Botero Benensi Abbate Sancti Michaelis clusarum. Vir etenim pietate animi pariter atq; doctrina instructus, euulgatis decem libris Italico dictatis idiomate ad Volfangum Theodoricum Archiepiscopum, & Principem Saltspurgensem, breuiter, ordinatè, distinctè sucosè, clarè quicquid de tam insigni, præclaroq; themate pertractari, & à Regibus, Principibusq; viris cognosci operariuè poterat complexus, nil de illo vel intentatum, vel ieiunum omnino reliquit. Quin & vices plurimorum miseratus, qui totos se incautè committebant lectioni auctorum damnatæ memoriæ Nicolai Machiauelli, Ioannis Bodini, fortassis & Cornelij Taciti; alias ingressus semitas, quibus omninò fundamentis, quaue methodo vera Regnorum Iura & instillari, & addisci, & in operationem deduci possent plenissimè comprobauit; monstraq; auerni illa de loco apud cordatos deiecit. Verum de tanto viro alij plura æquissimè. Huius prouinciam nobilem gloriososue conatus Apolinaris Calderinus Rauennas admiratione complexus, in illarum lectione adeo sibi primum complacuit, vt frequenti quodam vsu non modo continuus ipse eos proterreret; verum etiam & alijs proterrendos (si quibus nō innotuerant sub primis illis cussionis Temporibus) suasor officiosissimus accederet, apud eos præsertim, qui præfecturæ alicuius sapore inspergendi essent: deinceps verò, quoniam lectio placens æstum mentis excitat, & ęstus in conceptum, & in featuras erumpit, Boteri studia, ac mentem quodamodo ęmulatus supra eiusdem libros cępit ampliores sermones, quos discursus dicunt, extendere. Paucis enim verbis plurima perstringens ille, & molem maximam sub breuibus periodis amplectens, atq; coarctans, (vt illorum est consuetudo,

qui præcepta scribunt) ampla reliquit spacia, quæ occuparentur, si qui post se futuri essent, qui latius res ab illo præssius tactas ampliore prosequi calamo arbitraretur. Erat Calderinus suoptè genio viuidus, & alacer, quem diuturniora studia magis exacuere, præsertim circa politicæ gubernationis neruos, & axiomata. Quippe ab educatione sæculi ad Religionis æraria secum detulerat longam, vberemq; supellectilem ab mitioribus excultis disciplinis comparatã, cuius ope, & in Acroases Phisicas, & in Agiographa Diuinorum sese immiscere, & ad decus vsque laureæ pertingere pronum habuit. Verum ijs insistens semitis, super quibus non adeo fræquentes obseruabat iungi sibi ex Ordine Comites, triplicia Aristotelis Moralia, fortèq; Politicã vigilijs triennalibus exercitationẽ priuatã voluit; quam Platonis de Legibus, & de Republica libri, Xenofontis Pædia, Senecæ, Plutarchiuè elaborata condirent. Historicos insuper auctores triplicis præsertim idiomatis Græci, Latini, Italici summa contentione versauit: ex quo postmodum factum est, vt ab Boteri lectione veluti prouocatus, vel ex perrectus in scriptionem eruperit vberem. Tenacis enim beneficio memoriæ suppeditantis exempla, & multa, & egregia ad assumptum thæma quodcunque de facili ab negotio alioquin arduo extricabat se, allecturus tamen omnino, lectores. Quoniam vero instabat vt proficuus dignosceretur populorum maximè moderatoribus, recentiora magè quam antiqua, vt potè in disuetudinem ob temporum varietatem dilapsa suscipiebat, promebatq; euenta. Neque hæc indignationi obnoxia Principum, de quorum actionibus aliquando minus laudabiliter iudicium erat proferendum, constantem virum detriuere quominus (procul tamen ab omni liuore, & amarulentia) ab instituto desiliret. Sub centenarij sigillo numeri Sermones huiusmodi Politicos terminauit, quos in tria, vt ipsemet in proemio primæ partis testatur, partitus est volumina: sed morte præuentus vnicum tantummodo euulgauit, cetera post eius obitum hinc atq; hinc distracta interiere, fortassis & apud laicos consanguineos conseruantur. Scripsit autem antequam Ferraria, & Principum Atestinorum Principatus ille in ditionem Ecclesiasticæ possessionis deuenerit, vt colligere est ex discursu vigesimo sexto, eoq; postremo primi voluminis, & eo fermè tempore, quo inter Allobrogum Regulum, & Heluetam Rempublicam primum fœdus ictum est, vt ibidem habetur. Ab typis Mediolanensibus prodijt primo Apud eruditos, & nobiles magnæ Ciuitatis apprimè notus, & inter Inquietos illius Accademicos adnumeratus: dum interim cum populo ex suggestu fræquens, & facundus ageret, insubrasq; Ciuitates alias in quadragesimis excoleret.

Est igitur ab eius calamo.

De iuribus Principatuum pars prima ad Decem libros Ioannis Boteri Serenissimo Parmæ Duci. Recussa Bononiæ apud hæredes Rossij anno 1609. *Lib. 1*

AR-

ARCHANGELVS PONA VERONENSIS.



ESIDERARI fortasse à quoppiã nec, insulsè potuisset in Archangelo Pona Veronense ingenij solidioris firmitas, floridioris elegantia, nequaquam. Verum vltima vitę periodus abdicat ab illo omnem leuitatis criminationem, dignosue commẽdat ausus,& meliora concupita. Patre orbati labilem, & omnis impressionis admissariam ętatem direxerat Patrui institutio, & cura, viri feuerioris ferulo, & doctrinarum non gregariarum. De anno quinto huius, in quo agimus sęculi ad Diuum montis Donici carceratorum protectorem Leonardum inter neophitos ordinis adscribitur sexdecim annorum adolescens Iosepho Semperuiuo admissore. Perfectionis Religiosæ studium incendit facilè præcordia iuuenilia nullo pridem plena possessore alieno. Hinc celeritate gressuum supra ætatem stadium sacrum dimetitur ad bonam vsque metam: exercitationesq; assiduæ omnem excludebant rubiginem, quæ aliquando ab inimico homine superinduci tentatur. Ingenium suaptè natura ferax, & sæcularium disciplinarum præsidijs egregiè fultum, atq; de Veronensis Ciuitatis nobili assuetudine venustum alimenta poscebat scientiarum superioris ordinis ab maioribus Ephebiæ directoribus vel ipso nil exposcente iuuene. Patuere statim celebriores Accademiæ Placentina, Rauennatensis, Patauina sub professoribus illustribus Hieronymo Carandino, Constantino, de Sauijs, Ascanio Arbizano, Michaele Angelo, Parpagliono, & Gabriele Penotto. Sub condiscipulatu quolibet paucos, vel & nullos superiores in assistendis sibi disciplinis agnouit, etiam si tepore infringeretur, vigilias scilicet, longumq; laborem, atq; perenne aliorum studium coæquante mentis acie,& in omnem se plectẽte methodum oratione, ac quicquid alij molirentur altum, maturumuè assequente. Nos quippè eundem aliquando conuictores ad viridarianũ lyceum non satis pro debito mirabamur. Geographicis, Cosmographicis, Astronomicis extra ordinem addiscendis vnum sufficere, omnibusq;adesse egregia cum laude,similiq;profectu. Verũ dum vber incumbit intellectui perficiendo etiam per inanes curiositates, interiora negligit sui, atq; sensim exuitur meliore animæ indumento. Nimiam sæcularitatem, hoc est sæcularium præ debito legum conuersationem, ac fre-

F 2 quen-

quentiam primus increpat Columbinus de aduocatis Bergomas Abbatia fungens: acrius de hinc vrget reluctantem, vel saltem caliditate declinantem monita. Labitur perferuidum cerebrum ex debiliore neuo in errata crassiora: quorum demum luce rationis affulgente pertæsus admissionem, & exosus contumaciam, ad abluendas, abstergendasuè clariore pœnitentia maculas zelo quidem bono, sed in consultis fermè viribus, ac præpropera deliberatione, Miuorum Seraphici patris Francisci, quos Capucinos dicunt, habitum induit Leuita. Bona duxit voluntas abeuntem ad seueriora, eadem animauit ad tolerãtiam, distinuitq; octimestrem inter asperitates, & experientias salutares innumeras ab probis illis Ascetis quasi in phalangem dispositas. Verecundia damnum inepta non cathenauit reuertentem: nec pia mater Cõgregatio viscera clausit, vt reijceret reducem, cuius commiserata vices debilitati intulit culpam. Non defuere tamen ab aliquibus moderanticè increpationes priuati iuris, à quibus iaculari salutare fuit. Stadio litterario perficiundo restituitur, & cum Presbyteratu Doctoratum Theologiæ recipit ad panem verbi frangendum. Munus obiuit aliquot annos diuersis in ciuitatibus quadragesimando, Brixiæ præsertim ad Afram, Patauij ad Luciam, Taruisij ad Episcopium, Mantuæ ad Barbaram. Haud sibi tamen facere satis videbatur in fructu metendo, & oblatrantem dicebat pati conscientiam, quæ ad seueriora prorsus impelleret, in quorum actiua perfunctione vim suadellæ penes populos adesse sentiret; infixos insuper gestare stimulos, quod deseruerit Capucinam myriadem. Obfirmasse ab priore illo ingressu cum ætate pectus, vires, & stabilisse ad summa quæque perferenda cor. Exactius tamen agendo maturat dignotionem spiritus, vtrum ex Deo, consilia ab prudentibus vitæ interioris professoribus petit, orationem adhibet interpellatricem, & formiter se habentibus tot medijs, secundum curat ab illis recipi. Iam inter Canonicos attigerat officia minora Reipublicæ. Dialecticam Arimini interpretari iussus, annum peregerat, nec ad vlteriora scientiarum profitenda assumi curauit irrequisitus. Prioratus claustralis, vt appellant, sarcinam, nec leuem triennis portauerat, sine cuius ministerio nullus honores infularum æquè asperos, ac speciosos adire ex præscripto præsumit. Ab his demum omnibus non compede, non manica irretitus repedat ferè quadragenarius ad Capucinos, vbi professus post annum eam seueritatem non ita diù vitam commutauit cum morte consummatus in breui explens tempora multa. Scripsit Canonicus

Exercitationum Mercurialium libros quatuor, quorum Caduceum, duos sequentes Pileus, Serpentes, postremum Talares inscribebat. Eos Venetijs vidimus ipso Opus communicante: non tamen aliquando custos credimus.

Item de laudibus Diuæ Virginis, & Martyris Catharinæ Orationem Italicam,

quam

quam habuit Brixiæ in templo Diuæ Virginis miraculorum nuncupatæ, ad Accademicos Errantes, de quorum ipse societate potiebatur, eamq; Ascanio Arbizano Visitatori dicauit. Taruisij apud Angelum Righettinum Anno 1622.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

MVndanas exosus opes, pertæsus honores
Ad Lybici volui viuere Dogma Patris:
Mista sacros inter latui tantisper olores,
Hispida mox nostrum texit aluta latus:
Excepit at rursus niuei me formula cætus,
Rursus & hirsuto tegmine membra domo.
Risit Athlantiadis dubios solertia motus,
Hic nostri cætus viuat alumnus ait;
Iste caducæas artes, variosq; cothurni
Tam varia poterit promere mente dolos.



ARCHANGELVS RVBEVS
CREMONENSIS.





VM robusti ingenij in studijs contumacia, numq; polleat fortis voluntatis decretum in euehendis ad virtutum apices hominibus, haud obscurè indicauit Archangeli Rubei Dignitas dixerim, an Prudentia? Quandoquidem stipendia canonica promeritus in Ædibus Diui Petri ad Padum Cremonæ vix egressus ex Ephebis eum animi ardorem morum pietati coniunxit ad cucurrendum scholasticarum doctrinarum stadium, vt ardua quæque improbo labore superanda fortunato euentu susceperit. Viuida quidem intellectus fœcunditate peruium illi quodcunq; obscurum Dogma fiebat; ; at qui tamen fundamento egeret, ne eleuatus acumine nimium semper veloci, debita soliditate firmioreq; basi careret. Ea propter Magister è discipulo factus post octennem auscultationem præceptoribus doctissimis præstitam, & Doctoratus Laurea obtenta de more, Dialecticas artes,deinde Philosophica, postmodū Theologica Arcana alijs & explanauit,& peruia fecit, labore quidem assiduo, sed fructu non impari, nec sibi, nec Congregationi pænitendo. Plures Accademias gubernauit è suggestu discipulorum diuite numero, quibus passim satisfac eret potissimum dilucida eius docēdi methodus semperq; distinctissima.Natura autem Eloquij per quā parcus,& sobrius duriuscule extra scholastica munia agere videbatur semper sui continens,& propositi maximè tenax. Sexdecim annorum spacio alijs insudauit: reliqua tempora illi permissa fuere, quæ exegit tanquam propria, iugi scriptura contemplationes scholasticas firmans. Fratrem habuit natu maiorem Frigdianum Rubeum, cuius exemplo, & suasionibus inter nostros adscribi voluit. Mirum tamen quanti genium disiungeret, quos natura coniunxerat, tàm intimè,fouebat educatio, beneuolentiaq; firmabat. Frigdianus enim solertissimi ingenij vir,quod ab contemplatione, & exercitio scholasticarum didicerat totum contulit ad agendum. Atq; ideo ad Rempublicam curandam assumptus inter paucos habebatur ex illis, qui Ordinis habenas moderarentur intrepidè. Hinc Abbatiæ Cremonensi præfuit: Frigdionariam Canoniam primariam Reformationis sedem Prior gubernauit: Generalem ordinis Procurationem Abbatiamq; Romanam gessit singulari cum laude: Censuram in visitanda Congrega-

gregatione triennis exercuit assumptus in Comitijs Rauennatibus Anni 1594. Ascanio Martinengo Rectore. Archangelus verò totus speculationi vacans, solitudini, atq; studio solatium omne in contemplatione reposuit. Nullum optauit in congregatione Magistratum, quamuis ab habitu suscepto quadragenarius esset. Pia tamen parens, & laborum in filijs merita Respublica assignata illi in Titulum Prælatura earum, quæ absq; annexo gubernio sunt; virtutes magis honestauit in viro, & commoda fecit iusta otia maturæ virtuti. Cum edidisset diuerso tempore super primum, secundum & quartum Sententiarum libros clarissimas, & solidissimas distinctiones ad Clementem Octauum introductore Camillo Burghesio Cardinali; ab eodē in Paulum Quintū assūpto ex Abbate Sācti Iuliani propè spoletum repositus est in Albo Pontificum Caleni, quæ vrbs propè Neapolim in Campania, nunc Carinula dicitur. Scipionem Burghesium Cardinalem ex nutu Pontificis inuitantem, vt apud se esse vellet, verbo saturauit non facto; qui fortè (vt creditum est) quietem religiosam præponeret altioribus, pulchrioribusue spebus, & in Episcopatu ab iuuenilibus annis susceptum vitæ institutum retinere posse non desperaret, quod in aula pessundari certo certius apparebat. Attigit tertij lustri aliquot menses vel circa Episcopus, & ædito super tertium sententiarum volumine integrum dedit posteris laborem suum. Hoc autem illud est Opus, quod postmodum approbate vniuerso Theologorum cætu ex publica fama, & ex distractis, ac perquisitis hinc inde voluminibus; nos mandante Reuerendiss. Faseolo Generali in clariores reddidimus formas pauculis additis ex Marte ad loca: apposito insuper (vt putamus) non perperam in fronte ex aliorum vocibus, & exemplis Doctoris Distinctionum nuncupatorio nomine. Prorsus verò id æquum illuxit, ex eo quia imminuens iunioribus studentibus laborem, diem, ac sumptum, & iuuans prouectiorum memoriam, per breuissimum, & æquè lenè iter ad præcipuarum materierum interiorem medullam possidendam inducat. Collegit enim ipse ex aliorum sapidis lucubrationibus preciosiores explicatas doctrinas, quas reducens ad vnum in clarissimam Distinctionum Methodum, & maiore ex partè speculationes proprias, eodem modo annectens, omniaq; Distinctionibus explens, quis non ipsum, tanquam primum talis ordinis à principio vsq; ad finem excogitatorem, introductorem, & Auctorem, Doctorem Distinctionum iustè vocitabit, ni aliquo inuidiæ, vel liuoris estu comburatur? Hoc vnum dixerim, quam maxima illi referre qui in disputationibus eius opera vsi sunt, quando vel tempore possit fieri satis super plurimo quoq; dubio tentantibus. Reddidit spiritum Deo anno 1618. cui præceteris parentatum est nobili funere in ędibus Augustinianis Placentię ex Angeli Gabrielis Anguissolę munificentia.

Scripsit ergo

Super

Tum reliqui ingeminant plausus, matremq; salutant.
Tum verò vt Regina viris, gestisq; tumebat
Inflata, & tumido effundebat vertice fastus,
Vt parte ex alia venit vicina Cremona.
Ac velut Eurotæ ad ripas, collesq; virentes
Idalij nemoris, Cytheron, paphiasue choreas,
Festinat Cytherea pedes, quam mille coronant
Hinc, atq; hinc densæ comites, Nymphæq; canentes;
Illa tumet socias inter, gressuq; superbit
Alta humeros, tacitoq; fouet sub pectore risus:
Talis erat veniens, talem, se læta ferebat
Per medias, instansq; viæ, laudiq; Cremona
Tum propter ripas (quia iactans forte manebat
AEmula, præclarosq; viros, magnosq; triumphos)
Septa choro, saxoq; altè subnixa, resedit.
Illaq; vicinæ comitatur exterrita magno
Erubuit, victaq; erupit fronte timores.
Hæc prior. O' quænam tanta fiducia laudis
Mantua? Adhuc audes nostris certare triumphis?
Esto, vt Meonidem Latium, sacrasq; Sorores
Extuleris, primus qui fontes hausit opertos
Peridumq; fauos, nostras qui primus ad horas
Vt fama est, rediens deduxit vertice Musas;
Esto, nec nostris ideò contende triumphis
Non ne tenes? Quoq; nos nostro de ventre camænas
Fudimus, & nostros stupuerunt sæcla Poetas.
Non mihi post primos hæserunt viscera partus
Fessa mihi: Fæcunda dedi vel mille Marones
Ipsa triumphalis spectaui mille triumphos.
Non ne vides? Superi pleno cognata fauore
Gaudia, splendoresq; nouis splendoribus addunt.
Vix mihi iam varij fæcundi gloria plausus
Sopierat, venit superis quasi missus ab oris
Lampridius, vix Lampridium mihi Parca peremit
Inuida, cum cecinit vera pietate Catonem
Fama mihi totos terrarum sparsa per Orbes
Non ego, cui sacri verum docuere parentes
Ficta loquor commenta: pijs mendacia sordent
Facta probata cano. Meus hic Archangelus vnus
Vnus qui sana pensat mihi mente Maronem.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

SCandit inaccessas sacræ ad Palladis ædes,
Et culmen sapientiæ
Arcanos lustrare sinus, penetralia diuum
Quiuit viribus ingeni;
Hinc monadis Trino resplendens lumine Numen
Nati, Spiritus, & Patris,
Quantaq; cælestis Solymæ, & quæ gaudia nouit
Cælestes animas beent,
Quæq; hausit docto exarata volumine nobis
Facundo explicuit stylo.
Percita nunc queuis iam terram exosa voluntas
Tam dulcem patriam expetit,
Tædiaq; inuisæ vult longa abrumpere vitæ,
Vt gaudens penetret polum.



ASCANIVS DONGVIDIVS SICVLVS.



YMNASIIS clarissimæ Societatis Iesu accepta refferri debent in semine,quæ ex promptuario Ascanij Donguidij Siculi prodiere. Aliquãdo enim admissus inter doctissimorum illorum Patrum numerum, & eorum disciplinæ adscriptus; merum illud, quod postmodum eructauit, ebibit tam de pinguedine spiritus, quam de varietate doctrinarum. Eructauit siquidem cor eius verbum bonum, & dixit opera sua Regi, valens sic verbis, & scriptura, vt iure dicere posset, Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis. Ab illis ad nostros deportatus fæcundas arbores æmulatione superans vbertatem priorum agrorum, quantum in se per vim nutritionis attraxerat, non deserens; domesticam dulcedinem nostrorum hortorum exornauit, & varietate sua auxit, ac numero. Quid causæ virum iam ex illis castris raro exemplo ad has legiones attraxerit, nostræ vestigationis non est; nisi dicamus, quod Spiritus vbi vult spirat, & eum militiam prorsus non mutare, qui sacramento militari eundem profitetur Imperatorem, inferiores licet emutet ductores, & varijs vtatur coloribus, ac varias induat clamides, atq; lacinias. Cum primum Religionem intrauit ex speciali concessione Ascanij Martinengi Summi Præsulis donatur Rocheto cum manicis. Ex speciali, inquam, concessione quandoquidem Tyronibus Congregationem intrantibus in anno probationis Rochetum absq; manicis dare consueuimus, quas in signum, & inditium professionis anno expleto, & votis præstitis addimus, quoniam ex antiqua traditione habemus Magnum Legislatorem Augustinum discreuisse tali nota Episcopium à Seminario Horti, atq; ita decreto sancitum est apud nos. Martinengum verò ad speciale hoc indulgendum induxit Sacerdotij dignitas alijs adiuncta dotibus. Adamauit Congregationem impensè, & de aliorum more, & supra morem aliorum. Antiquioribus illius memorijs peruestigandis se totum dedit, & per annos multos è tenebris sæculorum ad lucem nouæ, & subtilioris ætatis veritatem dignitatis illius tum origine & procursu, tum diuersitate familiarum, ac numero educere festinauit. Arborem nostræ Religionis ex eius sedulitate,atq; studio agnoscimus typis æreis excussam, forma quidem aliquanto præssiore, & minutiore in figu-

ris

ris (vt nonnullis placet) at certè nobis valdè probata, & ingeniosiore. Cum enim adnotasset rerum taliũ cognitionem peruiam esse debere cuiq; hominum conditioni, & ob oculos corporeos positam promptius saltem allicere eos præsertim, quos vel minus doctos populorum, vel haud in historijs versatos aliæ etiam doctrinæ, & artes admitterent, & retinerent; optimum adiudicauit vniuersam seriem Canonici Ordinis in virentis arboris speciem compingere, & vniuersos sic aut quoq; ex transitu capaces de re sua reddere. Hoc iustis euentibus non remansisse fraudatum, & alios complures postmodum Religiosos cætus imitatos esse; Impressores non modico lucro probauerunt. Expeiere in eo pleriq; maiorum solidiorem prudentiam zelo bono, quod præseferrebat ardenter, coniunctam. Quippè hoc ipso extimulante rebus innouandis studuisse compertus est, quas illius defectu ad exitum, ac maturitatem non modo non adduxit, sed fermè in pustulas contumaces, & acres conuertit. In Siciliam transfretatus Messanæ Patriæ diù constitit Prælatorum Ordinis permissu, vt domesticas labantes res instauraret, corruentes sustineret. Vitæ exemplo, morum integritate, eloquij casta facundia sibi multos composuit, qui non hospitia modo, sed & formatam Domum Congregationi exhiberent proprio ære excitatam, & ornatam. Id autem feruentius ex eis postulatum est, cum diuerso tempore concionantes ex nostris per maioris ieiunij dies audissent in summo templo grandi frequentia, & fructu Herculem Monaldinum Rauennatem, Theodosium Baddinum de Gatinaria, Celsum Dugnanum, & Ascanium Ordeum Mediolanensem, atq; Seraphinum Collinum Venetum Concionatores clarissimos. Cur verò ad exitum res non peruenerit, præsentis negotij non est. Ipse ne interim noctes terrere suspicaretur, die tota in proximorum lucris occupatus, ne ve inanis, aut symbolo vacuo ad Monasteria continentis reuertisse videretur, quod parabat; manu admota calamo ex officina spiritus conuiuium illud viuificum elaborauit, & parauit, in quo italico idiomate Sacratissimæ Sinaxis præparationes debitas expromit, & exprimit. Ibi sub explicationibus, & pijs considerationibus centum quinquaginta mysteriorum vniuersam Christi Domini vitam prosecutus animam dirigit ad se dignè disponendum pro Sacrosancta suscipienda Eucharistia. Opus Cæsari Baronio Cardinali Sanctissimo nuncupauit: atq; in re tanta Boetium Seuerinum de Consolatione Philosophica meliori intentione, quam stylo imitatus, prosa, atq; metro materias omnes excribrauit, vt nempè carminum illicijs voluntates per intellectum attraheret, & fessas recrearet, sustineretque. Specimen certè suæ pietatis, & in Sacramentum Sacramentorum deuotionis per ipsum opus exhibuit. Vitam mutauit cum morte ad annum Domini 1609. Quæ ergo ex dictis edidit sunt.

Cano-

Canonici Ordinis in vniuersum arbor æreis formis excussa Venetijs.

Sacrum Conuiuium à Christo Domino Fideli animæ præparatum sub consideratione centum, & quinquaginta Mysteriorum. Venetijs apud Nicolaum Misserinum 1599. Italicè. Lib. 1.

Est etiam apud nostros communis opinio illum composuisse volumen, in quo prædictam arborem ad vnum declaret. Verum nos de hoc nil certi vsque modo habemus.

Leonardi Sarctij Bargæi.

QVi legis hæc viator,
Et lyras mœres Latias, & Citharas Etruscas,
Hic lacrymis opertas
Quæ silent nunc, Ascanius dum requiem sepultus
Hic capit in sepulchro,
Quæ timent turbet placidos ne gemitus sopores,
Si patrijs ab oris
Accidet, tandem pelago carbasa des profundo
Littora, vel secutus
Nauiges cautus, rapidas vt fugias procellas,
Et pelagi timores,
Si legens littus, Siculis aduenias arenis
Expositus phaselo
Tum gradū sistas, precor, hæc grata mora est, videbis
Quod iuuet; hæc per vndas
Turba adhuc ludit Charitum, Pieridumq; cætus
Et Chorus hic Etruscus
Explicat lætus choreas virginibus latinis,
Dextera cui recincta est:
Hæc domus, quæ dedit hunc, quem celebrant sorores
Hinc etenim frequentant
Hunc locum ipsum, qui tenuit Sicelidas beatas
Dum stetit hic poeta,
Hic pius vates, medijs quem statuit choreis
Sæpè suis in hortis
Turba Nimpharum, socius qui coluit camenas,
Qui coluit pudorem
Sæpe clio, cui citharas, cui calamos loquentes
Sæpè dedit benignus

Orpheus;

Orpheus, cantus docuit, quem docuit canoras
Ipse fides appollo
Mortuus, qui cum iacuit, quàm doluit camænis:
Reliquias præustas
Ipsa legit Melpomene, flebilibus querelis,
Et madidis capillis
Ipsa fleuit Tuscia, fleuit latiusq; Tybris
Nec lachrymis pepercit.
Hinc manet desiderium, nam rogus vt Poetæ
Abstulerit fauillas
Non tamen qui post cineres consequitur caminus
Mortuus est Amoris
Hic quoque astant Pierides, concelebrantq; casus,
Et memorant honores
Vt sonat totum pelagus carminibus sonoris,
Vt pelagus resultat,
Nam suo vates Aonides hæc memores rependunt
Hæc referunt Sorores.

Auctoris

HOspes siste gradum. Gelidos expelle timores,
Non ego sum stygijs vmbra reuersa locis,
Non malus ætherijs detrusus spiritus astris,
Non ego, non miris pallida larua modis.
Pone metum: tenuis non sum sine corpore vita,
Te circum formæ non caua imago volo.
Ascanij monumenta sumus. Nos verba mouemus,
Ille fuit sacri maxima cura chori.
Inspice, diuini nos claudimus ossa poetæ,
Et decus historiæ claudimus omne sinu.
Inspice, Musarum cultorem claudimus, hortos
Hic coluit Phebi, sanctaq; rura sacri;
Ordinis hic primus repetiuit in Arbore fontes,
Et riuos omnes, qui caput inde trahunt.
Ille quoque incisas animauit in ære figuras
explicuit liber; singula quæque patent.
Mystica Diuinæ scripsit Conuiuia Mensæ
Hic, hic vitales suasit adire dapes.

Extinctum

Extinctum fleuere Patres, fleuere Camenæ,
Et fleuit pasſis Tuſcia tota comis:
Hiſtoria ad tumulum diuulſit mœſta capillos,
Et ferit inſano pectus, & vngue genas.
Magna loquor: Muſæ peruulſæ funere mentem,
Et chorus ingentes ſtruxit ad aſtra pyras.
Magna loquor: pars Muſarum ſe iniecit in ignes,
Et ſimul Elyſium, dixit, adibo nemus;
Vera loquor: flammæ corpus rapuere rogales,
Non tamen æternus damna recepit honos.
Huc ſæpè Aonia deſcenderunt rupe Sorores,
Et cineres circum carmina læta canunt,
Hinc latius cantat chorus, hinc reſpondet Etruſcus,
Aut ſocios dicit turba ſacrata modos:
Sæpè mouentq; ſimul cantus, celebrantq; choreas,
Floraq; virgineas ſpargit amica Roſas.

Gregorij Brunelli Mediolanenſis.

HAEc, cui reſident proceres, arbor.
Patulo extendens brachia ramo
Lateranenſis gloria cœtus,
Terræ è gremio non emerſit;
Sed fœcundi protulit virtus
Viuida Patris, cui Sicilides
Rore irriguo Caſtalium lac,
Et geniali fabula ſucco
Sollicito ſemper ſparſere ſinu:
Huius nunquam decutit ingens
Folia ventus, quamuis ſtringant
Frigora lucem breuiore mora;
Sed cæleſtis Zephirus frondes
Seruat grato tepidus flatu;
Hac Aſcanius ſub frondifera
Arboris vmbra ſigmata poſuit,
Sacramq; locans menſam, inuitat
Ad celeſtes epulas homines.
O quiſquis cupis, huc cito propera,
Alibi nunquam meliores dapes,
Alibi nunquam meliora bibens
Pocula ſumes.

ATHA-

ATHANASIVS ARCELLVS PLACENTINVS.





VAMVIS is ille fuerit Athanasius de Arcellis Placentinus, cuius ingenium, virtusq; neque nostrum, neque cuiusquam omninò testimonium desiderent; nobis tamen & inchoati operis ratio, & sanctum candidæ veritatis studium plenè suadent, vt paucula de illo quoq; promamus, non tam apud eos, qui virum intus, & in cute norunt, quam apud omnes gentes, atque adeo apud ipsam posteritatem, quæ de laboribus, ponderecq; virorum expers amoris, & odij, pro cuiusq; merito sententiam dicet. Florebat intra vallum Lateranensis exercitus in hostem. humani generis congregati Placentinorum Canonicorum cohors numero, & fortitudine ad paucos comparanda, tam ob hinc inde deductas colonias, quam ob decurionum, ductorum, tribunorumq; suorum exactum robur, & omnis strenuitatis expræssionem; cum ad merendum cum eis Athanasius accedit. Sub Iulij Cæsaris genitoris præitione velut patrimonium quoddam inammissibile deduxerat primum genus contrectandi arma, & rudimentorum religionis, & politioris animi culturæ; vnde inter tyrones ex legum præscripto adscriptus iaculis, pilo, sarissa, gladio cominus eminusue irruebat in hostem, hoc est orationibus, abstinentia, vigilijs, studio, obedientia in priores sæculi consuetudines, in morum intemperiem, inq; nubilosas ignorantiæ aggressiones toto ferebatur conamine, & commilitantibus prælucebat insigniter. Potuit autem parens præceptoris vice functus liberum in hæc dirigere, qui pietatis, iurisq; scientia illustris, dicendi artem tanquam vehiculum ad propria, clientumq; negotia prouehenda conciniter, & cum laude adhiberet. Et licet per easdem semitas filium ordinaret iam Cæsaris Iustiniani Institutionibus munitum; æquius tamen duxit Sancto flamini non reluctari, & eò adolescentem permittere itum, quo fata ducebant. Hinc ab Iulij Cæsaris ad Marci Antonij castra idem sententia, non tamen eandem formam consectantia, pergit. Is Marcus Antonius ille Bagarottus est, qui Tertium tunc Generali clauo fluitantis Lateranensium nauigij motum, statum, inflexionem summa cum vigilantia dabat: is, inquam, ille est, cuius sublimia conamina, & assecutiones omni prorsus laude maiora fuere. Ab Athlothete tãto in omnem gymnasticam

mentis non corporis exercendus assignatur Lyceis varijs pro temporum, & captus varietate, & exigentia. Assurgebat verò ad laudem concionatoris genio, zeloq; propellente, præ ætate, & præ sanctionibus, feruidus calore, promptus eloquio. Fræna quidem inijciebant moderatores, ne prodiret præcox, & super incude percutiebant massam ad Oratoris Ecclesiastici ideas contrahendam. Sed ne prorsus alligarent os trituranti, permittebant in tryclinia congregatis Patribus verba facere,& imparato sæpius imperabant suggestum, vt monitore castigatus non superbesceret, & increpationibus exercitatus, atq; animaduersionibus expurgatus, duplicem patientiæ, & humilitatis, atq; obedientiæ, & extersi eloquij palmam obtineret. Hinc non prius redimitur serto prædicatoreo, quam Prædicatorum parens Gabriel Flamma instituatur Generalis, vt iucundior actio atiorret quoties in memoriam ea redderet tum promotis, tum successoribus. Vna cum eo processere ad idem decus triginta sex alij, quorum insigniores extitere Alexander à Turre, Gregorius Comaninus, Barrholomeus Garzonius, Petrus Paulus de Ribera, Ioseph Viuolus, Franciscus Maria Giraldus, insigniores vtique ex publicis editis virtutis egregiæ monumentis & scripto, & voce. Et quidem quod ad concionem attinet hos omnes, plurimosq; alios, quorum successiuæ per multa comitia habita est ratio, & relatum nomen in cathalogum, superauit Athanasius, adeo præstat naturæ dispositio ad rem quamcunq; peragendam. Per hanc enim cæteros anteiuit, non per acquisita: hac quoq; propellente, cæteris ommissis muneribus, partem talem sudoribus, laboribusq; suis cultam voluit in Orthodoxa Ecclesia, dum alij, atq; alij ad diuersa siue scholastica, siue gubernatoria conatus animi legant vno, eodemq; tempore. Quas verò attigerit metas intra spacium viginti priorum annorum, quibusue ordine, & vbertate animos populorum pane Euangelij suauissimo satiauerit; quamuis hic refferre delectabile esset (quippe non desunt plurima, quæ ad posteros transmittantur digna) iusti tamen quia Elogij terminos excederent, satis erit collegisse ex illo quasi circulo, quo ab primis Taurinis per Æmiliam, Flaminiam, Apiamq; vias ad postremos vsq; Siculos, & ab his per Tyrenos, & Ligures Italiam totam complexus est in parriam reddiens non semel, post habitas his, vel illis præstantioribus vrbibus quadragesimas, postq; illucidatos Aduentus. Est quippè illustris omninò viri memoria nostris (vt alios pretercam) Cęsenatibus, quibus per summam Ecclesiæ inediam declamauit anno pręsęculari pridem exacto, nec obliterarunt, qui superuenere eloquentissimi, quę audiere ciues plurima ab Cytharedo: hoc enim illum adhuc appellant nomine, cum frequentius illud ipse vsurparet ad Dauidem Sanctissimum Regem insinuandum, à cuius Psalmis libaret argumenta in re omnem coronæ aptissima. Dum verò ille per hæc studia cudit,

& Dei

& Dei gloriam, & Congregationis decus, Congregatio quoque ipsa in eum compensandum conspirat mater gratissima. Nam in eo conuentu, in quo Theodosius Rouescala caput Ordini prȩficitur de anno nonagesimo septimo post sesquimillesimum cum ageretur de honestandis Archangelo Rubeo Cremonense, Bartholomeo Garzonio Bagnacaballo, Hieronymo Vassallo Ticinense tanquam Religionis benemeritis ob labores prȩstitos penès Vniuersitates nostras in scientijs iuuentuti interprȩtandis, Athanasius quoq; & Anacletus Mediolanensis eis adnectitur ob egregiè desudatam, perfunctamue prȩdicandi Prouinciam. Quare pleno Senatus consulto decernitur, vt prȩcedant in omnibus locis publicis omnes Canonicos in monasterio eorum residentiȩ exceptis Vicarijs loci, & Deffinitoribus, & quod singulo anno habeant scuta aurea duodecim. Id verò Athanasio initium fuit contrectandi publica iura, quæ impetu tamen subiuit flaccido, tum *quia ab pulpito* pedem refferre adhuc intempestiuum rebatur pollens viribus, & auctus fama, quæ non parum confert in populis effusa ad docilitatem comparandam, tum etiam quia senioribus, & exercitationibus inter conciues Canonicos ministeria huiusmodi magis opinabatur idonea: atque ideo quo ad superstes fuit Hippolitus Anguissola, in Athanasium non iere legitima primatus nationalium. Ab illius autem decessu collateralis renunciatur Archangelo Campatio Generali, primus inter collegas Ioannem Chrisosthomum Pongolonum, Cherubinum Beterrium, & Hieronymum Onofrium. Eandem quoq; secundùm adijt dignitatem post annos duodecim, cum in Synodo Placentina anni vigesimi quarti proximè exacti diuersimodè suffragatores essent affecti. Siquidem quoniam Seraphini Verdelij studium impotenter, & extra omnem consuetudinem ibat in Aloysium Restam Regiensem aliqua quidem œconome laudatum, sed alias non satis notum, & iuuenem; Ioannis verò Thomæ Prouanæ sensus propendebat in Eugenium Pacianum Mutinensem maioris ætatis, & plausibilitatis virum, neque *spes affulgebat*, vt ab propensionibus recederent; Constantino Phaseolo *voluntatum* conformitatem satagente, & proponente in tertium Athanasium seniorem, & alias munere egregiè functum conuenere, expediendum ad vota, à quibus summa rei tota pendebat, quæ & fauorabilis vsquequaque egressa est. In hisce autem post administratas Abbatias quantus foret demonstrauit tanquam de clariore specula à prima sede Ordinis vno gradu distante, de quo tamen gradu eidem substernendo tunc pertractatum fuit, cum ab decessu Campatij Generalis, Congregationis tessera, *Sygillum* nempe, & Regula, ex legum præscripto in eius deuenere manibus *velut in inter* regni *speciem*, qui Collegas præcedebat ætatis, & præ*professi Dogmatis* titulo. Verum Romæ, quæ accessit Diæta Deffinitorum *tantumodo*, Plato Cardinali assidente Protectore, in alium transtulit sce-

 ptra,

ptra, & substitutus est Generalis Campatio Pongolenus. Enituit autem tunc validè Arcelli æquanimitas, qui nihil prorsus commotionis passus, quantus in Religionis schola euasisset commonstrauit, neque ab rerum summa, etiam si humano more pertractata, abhorruit, sed data manu in communem sententiam primus omnium iuit. Eandem quoq; omolotin, vel isonomiam pridem exercuit, aut certè maiorem, cum in Synodo Rauennæ Congregata per summum Generalis imperium barba priuatur vna cum Hercule Monaldino, quod protensam nimis illam deferrent præter Ordinis vsum, & iura: licet prætexeretur id concionatoribus primi nominis expedire aliarum familiarum etiam seuerioris vitæ sequacium exemplo: neque enim naturam alioqui igneam, perferuidamue passus est commotionem aut experiri, vel pandere. Sed hæc omnem eius prælationem antecessere, & promouendum celerius adiuuare. Lubuit autem factum tetigisse ad exemplum futurorum tum obedientiæ promptius aditæ, tum animaduersionis, & imperij legitimè, & indifferenter exerciti. Inter hæc igitur publica, priuataq; munia vixit clarus, & in plusquam varias incidit occasiones tollerantiæ exercendæ, præsertim nunc Ranutio Farnesio Principi carus, nunc parum gratus: cum enim fucum nesciret vir ingenuus vix aulæ formas absq; improbatione finebat. Decessit Placentiæ tribus annis octuagenario minor ex hydropisi circa Nonas Octobrias anni trigesimi primi huius, quem viuimus sæculi. Scripsit

De Heroicis Virtutibus, & operibus Sancti Francisci Xauerij Indiarum Apostoli Sermones decem, Italicè Discursus. Ad Alexandrum Vrsinum Cardinalem Protectorem. Mutinæ apud Iulianum Cassianum Anno 1625. Lib. 1.

Item Dauidem Euangelicum conciones triplices in omnem Quadragesimam Italicè, in quibus loca Dauidis ex psalterio accomodat cuilibet Euangelio currenti ingeniosè, & eruditè. Operis aliquam partem latinam reddidit Philippus Picinellus Mediolanensis nunc ad nobilem laudis metam florens Canonicus. Vniuersa asseruantur manuscripta Placentiæ.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

DVM tonat Empyreo flagrans Athanasius æstu,
Culparum properans turba scelesta fugit:
Dum noua Dauidico concordis pagina plectro,
Effundit gratum Patris ab ore melos;
Illicet effugiunt pellaces dæmonis astus,
Queis hominum inspirans corda proterua quatit:
Sic quondam potuit Tessæi ad carmina vatis
Dæmone ab infesto liber abire Saul.

ASCA-

ASCANIVS MARTINENGVS
BRIXIENSIS.



VB ipſo pubeſcentis iuuentutis exordio ad annum ſeptimum, & quinquageſimum currentis ſextidecimi ſaculi Congregationem Lateranenſem ingreditur Aſcanius nobiliſſima ex gente Martinenga Comitum de Aro, & Barchij Brixiæ natus. Quanti apud ſuos, exteroſue profecerit documento ſunt ipſa actę vitæ inſignia. Linguæ namque facundiſſimæ morum liberaliſſimam dexteritatem coniungens, ſic Magiſtratus promeruit, vt ſupremo etiam Congregationis Regimini ſederit ex Generalibus Comitijs Rauennatibus Camillo de Betijs Caſalenſi ſucceſſor quartus, ſcilicet Rector Generalis ab triennali maximo regimine inſtituto, ad annum Domini milleſimum quingenteſimum nonageſimum quartum. Egerat verò antea Regulares præfecturas ea obſeruantium morum reſtrictione, candidoue humanitatis ſplendore nunc Abbas, nunc Viſitator Petro Franciſco Riuæ Veronenſi Generali aſſidens, vt ſpem egregiam Ordini vniuerſo genuerit de optimo regimine per eum conſequendo. Patauij dum Abbatem gereret Diui Præcurſoris Baptiſtæ Animoſorum clariſſimam inſtituit, prouexitue Academiam, quod egregia oratione conteſtatum reliquit Antonius Riccobonus Veteris Eloquentiæ penès illam Vniuerſitatem Profeſſor. Quin nobis dignum viſum eſt vniuerſam ſeriem nobilis actionis in calce Elogij huius attexere ex ipſomet Riccoboni contextu eleganter expræſſam, quæ non modo rem ob oculos ponat ijſdem conditionibus, quibus peracta eſt; ſed etiam quanti Aſcanius apud doctiſſimos, & præſtantiſſimos fieret ad viuum repræſentet, quamue præclari eius conatus eſſent. Arimini quoq; Diui Marini Canoniæ Præfectus interius Xiſtum (quod clauſtrum dicunt) figuris exornauit illuſtrium, ex re Literaria Canonicorum appoſitis Iconibus, & ſubſcriptis propria dictante Minerua Elogijs excellentibus, quæ adhuc viſuntur. Generalis Rector Almutias nigras Canonicis ſuis diuinis intereſſentibus ſuper Rocheto reſtituit ex reaſſumpto antiquo vſu, & habitus inſtitutione per Benedictum Duodecimum adſtipulata in conſtitutionibus pro reffòrmatione Regularium Canonicorum editis. Summo clauo præficitur per admirabilem totius penè Synodi conſenſum Rauennæ congregatam, dum tamen in Hyppolitum Anguiſſolam præcipuum

ex

ex candidatis iret Generalis reſſignatus Camillus Beccius, & ab aula non deeſſent qui eodem ſenſu tenerentur potiores. Hinc Marco Antonio Columna Cardinali Protectore amarius rem ferente, & euocationem curante dies dicitur per Clementem Pontificem, qua ſe Romæ ſiſtat, vt ſuper grauibus tribus obiectis non criminibus, ſed impedimentis decerneretur. Sed innocentia potiſſimum, & prudenti dexteritate vſus, maximeq; iura illius tuente Ioanne Franciſco Mauroceno Cardinali, & Epiſcopo Brixienſe dimittitur victor, & Congregationis enatat exiſtimatio. In ſcribendo laborem perpetuum viuido coniunxit ingenio vnde poſt maximę multitudinis cathenas vel Argenteas, vel Aureas Patrum, item & Gloſſas Ordinarias, Interlineares, Morales, Alegoricas, & Locales iam editas, adorſus eſt ſpiſſum opus in vniuerſum Sacrum Codicem Veteris, Nouęq; paginę, quod Gloſſam magnam attitulauit. Huius autem immenſi operis duo tantum edidit Volumina ſuper primum caput Geneſis, nec integrè explicatum, vbi ad verbum adductis tum antiquorum Patrum, tum Neotericorum Doctorum omnibus expoſitionibus ſuper ſingulo quoq; loco, ne dixerim verbo, vel clauſula, & addita propria rebus congruentibus ſententia abſq; dubio Lectoribus, & ſumptus maximos ademit, & non minorem laborem recurtauit. Grandis omninò animi attentatum. Vtinam vita ſuperſtite Regium ędificium explere, vel ad debitam aliquam periodum perducere potuiſſet, fruſtratus hucuſuſq; ſua ſpe, cadenſq; à promiſsis in pręfatione, quãdo confidenti calamo, & optimi caloris pleno futurum dixit, vt ex proprio cętu alij, atq; alij auſum egregium perficerent. Obijt anno ſęculari milleſimo ſexcenteſimo Abbas Sanctorum Fauſtini, & Iouitę ad ſanguinem Brixię natalis ſui vndeſexageſimo die ſecunda Decembris. Florere cępit Patauij Animoſorum Academia, ex Doctoribus, & ſtudioſis iuuenibus Gymnaſij Patauini conflata, in ędibus Aſcanij Martinengi Brixiani præclariſſimi, ac religioſisſimi Abbatis per tres annos dum is Patauij habuit domicilium, mirabiliter culta; cuius ſanè præclara, & ad veram gloriam inſignia extiterunt inſtituta, admirabiles ad omnium literarum laudem progreſsus, ſingularis optimarum artium pertractatio, excellens in diſputandis rerum obſcuriſsimarum quæſtionibus ordo, eloquentiæ cum ſapientia coniunctio peregregia ad illuſtrandum omne doctrinæ genus ſtudium flagrantisſimum, atq; ardor propè incredibilis; adhibitis in conſilium præclarisſimis, & præſtantisſimis viris, inter cæteros Sperone Speronio ſapientium eloquentiſſimo, & eloquentium ſapientisſimo: Franciſco Piccolomineo Philoſophorum noſtri temporis maximo: Bernardino Tomitano, Philoſopho, Medico, Poeta, Oratore celeberrimo: Matthæo Macino Philoſopho præcellentisſimo, & literarum Græcarum, ac Latinarum cognitione ornatisſimo, receptiſq; in Academicorum numerum ſummis, ac propè diuinis ingenijs;

quæ

quæ quidem cum enumerare omnia longissimum esset, facere tamen non possum, quin hoc ipso in loco vnum nominem inter cæteros præstantissimum Antonium Quærengum Ciuem Patauinum literis Græcis, & Latinis doctissimum, & disertissimum, in primisq; laude poetica perornatum, atq; ad veterem poetarum Lucretij, Virgilijq; imitationem formatum peregregiè, vt ex multis eius carminibus constat accuratè, exquisitèq; conscriptis, atq; editis; qui Romę diù floruit summè literatus, fuitq; à secretis Sacrosancti Cardinalium Collegij, charissimus Pontificibus, charissimus Cardinalibus, charissimus in Romana curia omnibus, quicunq; aliquid de ingenijs, ac doctrina possent iudicare, nuncq; est Canonicus Patauinus omni reuerentia, atq; obseruantia colendus. Præstantissimus autem Animosorum cætus eum mihi honorem habuit, vt in eius primordijs solemnem haberem orationem, quæ fuit de Felicitate, nimirum de re illa, cuius vnius ratio veteres distinguebat sectas; cum vna ab altera eò distaret, quo finem bonorum, & malorum diuersum haberent. Immo verò etiam voluit, vt de singulari eius Insigni publicè loquerer: quod erat Aries velleris aurei cum Phryxo in mari animosè se seruante, & Helle in pontum cadente, cum ea sententia. Facilis Iactura, & cum Animosorum appellatione. Neque verò solum huiusmodi honoribus me decorauit, quorum memoriam beneuolentia colam sempiterna; sed etiam dignum iudicauit, qui per annum inter Accademicos principem locum obtinerem, datis mihi Consiliarijs Faustino Summo Ciue Patauino, ac logico præstantissimo, & Stephano Theupolo Patritio Veneto clarissimo, eò, qui non magis splendore generis sui, quod sine dubio illustrissimum est, quam doctrina summi Philosophorum Francisci Piccolominei decem Academicarum contemplationum libris ab ipso expræssa, est illustratus. Cui quidem meo Principatui perillustris Comes Sigismundus Turrianus successit, & meritò successit, quippe qui tam excellentem pręstantiam ex personę splendore arripuerat, ex maiorum dignitate auferat, ex parentum institutione expręsserat, ex optimarum artium studijs conformauerat, ex Animosorum Academia omnem perfugij, decorisq; sui spem in eo collocare meritò posse videretur. Accessit alius honor, quod cum Academicarum exercitationum consuetudo aliquo interuallo dimissa fuisset, à me petijt Academię Princeps cum Ascanio Martinengo Abbate perillustri, & modestissimo, cum Iacobo Diedo, viro non minus doctrinę, & eloquentię splendore, quam religionis, & generis claritate ornatissimo, qui postea factus est Cremę Episcopus, & cum Matthęo Macino vno de pręcellentissimis Academię parentibus, vt ad repetendas aliquantisper intermissas exercitationes solemnem prolusionem haberem, atq; aliquoties pręterea in eadem Academia operam meam aliquid explicando nauarem. Quamobrem eam orationem habui,

bii, quę de Ascensu Cęli ex Platonicorum doctrina inscripta est, Principe Nicolao Contareno, eodemq; Patauij tunc Quęstore, eo cuius sex luculentissimi de rerum perfectione extant libri, quiq; adhuc fecit, & quotidie magis facit admirandos in Republica progressus ad pręcipuos dignitatis gradus. Iam cum ipse Animosorum Princeps, & Patauij Quęstor Nicolaus Contarenus Patauij Pręsides, Iacobum Fuscarenum Doctorèm, ac Pętorem, & Franciscum Duodum Pręfectum, ijs ipsis diebus, quibus ego inter Academicos sermonem habiturus eram, ad Academiam inuitasset, ipsum sermonem ad tales, tantosq: accomodaui auditores, argumentumq: ijs, quam maximè congruens excogitaui, vt vno die de Optimo Pręside agerem, qualis esse Fuscarenus in primis existimabatur: altero de Fortitudine, ac Magnanimitate, quę Duodi propria esse videbantur. Quę duę orationes quoniam adhuc peruulgatę non sunt, idcircò in gratiam studiosorum eloquentię, & vt memoriam conseruem patronorum meorum, hoc in loco adscriptę nunc addentur: cum, vt supra quoque notaui, facilè sit eis, qui talia episodia minus probant, arbitratu suo aliquot pagellas pertransire. Atque hęc quidem de Animosorum Academia Ricobonus, quę vtinam sicut optimè in ędibus Viridarianis instituta, fundataq; fuerat, ita dici perdurasset. At non omnibus datum est adire Corinthum, nec omnes qui pręsunt Ascanium imitantur. Vtiq: summo Alumnorum eius familię bono fiebat, vt plurima etiam diebus feriatis addiscerent ex viuis, spirantibusq: doctissimis libris, qui super tot, tantisq: ac tam diuersis thematibus acutissimo, solidè, pereloquenter disserebant; vniuersaq: insuper vagandi occasio amputabatur rerum, differentiumq: varietate alliciente, domiq: retinente. Scripta autem illius sunt.

Glossa Magna in vniuersam Sacram scripturam, cuius duo tantum edita sunt volumina Patauij apud Laurentium Pasquatum. Clementi Octauo Summo Pontifici nuncupata anno 1595. Reliqua, quæ consumauit manuscripta seruantur in Monasterio S. Saluatoris Brixiæ. Lib. ij.

Vitæ Sanctorum Martyrum Faustini, Iouitæ, Affræ, & aliorum plurimorum Sanctorum Brixiensium materno Italico idiomate, quæ post illius obitum euulgatæ sunt Brixiæ anno 1602. apud Petrum Mariam Marchettum. Lib. 1.

Tractatus tres breues, Italicè Discorsi, de Ritibus antiquis Sacratissimæ synaxis. De modo bene moriendi, atq; de Nobilitate Ecclesiæ Brixiensis, quæ per eundem Calcographum exierunt. Lib. 1.

Chronologia, in qua post exquisitam annorum à mundi primordio ad Christi Natalia, tum per ætates Hebraicas, tum per Monarchias, tum per Olympiades Græcorum, supputationem; res cunctæ gestæ, in sacrisq; Biblijs enarratæ suis apponuntur annis, & temporibus.

Genea-

Genealogiæ, siue Prosapiæ omnes insignes Hæbraicæ gentis, nec non & Assiriorum, Persarum, Chaldeorum, AEgyptiorum, & Græcorum, quarum Sacra Scriptura meminit, suis incisæ arboribus, & elogijs breuissimis ornatæ, vt à Sacra Scriptura memorata gesta cum rebus gentium conferri possint, diligentissimè traduntur.

Tabulæ Geographicæ acuratissimè digestæ, & distentæ locorum, Oppidorum, Vrbium, & Plagarum ferè omnium à Scriptura recensitarum secundum antiquam Ptolomei primum, post modum præsentis ætatis descriptionem.

Præludia in vniuersam sacram Scripturam scilicet, de Nobilitate eius, Præstantia, Dignitate, vtilitate, Librorum Ordine, Numero, Argumento, Auctoribus, & Interpretibus, interpretandiq; illam generibus.

Verum ista, cum tribus proximè notatis sub eodem Præludiorum Titulo elucubrata, vt ipsemet testatur in præfatione eiusdem Glossæ Magnæ, nondum exierunt.

Leonardi Sardij Bargæi.

Vos, quæ Pierijs pectora fontibus
Pimpleæ facibus torta poeticis
Mulcetis labijs dulcia dulcibus,
Quæ plenis manibus mella recluditis,
Seu Pindus tenet aut arduus arduo
Parnassus nemore; effundite Virgines
Castæ, quæ placidis carmina sensibus
Instillent; apibus gaudia suauibus
Hyblea, & tetricosque rapiant senes,
Quisquis depereat dulcibus ignibus.
E tu quæ lituos horrida bellicos
Pertractas, citharis aptior aureis
Nunc sis Virgilij Musa decus, precor,
Tollas Ascanium laudibus inclytis;
Sed non quem lepidus fabula fabulis
Fingit, reliquias qui profugus suas
Iactat, qui Danais lapsus ab hostibus
Fugit, cæsaries cui micuit ignea,
Pascens igniculos omnine candido:
Qui venit domibus littora Troicis
Ad nostra, aerijs qui noua mollibus
Erexit latij culmina sæculi,

Et Romæ posuit mœnia nobilis,
Quando Romulides hinc repetunt Duces
Vt est, ultima cunabula sanguinis;
Sed qui sydereis captus amoribus
Vixit Cœnobio pectore candido
Cælebs illecebris hostis inanibus,
Illudit, superis lumina literis
Admonit, relegens quidquid ab omnibus
Ante Interpretibus, quos docuit Deus,
Scriptum est: cuius Opus dicier optumo
Magnum iure potest. Cum reliqui Patres,
Qui chartis tenebras, quæ Genesim sonant,
Illhinc expulerint, nudaq; nubibus
Fulgens tum pietas exeruit caput:
Hi moralia dicunt, quibus aut sonat
Ordo: nunc habet has pagina paginas
Vna: at multigraphis plena laboribus,
Quem plena historijs concinit omnibus
Fama, & qui stigijs cautus ab anguibus
Cessit, qui domibus clarus Olympicis
Fulget stelligeris cinctus honoribus.

Auctoris

INscius ingentes hospes quid suspicis urnas,
Et Patriam, & nomen quæris inire meum?
Flebilis immoto quidue hæres lumine saxis,
Et quidnam fuerim corde sub ipse putas?
Desine mirari. Genuit me Brixia felix
Ascanius nomen. Lector utrumq; tenes.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

ACcede Clio, nunc Castalijs
Abluere iuuat fontibus ora;
Si Pindarico barbita calamo
Resonarent, haud promere digno
Carmine possem gesta Ascanij.

Hic

Hic disposuit, doctaq; manu
Iuxta Euganeos nobile struxit
Lyceum, Musarumq; domum,
Nobilioribus artibus ornans
Claram ingenuo flore iuuentam;
Etiam studio seueriore
Mentem erudiens Sophiæ obstrusa
Arcana, & quos sacra geneseos
Pagina cludit sensus reserat,
Mentis acumine quæq; recondita
Penetrans, maiora acturus, ni
Mors, quæ cuilibet inuida genesi
Stamina rumpit, tum resecasset,
Cum vita tanti opus Antistitis.
Verum mortem pius elusit,
Dum moriendi ... iter aperit.



ASCANIVS ORDEVS MEDIOLANENSIS.



NON ineptè prorſus vulgatum illud hoc loci vſurpare fortaſſis expedit de parente in parentem ſignificatione tranſlata, Stat caræ cura parentis omnis in Aſcanio. Ea namq; fuit Lateranenſis Congregationis in Aſcanio Ordeo Mediolanenſi ad perfectionis vitæ, ac ſcientiarum apicem dirigendo cura, vt ſui quodammodo inſtituti oblita illud cum ipſo vno præſtitit, quod cum alio quoppiam neutiquam ægiſſe aut legimus, aut audiuimus; ac, ſi ſolam ſeponas Numinis prouidentiam omnia in ſuos fines ſuauiter dirigentem, non alia vtiq; facti cum eo ratio appareat. Siquidem non per ætatem Religioni aptus, & ante omnem eiuſdem ineundæ interiorem motionem ab patria Mediolano in Mortarienſe Oppidum diœceſis Ticinenſis deducitur, & ibidem poſt breue temporis interuallum Sanctæ Crucis Cœnobio Canonicorum inducitur, vt ſub Alberti Gentiani Creſcentini viri optimi diſciplina grammaticalibus humaniorum addat poſſeſſionem, moreſq; ſibi inducat eo cætu, & eo præceptore dignos. Profectò nullum proſtabat poſt Frigdionariam Reformationem huiuſmodi formationis exemplum: ſed quæ fieri debent inueniunt quocunque tandem modo viam. Ex duodeni quindennis ibi matureſcens propenſionem ante omnia induit Inſtituto recipiendo, iuxta quam prædiſponuntur vniuerſa. Martinengus præfecturam agebat Ordinis, cum teſſeram ſanctæ militiæ recipit anno ſexto ante ſextum decimum ſæcularem à Saluatore nato. In flores iam erumpenti Florentia ſeminarium aperit ad antiquas Feſulas; vt ab montibus proſpiceret in incrementa ſequentia, vtq; valles adoleſcentiæ eius abundarent frumento diſciplinæ ſacræ. Ad Frigdionariam deinde ſolitudinem transfertur per Antiſtites, quatenus ex loco, vbi ſpiritum Reformationis recepere primi venerabiles, ſurculus is humorē ſugeret in hęredes legitimè deriuantem. Nulla hiſce in locis erat tunc literarum exercitatio ſola morum agebatur arctior diſciplina. Solatio tamen in his non deſtituitur incrementorum nobilis ęmulationis ab Aurelio fratre. Canonicam quoq; normam profectò peractę. Stadium namq; tenebat par adoleſcentum niſu maximo ſupra ętatem, & penè ſupra vires. Et licet non vtiq; eadem ineſſent naturę dona, æqualis tamen erat animorum con

ſenſio, mentiſq; ardor in excolendo ſpiritu. Vt licuit ab moribus ad dialecticas notiones hauriendas patriæ reſtituitur, vbi Michaelem Angelum Cultellium Liburnenſem iuuenem quidem, ſed optimum, & tunc primùm profiteri exordientem præceptorem habuit, & condiſcipulum præ alijs bonam terrentem ſemitam Ioannem Andream Tachinium Cremenſem. Quæ ſucceſſere Philoſophica, Theologicaue ſtudia apud Placentinos, Patauinoſq; peregit inter aliquales fluctuationes domeſticas, exigentibus Prælatis optimis regularis diſciplinæ exactam obſeruantiam ab diuerſarum nationum iuuentute feruida, & ſcientiarum indeptionem cæteris quibuſq; præter ordinem anteferente. Ex præceptoribus beneuolentiſſimum habuit Gabrielem Ottellum Alexandrinum circa poſtrema ſtudiorum tempora, qui genio iuuenis obuius quantum fas eſſet, in bonam ſemitam ſuauitate quadam deriuabat ardorem properantis in omnem facundiam animi. Vt primum *Leuita eſt* inſtitutus Euangelio enunciando alacer accingitur. Facultate oneris ſubeundi donatur, licet id ita non eſſet aſſuetum penès noſtros. Documenta, quæ priuatim plurima præſtiterat eloquentiæ, quæue publicè poſuerat doctrinarum, nec non & ardor, quo deprecabatur dimitti iam ſe iaciendo primo lapidi concionum extruendarum, Senatum flexere, vt laurearetur. Ex diuiniſſimi Frigdiani templo primum intonat tibicen euangelicus, excipitq; præſtantiſſima Lucenſium procerum Republica encænia iuuenis per anni totius curriculum, perq; Seruatoris Dei Natalem antecedentes, comitanteſue feſtos dies. Atque profectò in omen bonum ceſſit ab Antiſtitis Sanctiſſimi obſequio prouinciam inchoaſſe, vt clariſſimum Canonici Cæli Sydus prælucens ſibi ab ipſo conſpiceret exordio: & ab ea lucis Republica lucem in illo ſibi repromitteret hæc Regularis. Maximi ieiunij iugi quadragenariæ prædicationi aurem primam præbet humaniſſima Senarum Ciuitas. Quis verò non admiretur grandia Eccleſiaſtis initia in Inſubri iuuene præſtantiores inter Ætruſcos poſita, exceptaq; ab *eis tanquam* immiſſa de Cælo, dum admiratio humanæ facundiæ admirationem *explodit* ætatis, hancq; doctrinæ ſoliditas nullibi patitur conſiſtere? Poſt Paſchalia ſolemnia ibidem Sacerdos inauguratus primo incruento ſacrificio ſolemniter Triadem ipſam Diuiniſſimam adorat inter muſicos ſuauiſſimos concentus, & inter exquiſita procerum omnium, tàm ſacri, quàm politici ordinis humanitatis officia. Exceptus demum concordiſſimo ſuffragio in Philomatum Academicorum numerum proficiſcitur. Bononienſes ex Patrum præſcripto tertijs ditat laboribus feſtiuitates anni concione celebrans ad Montanam Euangeliſtæ Ioannis, Aduentum verò è baſilica *Epiſcopi* Petronij. De poſteriore autem hoc præclariſſimo ſuggeſtu *doctiſſimum tellus* Bononienſium animorum eloquentiſſimę linguę ligone *fodit ad vberem* meſſem, defæcatamq; bonorum operum vindemiam aliquot

quot post annis in quadragesima; tùm scilicet cum Roberto Vbaldino Cardinali Legato vniuersam contractuum materiam sursum, deorsum vertit, vt licitas ab illicitis negotiationes secernens has demum, fænusue omne, fęneratitiosq; contractus, pręcipuè quos cambios siccos dicunt, plurimo, eoq; laborioso, sed valde frugi discursu, ab ęquo abigeret mercatore: atq; in pio conatu adiutorem habuit Legatum ipsum Vbaldinum rerum huiusmo di non infimè peritum. Per hos porrò gradus apici insedit sacri Oratoris, nullaq; extitit ex potioribus Italię Vrbibus de qua non aliquando benè meruerit siue per quadragenariam inediam, siue per annuos cursus. Ex summo tẽplo ab cinerum impositione ad expletum vsq;triduum Paschatis audiere concionantem Brixienses, Ariminenses, Asculani, Neapolitani, Alexandrini, Mediolanenses, Messanenses, Rauennates, Lucenses, Nouarienses ex Gaudentij Fano. Ianuensibus proceribus binas dedit quadragesimas ex Deiparę in Vineis, & ex Leuitę Laurentij delubro, pręclarissima certè quaqua versum pręconis Euangelici rostra. Princeps Orbis, Religionisq; Roma semel, atq; iterum tam infra annum, quam ab crucifixo Andrea ad vsq; circumcisione affectum Deum præbuit declamanti aures promptissimas ad Archicancellarij basilicam Laurentio, Damasoq; nuncupatam, & per maximi ieiunij hebdomadas ad Diui Gallorum Ludouici. Sed vrbium nulla omninò extitit, quę auidiore cum anxietate, alacriore cum animo, frequentioreue cum corona dicentem illum exceperit, ab illiusq; ore facundo pependerit, quàm inclyta illa Venetorum Ciuitas, totius libertatis Italicę nunquam satis commendatum asillum, omniumq; excelsarum rerum Emporium singulare. Quinas ibi quadragesimales, binas de Pentecoste ad vsq; Innocentes Herodis gladio litatos conciones tenuit. Virgo diuinissima Charitatis, eadem Incurabilium, Moyses, Hieremias, Leoq; sanctissimi quadragenanti, ijdemq; duo Prophętę Aduentum agenti Basilicas ornauere. Quis verò non obstupescat septem annis prędicantem non absolcuisse ad nauseam vsq;, ea pręsertim in Ciuitate, cui ab exculta eloquentia potissimum per Senatores eximios, perq; vniuersam Patritiorum sobolem laus suprema est? Sed aliundè parabantur nodi, aduersaq; struebantur dicenti, quam ab satietate: ipsamet iam comparata auctoritas offendiculi loco fuit, & per complanatum, perpolitumq; iter gradiens grauiter impegit absque crimine. Postremam agebat ex præadductis quadragesimam iamq; spectabat exitum præ cæteris eousq; habitis commendatissimum, tam ex auditoris frequentia, quam ex eiusdem purgamento, ac fructu cum die quadam de Apostolici Principatus solio verba faciens, deq; Petri Suprema cathedra, omnimodaue in regendis animabus auctoritate etiam in Principes ac reges; vsu venit, vt inter exempla veterum, transactorumq; temporum nonnulla proferret de priuilegijs quoq; ab Apostolico Alexandro

dro Tertio eidem Reipublicę circa Adriatici maris desponsationem, vsumq; concessis. Perculsit res illa animos adeo nonnullorum ex Patritijs auditorum, vt in iram omnem excandescentes vix perorantem sustinuerint. Quippe videbatur eis malè eum mereri de Republica, à qua tantoties bene esset exceptus, vtpotè qui ad priuilegium eorum (vt prætendebant) iura reuocaret. Quare duobus ipsorum præcipuè apud Magistratus instantibus, hominemq; exterum Insubrem oblocutorem inclamantibus, maleq; de communi iure censentem, & status, ac maiestatis reum remurmurantibus; nulla facta ei facultate defensionis spacio viginti quatuor horarum ex Veneti Principatus finibus extorem futurum indicunt. Rari profectò res exempli, vt in curriculi medio silentium, exiliumq: sacro indicatur Concionatori; sed quam ille excipere potuit tanquam immissum ab Numine ad purgandum videlicet, si quid humani contractum erat errati ab nimio auræ popularis plausu, calorcue, atq: ad commonendum, principum gratiam virorum minimi omninò faciendam, dum tenui illa filo appensa prorsus appareat, & hominum opiniones in folij modum ab leui quolibet vento vtilitatis præsentis circumferantur. Cæterum ipse illam eandem concionem per extensum scriptam Scipioni Burghesio Cardinali Hierarcæ Pauli nepoti transmisit, vt de doctrina, de more, deq: cęteris, quibus postulari posset, plenior in vrbe censura ad libitum haberetur, paratus sui rationem reddere, &, si quo modo præter fas offendiculi loco fuisset, animaduersioni subiacere legitimæ. Probauit verò Burghesius dicta per epistolas, virumq; solatus est, atq; vt bono animo esset, hortatus est, tanquam qui Dei causam, animarumq; salutem, non temporalia negotiaretur. Hæc non præpediere currentem. Penè inchoantem verò Mantua iuuit per occasionem satis. Nam cum ibidem ab immissione Sancti Spiritus ad vsque Euangelistæ Ioannis natalitium diem verba faceret die quolibet festo: Gregorium Comaninum iam senescentem virum ex nostris vario titulo clarum eo loci nactus; eius plurimum contubernio profecit. In excolendo enim idiomate Italico secundum regulam, & artem, inq: perpoliendis poeticis studijs, quæ planè tum temporis deperibat, non mediocris adiumenti fuit cum peritissimo illo communicatio, & conferentia, per quam dum solidum illud senis genium afficiebatur maximè in iuuenis istius alacritate, acumine, nouoq; rerum inuentu, ac fluuida componendi vena; tribuebat versa vice non leuia obseruationum eruditarum adminicula ad styli maiestatem induendam. Huiusmodi postmodum poeseos instrumento non modicè rem promouit suam penès proceres, principesq; viros. Dum enim per ea studia innotescebat priuatis in congressibus, occasioniq; dignæ inseruiens, ex eis sibi gradum faciebat ad pulpita. Massensi Regulo Carolo Cybo ijs primum placuit, atq; deinceps concione fortius, & pręssius; apud quem etiam & quadrage-

dragesimam agere aliquando opus habuit. Inclyti verò Alobrogum Ducis Victorij Amadei gratiam non aliunde, quam ab prædicatione ipsa promeritus est iam ad senium pendens. Per eam namq; notissimus vbiq; factus, Principem fama illa pellexit, vt & sibi quoq; euangelizaretur ab eo. Quinam autem laborum euentus extiterit, ex hoc colligas vno, quod post plura in eum collata regiæ beneficientię munera, nec non & post secundę quadragesimę curriculum tandem illum habere omninò apud se curauit donatum maiori cruce equestris Ordinis Sanctorum Mauritij, & Lazari. Lubet eiusdem Serenissimi Epistolam ex Italico simpliciter ad verbum redditam, quam Generali Ascanio Arbizano in Comitijs Regiensibus transmisit, hic transcribere. Quę in maiore huius Ciuitatis templo per binas egit quadragesimas Abbas Pater Ordeus adeo mihi, Dominęq: meę Coniugi fecere satis, vt in vtroq: nostrum singularem ingesserint propensionem ad ea vniuersa, quę eius possint ornamento conferre. Quin in me pręcipuè vno ardens excitare desiderium, eius omninò rebus in meis adhibendi opera, ea tamen ab vinculis omnibus soluta illis, quibus prępediri posset, ne iuxta placitum voluntatis mihi obsequeretur. Quare vt hoc facilius eueniat, & cum decore meritis, virtutiq; eius respondenti, decretum mihi est eundem habitu, magnaue cruce Sanctorum Mauritij, Lazariue exornare, atq: hoc pacto in eius persona Congregationem honestare vniuersam. Cum verò id exequi absq; Paternitatis Vestrę Reuerendissimę participatione visum mihi opportunum non sit, prius id placuit ei significare, simulq: exorare, vt in prompta concessione facultatis eidem necessarię doceat sibi gratam esse voluntatem optimam meam in extollendo Religionis membro tam pręclaro non minus, quam sim ego promptus vires meas omnes semper exercendi in omne beneficium, & Reuerendissimę Paternitatis vestrę capitis, & totius corporis ipsius Religionis, dum sperans ex humanitate sua ad huiusmodi postulata facilitatem, ab Deo pręcor ei desideriorum complementum. Taurini die vigesima Aprilis anni 1635. Hęc quidem illæ, quę suum non esse effectum huc vsq: sortita arbitramur. Siquidem sub eodem temporis momento penè coactus Alobrox arma sumere fęderatus Gallis aduersum Hispanos: haud e re sua esse fortè arbitratus est, Insubrem virum Austrio natura subditum in aulam importunè inducere, dum cęteros huiusmodi sua è ditione pelleret. Quę verò decora, & quę ornamenta ab ipsa Congregatione conferri solent in insignes huiusmodi viros, ea expeditè, & fauorabiliter assecutus est. In Generali enim Conuentu Placentino illo, in quo Phaseolus abdicauit Magistratu, Tertio kal. Aprilis ante eiusdem Capituli incohationem nobili Priuilegio insignitur eo, quo perpetuus inter Prælatos enumeratur titulares, gratijs, fauoribusq: consequentibus exornatur solo dignè locatorum laborum intuitu. Præfuit quoq:

plu-

pluries Canonijs Prior Portuenſis, Casſiacus, Abbas Caſoretanus, Præpoſitus Brinatenſis, ſed in earum adminiſtratione maior ab illo fælicitas deſiderari potuit, vel, ad minimum, in eo ſedulitas, & applicatio: quippe cui varia ſucceſſere difficilia enodatu, & à quibus interior, exteriorue animi quies penè peſſundari accidit. Quæ poetica cecinit in vnum, idq: amplum volumen congeſta vna cum ijs quæ Gregorius Comaninus, & quæ Celſus Roſinus panxere typis cudi volebat Tiburtius Boſſus Abbas ſumptum ſuppeditaturus decus publicum ſpectans; ſed obtinere nequiuit, vt diſperſa colligeret, & ſumma manu donaret.

Edidit volumen Sacrarum Orationum à ſe diuerſis in locis habitarum.

De Laudibus Sancti Caroli Cardinalis Romæ habita ad Collegium Eminentiſſimorum Cardinalium.

De Laudibus einſdem Sancti Caroli habita Mediolani in Summo Templo.

De ſpiritualibus priuilegijs Meſſanenſis Ciuitatis, ibidem in Eccleſia Matre.

De Laudibus Sanctæ Tereſæ in Apotheoſim relatæ, Mediolani.

De Laudibus Sanctorum Ignatij Loiolæ, & Franciſci Xauerij in album Diuorum tranſcriptorum, Mediolani.

De Laudibus Beati Andreæ Auelini Beatitudine donati, Mediolani.

De Perfecto Principatu Ad Rempublicam Lucenſem. Cuditur volumen Mediolani apud Ioannem Baptiſtam Malateſtam Anno 1628. Dicatur Andreæ Fotiæ Ianuenſi Abbati, & Procuratori Generali Ordinis.

Item De vita Beatæ Euphroſinæ Sanctimonialis Vincentinæ Italicè librum vnum. Ad Iacobum Serram Cardinalem. Ferrariæ Anno 1619. apud Impreſſores Camerales. Lib. 1.

Item Panegirim carmine Italico de vercellarum Ciuitate in poteſtatem hiſpanorum deuoluta. Ad Didacum Filippez de Guzman Marchionem Leganium Mediolanenſis Ducatus Gubernatorem. Mediolani apud Ioannem Baptiſtam Malateſtam.

Hieronymi Carnagi.

HOrdee, tacta chelis, tonitru vocale videris,
Siue bonos mulces, ſiue minare malis.
Si terres, animant, Borealia flaminia vocem
Si mulces, Zephiri murmurant aura tibi.
Curua ſupercilijs imitaris nubila, fletus
Dum tuus externas irrigat imbre genas.
Si fundis lachrymas, liquidos lachrymaris amores,

 Cir-

Circumfusa tuis turba lauatur aquis:
Si pectus tundis, resonant aliena sub ictu
Pectora, grandineo vulnere turba sonat.
Fles, ardes, & amas, datur ignis aquosus amoris.
Igne, geluq; fabris, fulmina vocis habes.
Ex oculis in corda vibras incendia cordis,
Vsta quibus callidas illachrymantur aquas;
Mille libris vectus nunc, vt loca mille peragres,
Tradere doctrinæ vis monumenta libris.
Eloquij superata tui portenta videbo
Cum poteris muto taliter ore loqui.

Comitis Horatij Archinti.

CVM celebres alios, te laudas Hordea, nunquam
At tua non cessas tradere scripta typis.
Auspicor. Ascanij mihi parce modestia vati
De te vis tacito fusius ore loqui.

Francisci Mariæ Terzagi.

ELoquio mores, respondet vita loquelæ,
Vnus Apostolicas vincis vtroq; tubas
Lingua loquax, operosa manus; mirabile, post hac
Si tibi deficiet lingua, loquetur opus.

Benedicti Soffagi.

PAstoris diuina sui præconia felix
Insubria arrectis ebibit auriculis.
Luminibus geminis hinc se iactantior effert,
Et Ciuem applausu tollit vtrunq; pari.
Ambigitur, minuat ne decus laudator, an addas
Ascanius; tanto detonat eloquio:
Alter flos Diuum, orantum flos dicitur alter
Ille pater patriæ fertur, hic eloquij.

AVGVSTINVS NANIVS CASIVS
BONONIENSIS.





ERVIT boni Sacerdotis Augustini Nanij Casij Bononiensis probitas hoc loco recenseri, tametsi non adeo multis illuxerit talentorum muneribus siue per facundiam verbi, siue per gestorum magistratuum excellentiam. Neque enim soli sibi vixit, neque calamum amandauit adeo, vt omnimodæ obliuioni tradendus appareat, cum ijs, qui solas nati sunt consumere fruges. Eò vel maximè quod vna innocentia vitæ potissima cæterarum omnium dlote, & quæ sola æternitati indipiscendæ sufficiat, alias omnes compensarit, de quarum libertate nihil naturæ debuerit largitrici. Hominis celebritas, qua florebat tum in Congregatione, tum apud exteros Florianus Nanius Theologorum Ordinis facilè Princeps, conciliatrix accessit tam penès adolescentem, quam penès proceres; illi quidem legitimè suadens, vt canonicari curaret; istis verò, vt humaniore ipsum intromitterent assensu. Sanguinis enim vinculo iunctum adeò bene merenti de publica re viro, quis, nisi vel nequiter, vel ingratè, respuisset? Præsertim quod nulla desideraretur in eo qualitatum, quibus ornatos exigimus illos, qui taliter ordinari peroptant. Bonum verò ei sperare congruebat exitum in eo dogmate, in quo consanguineus nomine, req; cum precipuis clarescerent, dirigendus, iuuandusq; ab illo monitis, ac *consilio*. Quo anno, quoue mense ad Echinadas insulas de victo Turcarum *Tyranno classis* fidelium Christi Dei triumphum egit gloriosum, is plebem piam numero, natiuitateq; auxerat sua in Casiensium quidem penninis rupibus, *sed* genitore vtroq; ciuilibus, ac honestis. In semitam viri inducendum, *ab exacta*, infantia educatum volunt apud Bononienses, quo loci & ipsimer *hyematum* in annos ibant singulos. Adoleuit autem simplex ac deuotus magis, quam vafer, & sciens litterarum, quarum tamen tot libauerat pocula, quot necessaria erant ad latinè reddendas voces. Vt eius vocatio ad ordinem innotuit, vtrinq; consensum expediuit Florianus, & opportunè paranda docuit. Ad præscriptum Camilli Becij Casalensis de summa specula præcipientis Gaspár Pastarinus Abbas Montanus bene præcatur ad aram maximam Euangelistæ Bonaerges ritualibus ceremonijs su-

per enearniarum. E formationis Canonicæ anno tertio elapso inter Peripateticæ ſcientiæ auditores ab præuia dialectica diſpoſitos adnumeratur cuius deinde munitus præſidio Magiſtri Sententiarum explanatoribus traditur. Septennem hauſit hinc, atq; hinc diſciplinam ea mentis cuſtodia, vt ad declinandum inflationis ſpiritum ſuſpiraret ardentius charitatem, ſcientiam parcè, non abiectè tamen, vrgeret. Cum laureandi Vniuerſitatum Congregationis dedere nomina Comitijs Generalibus, vt de aſſueta ſuffragiorum lance penderent; ſubijt & ipſe cenſuram cum cæteris. Poſtremus Senatus Rauennæ habitus de anno tertio ante milleſimum ſexcenteſimum die ſequenti kalendas Maias, Theodoſio Roueſcala ſummo Abbate refferente quatuor & quadraginta operarios in meſſem Domini aſſumpſit operatum, ex poteſtate eis facta ſuper ſacris explanandis codicibus,& ſuper pane Euangelij frangendo ante populos. Ex paucis recenſitis coniectemus cæteros; Petrus de Nicolais Lucenſis, Seraphinus Verdellius Cremenſis, Secundus de Palijs Caſalenſis, Michael Angelus Malchiodus Placentinus, Ciprianus Biſnatus Mediolanenſis, & Gabriel Penotus Nouarienſis ij fuere, quorum poſtea virtus mirificè Rempublicam decorauit, claramq; reddidit. Cum huiuſmodi tantis Auguſtinus quoq; promotus eſt, qui, vt proficeret ex demandata prædicandi facultate, adheſit aliquando Verdellio, præ cæteris condiſcipulis ad eius genium eloquentiore; vt exemplo atque iuuamine illius, imitationeq; habenda è pulpito elaboraret promptiore calamo. Verum ceſſit parum fæliciter illi ſocietas, vel comitatus quicumque ipſe fuerit, cum in re quapiam perperam facta is, qui nullius erat culpæ reus, pro calidiore illo penas penè dederit, nec à quoquam magè protectum eſt, quam à puritate; dum ad patrocinium præpotentium illum perfugiſſe innotuit. Minuit caſus animos bono viro: attrectauit ideo ſuggeſtum poſt hæc remiſſius, quam ex rethoricis. Nos certè pluries audiuimus illum Venetijs in altera illarum Plebaniarum non ineptè dicentem, ſed qui magis proficeret opinione, neque falſa, probitatis, quam ſuaſione verbi. Proindè genium ſecutus ad Mathematicas, Aſtronomicaſq; ſciencias perueſtigandas auſu fæliciore ſe contulit. Profitebatur Bononiæ Ioannes Antonius Maginus Patauinus Doctor facultates illas ſumma cum laude, ſcholamq; in Academia illa celeberrima inſtruxerat numero auditorum, & virtute florentem, accedentibus nempe ad ſenem oraculi loco fermè habitum nobilibus, ciuibus, exteris, proceribus, iuuenibus, ſenibus, & omnigenæ familiæ flaminibus, non vt curioſius de more ſcrutarentur rerum euenta, maxime interdicta, ſed vt ſolidius, & ex fundamentis poſſiderent bonam artem. Tantorum abreptus exemplo, lenius primum, robuſtius deinde ſe totum permiſit diſciplinæ, pendens quidem ab docentis ore Magini ex publico ſuggeſtu; ſed & adhuc præceptore priuatim adhibito Marco Antonio Ron-

co

co Bononiense Tertij Cordigerorum Instituti professore ex discipulis Ioannis Antonij primario. Profecit breui tempore non mediocriter in hisce studijs, adeo vt diuersos ediderit postmodum Venetijs, atq; Bononiæ de eadem professione Tractatus, quos statim reddemus: quin & nobis ipsis (quod in animi grati significationem dictum esto) cum eo ad Sanctam Mariam de Charitate agentibus præuiam prætulit lucem ad Tabulas, Ephemeridesq; Maginianas, nec non & ad correctiones Tyconicas contrectandas. Ex hisce quoque meritum mitis animi, mortificationis, obedientiæq; subijt, cum ab Faseolo Generali, vel genus huiusmodi exercitationum non approbante, vel æditionem primi Tractatus absq; orata facultate factam corrigente, in visitationibus Venetis in eum animaduersum est salutari impositione Psalterij nudis genibus recitandi. Peruicisse verò vel rationum pondus, vel mansuetudinem obsequentis Antistitis animum visum est, cum eius nomini alterum in anno sequenti nuncuparit tractatũ. Porò ad senium appropinquanti curæ meliores subiere, per quas valere iussit Astronomica, & totos defixit mentis piæ cogitatus syderum contentori cælo illi, in quo iusti fulgent sicut stellæ in perpetuas æternitates. Repedauit Bononiæ, vbi Montanæ nobilis paræciæ ius, & ministerium exercens communem approbationem subiectæ nobilitatis, plebisq; indeptus est. Iam ab anno decimo muneri laborioso operam ponit, probitate vitæ, animi candore, Theologiæ practicæ exercitio in omnium oculis, maximèq; frugi sacrarij nobilis præciosis suppellectilibus, quas in dies augere nouimus ex ære sibi liberaliter impertito. Scripsit

Tractatum Astronomicum De mensium, dierumq; mutationibus. Ad Iacobum Piscinam Caroli Emanuelis Ducis Sabaudiæ Consiliarium, & ad Serenissimam Rempublicam Venetam Oratorem. Venetijs 1622. Apud Ciottum Lib. I.

Item Tractatum Astronomicum de Anni Euentibus. Ad Constantinum Faseolum Canonicorum Regularium Lateranen. Generalem Bononiæ Anno 1623. Lib. I.

AVGVSTINVS DE NIGRO IANVENSIS.





VOD per rarò ætate prouectis, & ſtudiorum vigilijs abſumptis vix contigit, vt literatorum egregium nomen ſortirentur; id in ipſo ætatis flore aſſecutus eſt Auguſtinus de Nigro Ianuenſis. Ad album namq; Cōgregationis admiſſus ex nobilibus in ea Republica natalibus vix tertij luſtri maior ad canonicam Feſulanam; eò prouectus eſt iugis laboris, & promptiſſimi ingenij ſuſtolente natum, vt in virum perfectum præcoci curſu euaſiſſe appareat. Siquidem luſtratis potioribus Canonicæ familiæ Literarijs vniuerſitatibus Cremonenſi, Placentina, Patauina, per aliquot annos, Vercellis ad Sanctum Andream conſtitit; in eo ſcilicet Monaſterio, ad quod antiquitus Diuus Antonius de Padua accurrit vt Thomam Abbatem audiret Literatorū eius tempeſtatis clariſſimū; in quoue non interrupta ſerie, pace vigente, iugiter ſtudia floruere. Ibi verò ad abſoluendam ſcolæ periodum pro Laurea obtinenda elaborauit eruditum opus, & ſenilem doctrinam omni prorſus ex parte ſiue ſtylo, ſiue rerum ſoliditate ſapiens, quod Ferculum Salomonis inſcripſit ſuper tertium caput Canticorum ad illa verba, Ferculum fecit ſibi Rex Salomon &c. Continet autem Opus quadruplicem expoſitionem in dictum ſacræ ſcripturæ Locum. Prima eſt myſticè de Chriſto, & Eccleſia. Secunda de Anima, & Homine in ſtatu innocentiæ. Tertia de Beatiſſima Dei Genetrice Virgine. Quarta de Beatitudine Homini præparata ac medijs eius. Adiecit autem Singulis Capitibus ex Patribus Scholaſticis Theoremata tum ad diſputantium (quod ipſe ait) expeditionem, tum etiam ad operis ornamentum, ita vt de illo verificari poſſit illud, Intexui funibus lectulum meum, Ænigmata videlicet apponendo: Aſperſi cubile meum Mirrha, & Aloe, Mirrha Sacrarum paginarum, Aloe Philoſophorum dogmatibus: Straui tapetibus pictis ex Ægypto, aliqua ex Poeſi, & annalibus aduocando. Concionator renunciatus debiliore vtens valetudine ex complexione; præter labores è ſugeſtu aliud opus fouere nequiuit. Præfectura ornatus per triennium Neapoli in Canonia Diuæ Virginis pedis Criptæ miraculis dialibus clariſſimæ, obijt poſtmodum in Patria ad Omolegeſim Sanctimonialium Diui Andreæ anno Domini 1621. Scripſit igitur

Fer-

Ferculum Salomonis in Tertium caput Canticorum. Vercellis apud Hieronymum Allarium 1603. *Lib.* 1.

Exercitia spiritualia super Euangelia cuiuslibet dierum maioris ieiunij, amplectentia materias digestas pijssimæ prædicationis; audio manuscripta seruari apud Ioannem Franciscum Pallauicinum Ianuensem Concanonicum. Lib. 1.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

NON *hic terreno resplendent fercula luxu*
Qualia vel stupuit Roma, vel ampla Pharos
Fercula, sed fulgent cælesti ornata nitore,
Atq; ibi spectat opes mensq; animusq; suas
Mystica quadruplicem demonstrat pompa columnam,
Vndiq; diuinum numina spirat opus.
Maxima Dauidicæ sileant miracula prolis,
Hanc vnam molem sæcula nostra colant.



AVGV-

AVGVSTINVS DE NOVIS TICINENSIS.



D egregium Regiæ Ciuitatis Papienſis ornamentum naſcitur Auguſtinus ex honeſta cum primis inter ciues familia de Nouis. Dato nomine Saluatori Lateranenſi iã Iuris prudẽtię in Patrio Gymnaſio candidatus, cæleſtis & aureę eloquentiæ alimenta digeſſit. Magno namq; ſuæ Reipublicę bono in eos incidit occaſionum ſcirpos, qui ſupremum illum fundamentarię doctrinę Theologum, Iuriſq; Cęſarei, atq; Pontificij Laureatum declararunt. Cum etenim diuerſo ęmulantium impetu illa quateretur, etiam liuore non latenti ſuperfuſo, in ſupremo (quoad per illos erat) diſcrimine, dignitate, & originario natalium Apoſtolicorũ ſplendore adductis; ennitente cum primis Ambroſio de Cora Eremita corigiato, ac Iacobo Philippo, & Paulo Bergomatibus eiuſdem inſtituti; adeo illorum conatus fregit ędito Canonici Ordinis Propugnaculo, vt ora leonũ Chriſto dãte & fregerit, & clauſerit. Id verò opus illud eſt, quod expurgatis nonnullis, quæ dudum exciderant ab amariore calamo occaſioni inſeruienti, & prouocantibus aliorum temerè ſcomatibus aculeatis, rçcuſſioni poſtmodum tradidit Baſilius Serenius Mediolanenſis ſub Titulo, De antiquitate Ordinis Canonici. Aperuit autem, ſtrauitq; Auguſtinus hoc ſuo opere viam alijs, qui poſtmodum de ipſa eadem re ſcripſerunt, ablegato ęmulantium ſupremo conamine, & reflorente in comitijs generalibus ſacri Tridentini Concilij. Potiſſimum id liquet ex doctiſſimis iuris prudentum allegationibus, quę prodierunt in cauſa pręcedentię cum clariſſimis Caſſinatibus. Inocentiam vitę doctrinę caſtigationi coniungens primos cõgregationis honores promeruit. Iterato Viſitator, ſupremo Magiſtratu, quem Rectorem Generalem appellare, honeſtatur in Comitijs vniuerſalibus ordinis Bononiẽſibus anni tertij ante milleſimũ quingenteſimũ. Egit tũ Romę apud apoſtolicũ vt reſtituerẽtur Regulares ſui Patriarchio Lateranẽſi, vel dixerim rectius, vt ipſum Patriarchium Ordini, & officijs illorum reſtitueretur prout octogentarij pridem poſſederant. Rem autem primo etiã aſpectu ſalebroſiſſimam, & difficultatibus vndiq; ſcatentem annuente item Alexandro Sexto Summo Pontifice ad exitum ſub certis legibus perduxiſſet; ni fata viam fortaſſis imaturã pręcluſiſſent Ioanne Baptiſta Cardinali Vrſino rei promotore

dece-

decedente. Quo factum est, vt benemerens Mater tertium illo visitatore renunciato in comitijs Cremonensibus post quatuor annos, anno item sequente supremus iterum Moderator Rauennę Generali synodo celebrato reassumptus sit. Sub eo autem regimine facta est congregationi accessio canoniarum Sanctę Marię de Crescentiaco, & Sancti Iuliani de Spoleto illam Federico Sanseuerino Cardinali, hanc verò Hermodoro Melchioro resignantibus. Sed qui valuit Augustinus prudentia illustri in gubernando, calamoq; in scribendo, profuit etiam lingua populo è sugestu concionando, atq; in eo munere sicut plurimum se exercuit per annos videlicet quadraginta, potiora Italiæ loca lustrans, & illustrans, plurimum item enituit. Quo factum est, vt suo æuo viderit reformationem Regiæ Basilicę Diui Petri Ad Celum aureum suę Ciuitatis ex Canonicis Regularibus Mortariensibus inibi degentibus ferè collapsis ab antiquiore obseruantia ad suos lateranenses sub anno tertio post quintumdecimum seculum fauentibus impense cōtra oppugnatores permutationi huiusmodi Ciuibus. Viam vniuersę carnis ingreditur Mortarij in canonia Sanctę Crucis ab eodem per plures annos laudabiliter gubernata Anno. 1520. Sed quia Scripta manent, & transit irreuocabile verbum, supersunt adhuc eius ingenij monumenta.

Propugnaculum (nunc de antiquitate) ordinis canonici, Opus in quinque partes distributum. Lib. 1.

Scrutinium tripartitum in quatriconsultum consilium. Lib. 1.

Elucidarium Christianarum Religionū in quatuor partes diuisum. Brixiæ 1511. Lib. 1.

De origine, & prouentu Christianarum Religionum Lib. 1.

Compendium speculi Crucis. Brixiæ 1511. Lib. 1.

Dialogus de altitudine consilij diuini super salutem generis humani. Brixiæ 1511. Lib. 1.

Expositio in Regulam Diui Patris Augustini, quæ dicitur speculum Clericorum. Brixiæ 1511. Lib. 1.

Collationum. Lib. 1.

Expositio in Psalmum, Deus in nomine tuo saluum me fac, per modum Orationis. Brixiæ 1522. Lib. 1.

Scrutinium De docta Ignorantia Opus libris septem comprehensum. Papiæ apud Iacobum de Burgo Franco Anno 1514. Lib. vij

Clipeus veritatis Lib. 1.

Vita D. P. Augustini, & B. Matris Monicæ ex libris Confessionum. Lib. 1.

Vitæ breues præcipuorum Sanctorum Canonicorum Regularium. Brixiæ apud Angelulum Britanicum 1521. Lib. 1.

Historia quadriparti ta Rerum gestarum ab origine mundi sex tomis comprehensa. De hac in Actis Capituli Generalis legitur, Committitur Domno Samueli

Cremonensi, ut diligenter videat, & corrigat Libros Historiarum P. D. Augustini Papiensis, & remittat eos sic expurgatos in Capitulo Generali R. R. P. P. Definitoribus, ut prelo mandentur. Hæc seruatur manuscripta in Bibliotheca Sancti Petri in Cælo Aureo Libris quinquaginta sex digesta. Lib. 56.

Bartolomei Cremonensis C. R. L.

LI nigerum quisquis Lector monumenta requiris
Ordinis, & nostri discere facta cupis,
Ecce Ticinensis præclara Volumina docti
Tempore, quo fuerint singula gesta docent.
Ille nec inuidiam veritus: nihil inde labores
Nil hos qui nasum Rhinnocerotis habent,
Grande opus aggreditur, delet mendosa, recludit
Abdita quæ fuerant, cunctaq; vera patent.
Canonici sibi nos multum debere fatemur
Omnia nam scriptis facta serena suis
Gaudeat æternum decus acceptura, creare
Promeruit talem quæ pia terra virum.

Ioannis Gazolobi poetæ Cæsarei.

CVI Canones, cui dat Sanctissima Regula nomen
Cum docet unde suus sumpserit ordo caput.
Ordinis antiqui priscos discernere honores
Et falso verum fas tibi discutere.

Basilij Serenij Mediolanensis.

QVale serenato proles Thaumantia Cælo
Nobile terrigenis monstrat in axe decus
Tale iubar terris roseo deuexit ab axe,
Candida Religio quo decorata micat.

Au-

Auctoris.

DOcta magistrali datur ignorantia libro:
Hic tibi perfectum disce salutis opus.
Singula continuis Lector meditanda diebus
Discolor aula pari margine picta docet.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

QVod sereno æuo composita
AEmula praua spicula gentis
Læta repressit lanigera choors,
Liuorq; latens aurea fregit
Tecta, nec albas resperfit oues;
Augustini prouida virtus
Inuicto pugnans animo fecit:
Non crocitantum plebs alituum
Potuit rostris prælia aduncis
Miscere, ingenuasq; ferire
Vngue columbas; nam generosa
Indefesso hæc volitans cursu
Aquila, nigrum perdidit agmen,
Atq; insolito lumine aspiciens
Pennisq; velox, secula quidquid
Prisca tulerunt vidit, mox &
Docto exarans calamo fudit;
Tandem pernici astra volatu
Repetens, celsa fruitur pace.

AVGVSTINVS STROZZA MANTVANVS.





ON alijs profectò te laudibus cumulandum attingimus, Augustine Strozza Mantuane doctissime, pariterq; candidissime, quam illis ijsdem, quibus te curauit exprimere tuus & syncerous, & coniunctissimus Bossus ille Matthæus, cuius memoria in sæculorum viuet æternitates. Nam licet summo id ille, quod aiunt, penicillo, leuibusq; & aliud agens attigerit tractibus; quoniam tamen est, qui non subliminorem in pauculis te ductibus agnoscat illis, suiq: simillimum, hoc est scientissimum, atq; sanctissimum, quam sub cuiusuis alterius coloribus, exactiorcq; graphide? Lætaberis interea amica posteritas super suauissimi scriptoris de tanto viro puriore eloquentia. Hic igitur primum in disputatione quinta de Instituendo sapientia animo Valerium Facinum Vicentinum ita loquentem introducit. Cur non magis Augustinum Strozzam hunc nostrum, qui nobis hodie è Mantua est superadditus, ad hoc impellitis, ne tantus hospes hic affuisse videatur incassum? Qui sicut in reliquis animi dotibus, ita quoque in omni genere literarum mihi minimè concedit; verum & hoc in se amplius habet, quod natura mihi, vsusq; non peperit, carminis latinæ, maternæq; linguæ admirabilem commoditatem, atque dulcedinem (innatum decus.) Nam ante sumptam Augustinianam sacram hanc togam puer domi quicquid concepisset artubat in numeros, vt sacratus iam tum musis videretur, quas modo sæpè ad pietatem, remq; diuinam luculenter, grauiterq; traducit. Tum ille venustate ea, orisq; lautitie, qua condire solet omnia, quæ vel agit, vel dicit, hunc in modum respondit. Si quam tribuisti mihi, Valeri, esset ea in me virtus, atque peritia, facili opera quod petisti assequi ab me quidem posses. Verum neque rei explicandæ, disserendæq; neq; cætui ornatissimo isti responsuram facultatem meam vllam, nisi amens sim, vllo pacto crediderim. Tù amicè tamen, ac perbenignè id sentis, quod de me plurimus, & ardentissimus tuus animus optat. Nam versus canere, quod me posse tibi placuit dicere, non tam philosophantium, ac disputantium, quam lyræ proprium, & cytharæ est, ea quamuis instrumenta vix vnquam religiosa nostra atria subeant, & obsoleta illa ego etiam nunc quidem ignorem. Quod si æquam rem posco,

audi-

auditorem me permitte hoc primo congressu, Valeri, qui poeticum aliquid, qua facultate, ac vi ornare me voluisti, sicubi fortè licuerit ducam in aciem. Cui indulgendum nullius alterius rei, quam reuerentiæ causa Celsus cum censuisset, stetit res ipsa tota Valerio. Hæc quidem ibi Bossus; in epistola vero centesima quinquagesima septima secundarum eadem eloquentia rem ob oculos ponit in hæc verba. Vt suauis semper, blandus, lepidus, & omni ex parte iucundus visus es mihi venerabilis Srrozza, perinde quidem & visæ sunt literæ tuæ, in quibus exsuscitatur mihi sæpè, ac reuiuiscit Cambius Bossus olim meus amor, meęq; in Iesu Christo delicię. Nihil legebam, quod vir ille scripsisset, quod semel legisse mihi sufficeret; ita grauis, ita plenus, ita callens priscam dignitatem in sacris, & humanis literis omnibus erat. Eius quoq; consuetudo proxima ipsi fælicitati mihi planè videbatur. In te illum adoror interdum, & eius ingenium, bonitatemq; contemplor, vt mihi videamini alterum se inuicem reddidisse; adeo tu illum acumine ingenij legendo, scribendo, fandoq; mihi exprimis, & ad memoriam, ipsosq; oculos reuocas germanitate quadam. Quem, vt amaui ante omnes, ita tu Augustine mihi succedis ad compendium soliti illius amoris, & gratię. Accedit ad hoc, vt scribis, & verum scribis, quod inter nos nulla quidem dissimilitudo animi est, sed te sensisse mecum, ac dissensisse in rebus serijs, & grauissimis omnibus, quę ad dignitatem, & amplitudinem Sacrę Reipublicę nostrę præsertim pertinent: & simul ambos eadem ęmulatione, eodemq; zelo publica priuatis semper antetulisse. Ijsdem studijs, moribusq; simillimis delectatos, vt quę coniunctio, & charitas inter nos polleat, iam neminem nostrorum hominum lateat. Sed his iam satis perspectis nobis, & cognitis, ad alia calamum incidentia deducamus. Per hęc ergo testimonium omni exceptione maius reddebat Bossus veritati, ac necessitudini super Strozzę virtutibus, atq; decore. Hoc idem quoque pręstitit non verbo, sed opere Congregatio ipsa, maiores nempè Patres in Senatum compacti, cum per gradus Reipublicę solertem illius sedulitatem, prudentięq; robur in gubernando comprobare. Vitensium Mantuę familiam non semel moderari, pluries alibi præfecturas gerere iubetur, multoq; pluribus præfuisset, si verbo Dei circumferendo almus concionator minus diutinè incubisset. Expectabant enim electores, vt, deposita per fatiscentem ætatem sarcina, vel saltem declinata, se de integro permitteret domestico secessui; ipse verò tum quia lætus operabatur populorum saluti, tum quia parum lubens formidabat obnoxium se præbere rationi reddendę subditarum aliquando animarum, in annos prosequebatur, & annos declamationibus operam dare. Vna ęgretudo, & illa complexione bona ferocior remouit emeritum, è cuius vngue vix euasum tollunt Patres, nec semel gubernantem dimittunt. In albo eorum, qui

maio-

maioris confeſſus exiſtunt, adſcribitur per Comitia Rauennatenſia anni ſecundi ſuperioris ſæculi adiunctus Auguſtino de Nouis Ticinenſi Generali Viſitator, Collegaq; Germano Vercellenſi, Deſiderio Patauino, atq; Martino Bergomenſi viris integerrimis. Annus is eripuit Boſſum de viuentium numero, aut veriùs adiunxit viuentium cætui. Illi parentauit inter mærores, ac lachrymas, eiuſq; præambulam itionem tanquam quandam diſſolutionis ſuę appropinquantis ſignificationem accepit. Quare ardentius, cordatiuſq; ſolito omnem expræſſionem pietatis, amoriſue in Deum, & in parentem Congregationem proſequitur voce, factiſue. Neque diù ita poſt præſenſione fallitur, cum omni munitus Sacramentorum præſidio conuolat ad perennitatis oras non adhuc in altius ſenium prouectus. Scripſit

Odas ſeptem De ſeptem verbis Domini in cruce pendentis Ad Franciſcum Gonzagam Mantuæ Marchionem. Mantuæ apud Anno 1486. *Lib.* 1.

Item De Raptu Pauli libros duos ex Patribus primum, ex Scholaſticis ſecundum, occaſione Epiſtolæ Matthæi Boſſi centeſimæ ſeptuageſimæ quintæ ſecundarum. Ad Siluanum Maurocenum Generalem Rectorem. Mantuæ apud Anno 1498. *Lib.* 2.



AVGV-

AVGVSTINVS VENTVRA BVGELLANVS.





E Montibus subalpinis dedit Bugella castris Lateranensibus Augustinum Venturam, virum quidem eruditionis nomine commendatum, at veræ pietatis titulo commendatiorem. Aperuit illius ingressui ianuā Gratianus Bugellanus tum Diui Sebastiani eiusdem Ciuitatis Præpositus, vir Dei zelo feruentissimus, & indefessus Regularis disciplinæ promotor, à quo etiam sanctæ vitæ, inculpatæq; conuersationis normas eddidicit. Sub tanto duce, & intra domesticos patriæ lares sicut plurimum egit vitæ, ita plurimum indeptus est ornamentorum partis tum intellectiuæ, tum affectiuæ. Docuit populos è suggestu iugi exercitio, absq; discrimine tam ciues eloquentia alliciens, quam rudiores colonos pinguiore cibo enutriens, vt pro sua virili verum fieret, Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite; atq; item, Lac potum dedi vobis non escam. Quantus homo facundia fuerit, quasi ex vngue colligi potest ex Panegirico illo, quem edidit ad Petrum Franciscum Ferreriū Cardinalem, & Episcopum Vercellensem. Enitet in eo candor latinissime (si fari expedit) locutionis Asiatico dicendi genere in amplum discurrentis. Ex quo Auctorem poeticis luminibus, & historicis euentibus reffertissimum licet agnoscere tam ex Romanorum, quam ex Græcorum scrinijs depromptis. Quod si subiectum arti responderet, vt aliquod pertractaret doctrinale, vel vtilioris, ac delectabilioris indaginis, per amplè bibliothecas omnes discurreret, oppleretue gymnasia. Nunc verò vsurpari potest illud, Materiam superabat opus. Spiritus fœcunditate magis prolificus sibi quoq; apparuit, quippe qui Magister Nouitiorum in viros perfectos plures è discipulis euasisse viderit. Nam Monasterium Bugellense longa annorum serie in domum religiosi tyrocinij erectum eo directore se ipsum fœcunditate superauit; quod inde quasi ex seminario nouellæ plantationes in iuuentute sua prodeuntes, Congregationem vniuersam fructibus honoris, & honestatis opplerint. Gratiano ad Generalatus apicem secundùm promoto in Comitijs Rauennatibus anni 1560. Augustinus ad Præposituram eiusdem Monasterij assumptus est, vt in maiorem partem solicitudinis ingrederetur, & vsui promptiori esset venerando seni publicis munijs occupato. Qua-

Quare super excelsa illum statuens mater congregatio, perfecit pedes tanquam ceruorum, docuit manus ad prælium, & posuit vt arcum æreum brachia eius. Bonisoperibus plenus naturæ debitum soluit anno 1570. Edidit ergo.

Panegyricum, Ad Petrum Franciscum Ferrerium Cardinalem. Venetijs apud Rutilium Borgominerium 1561. *Lib.* 1.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

DVM mira herois celebras preconia laude
O! stupuit tantum purpura sacra melos:
Vna Caduciæ cessit tibi gloria virgæ,
Et dedit ingentes docta Thalia modos:
Attica Pimpleos infudit musa liquores,
Inseditq; tuis blanda Mellissa labris
Quid mirum Hibleos fundat quod pagina succos
Purpura si roseo præbuit ore dapes?



A V-

AVRELIVS DE ELECTIS PLACENTINVS.



RVMPEBAT vix ab ouo Reformationis Frigidionariæ Familia Canonica, cum Aurelius de Electis Placentinus eidem palmes inseritur, fructus vberes, suauissimosq; allaturus tanto ociore cum maturitate, quanto feraciore cum alimento foueretur. Decuit profectò ab ijs vberibus virum lacte Religionis potari, quæ fæcunditatem noui geniminis nouerant, vt ijsdem prorsus imbueretur vitæ spiritalis caloribus, quos & ipse de hinc deriuaret in alios, atque alios ad Sacram Rempublicam cum Dei gloria dilatandam. De ergastulo carnis tres tantmodo ex duodecim primis illis Reformatoribus excesserant Benedictus Parcitadius, Ioannes de Pergamo, atq; Nicolaus de Curte, nouem alijs superstitibus, in ijsq; potissimum Leone Carato, & Bartholomęo Columna supremis zelatoribus; ideoq; maximus illæ disciplinæ feruor grandibus ausis huiusmodi ex superum gratia concessus in omni asseruabatur robore. Aurelius autem ad tantum ascendens institutum is erat, cui æstuans illa charitatis, & claritatis flamma de facili corriperetur. Decor interioris animæ in cultu exterioris præclaræ compagis elucebat: florida ætas maiestatem quãdam præseferebat, quæ non de facili in pluribus reperiretur, illaq; ipsamet argumentum eius morum consonantiæ erat, quæ religiosum exprimerent ante quodlibet religiosorum dogmatum experimentum. Galdino de Bardis eximio illi ex duodecim Reformatoribus viro, cui tantum debet Canonicum Institutum, quantum cuiuis alteri, de facili attribuet huiusce operarij nostris ritibus adhæsionem quicunq; eorum temporum peruolutabit obnubilata monimenta. Strenuus namq; Congregationis suæ administer, ac propagator in omne se vertebat latus, vt cum æternæ bonitatis propitiatione promoueret, quod strenuè inceptum erat Sanctæ Reformationis opus: atque ideo cum ex conciuibus Placentinis alios in pium propositum inflammasset exemplo vitæ, morum, eloquij, habitus; haud incongruè deductum est, præclarum quoq; adolescentem Aurelium esse lucratum. Mitior literatura iam animum possederat, iam præcesserant non infima experimenta seuerioris disciplinæ, quibus membra pro Deo subiacerat alio nullo directore præter quam illo, cuius vnctione perliniebatur interius: quorum

adiumento aream nouæ ſpiritalis conſtructionis metitur, & ab eruendis fundamentis abiectionis religioſæ ocius ſe expedit, ad celſamq; virtutum fabricam extollendam conſurgit. Præsbyteratu honeſtatum excipit ſancta prædicatio, non quæ leniter, ac ſenſim procedit ad perfectum decus; ſed quæ tota erumpit ex ſacri pectoris promptuario efficax, ardens, aculcata, maſtixq; vitiorum ab Deo vim ſuadellæ ſortita, non ab arte. Ea propter ab Generali Synodo Ferrariæ ad Sanctum Lazarum celebrata de anno quadrageſimo ſupra quartum decimum centenarium exæquatur Timotheo Veronenſi eximio illi præconi, qui poſtmodum Raguſium moderatus eſt Archiepiſcopus, & ab longo habito experimento, vna cum Philippo Vtinenſi liberè ad officium exercendum dimittitur, cum ſancta eorum temporum ſeueritas ſobriè, & de anno in annum tantumodo facultatem concionandi faceret. Fortis natura prudentię, dexteritatiſq; ſalira condimento, quę ętatem etiam pręuerteret, ad maturitatis ſuauitatem perducebat quicquid lingua ſeminaſſet, dum confluentes deuios, afflictos, rudes excipiebat, ſiue ad ſacramentalem auriculam, ſiue ad monita, conſilia, & directiones. Concoquebat enim negotio facili (aliquoties quidem in vim naturæ eximiæ; ſed multò ſæpius ob virtutem ſupernæ irradiationis) quicquid aſperum, quicquid accidum in moribus, & vitæ genere miſeros fatigabat. Oratio, ieiuniumq; duo illi cardines erant, ad quos iugiter ianuam animæ, corporiſue conuolutaret, à quorum altero neque tum ſe excardinari eſt paſſus, cum alijs Lateranenſe Patriarchium curantibus Concanonicis eſum carnium bis in hebdomada permitti per comitia obtinuit ob loci inſalubritatem; adeo ſibi fortis imperitabat, qui alijs mitis ex charitate compatiebatur. Vt primum in numerum præfectorum cooptatur, credita ſibi adhuc maiora talenta aperit. Profectò Magiſtratus virum oſtendit. Paucis omninò poſt Frigdionariam concinnitatem fuiſse dona largita, quæ in Aurelium prælùxere innotuit. Quadragenarias propè pertractauit habenas, illaſq; fracto nunquam curriculo. Et licet id ab exordio vſque Reformationis in more poſitum eſſet, latèq; appareat perennem eam Canoniarum moderandarum ſeriem etiam cum alijs ſemel aſſumptis exercitam; tamen perpaucis omnimodè contingit tam diuturnioribus pręiri faſcibus. In anno trigeſimo reformati ordinis primum dicitur Prior Sancti Ioannis Baptiſtę de Canonia ad Sancti Archangeli Caſtrum diæceſis Ariminenſis, & ad annum vſq; ſexageſimum ſecundum Decies Generalem pręfecturam gerit, quę res alteri nulli contigit. Neque ideo quidquam de maieſtate cadit, quia annua tantum tunc ea dignitas eſſet; quin potius augetur decus, quod tantoties ſub ſuffragijs ierit, & digniſſimus ſemper illo haberetur imperio. Canonię, quibus paſtor vigilat poſt prędictam ad Sanctum Archangelum ſunt iuxta promotionis ordinem ad illas, Placentina, Taruiſina,

na,

na, Rauennatensis, Bononiensis, Tremitana, Veronensis, Cremonensis, Brixiensis; adeo quod præstantiorem propè partem Congregationis contrectarit singulariter, vt omnibus personaliter cognitus nullos prorsus haberet ignotos. Vbicunq; autem sui simillimus, hoc est specimen semper præseferens Sanctissimorum illorum, à quibus Ordo dimanauit, Apostolorum, enituit. Potissimum verò in Vrbe sub oculis nationum omnium à Deo prędilectus præstantissima illius opera declararunt. Patriarchij Lateranensis iuribus exercendis annos sex concedit inter maxima quidem rerum discrimina. De anno trigesimo nono eius sæculi, vt Apostolicis Eugenij Quarti Hierarcę obtemperarent mandatis (qui totos sui Pontificatus nouem annos decursos concoxerat opus) nostri sub primo Priore Benedicto Placentino ad sacrosanctam eam Basilicam reformandam accesserant circa kalendas Iunias, & supra annum in prouincia perficiunda (licet aliquantisper per ægretudines amandati) perseuerantem famulatum præstiterant inter ærumnas, & incommoda; cum in ipso die Sacrosanctæ Eucharistiæ solemni per vim acerbissimam, perq; impetum tumultuarem, facto rusticorum, populariumq; agmine, ab Canonicis sæcularibus de possessione turbantur, atque pelluntur, Pontifice adhuc absente, & Florentinam Generalem Synodum post vnionem Grecorum, & Armenorum in ea ciuitate per vnionem Æthiopum maturante. Hinc Congregatio in Comitijs Ferrariensibus anni quadragesimi primi, acceptata renunciatione iurium eius Prioratus per Benedictum Placentinum facta, nouum nullum Priorem eligit. Sed in sequentis anni Generali conuentu efficaciter tantę amissionis, iniurięq; discusso pondere, & diuersorum Dei seruorum, ipsiusq; Pontificis faciliter habito sensu, die vigesima quarta Aprilis Patres in hoc decretum deuenere, Quod fiat protestatio contra Canonicos Sancti Ioannis in Laterano, de Possessione, & Prioratu dicti Monasterij, & de omnibus iuribus nobis à Papa Eugenio collatis pro eo Monasterio: in quam possessionem protestamur nos perseuerare, & si non corpore, saltem animo, & voluntate. Vnde & omni anno statutum est, vt eligatur Prior in dicto Monasterio per publicum instrumentum, & assignetur ibi conuentus in numero fratrum viginti quinque, quos Rector maior elegerit cum socijs suis. Quare in Prelaturarum distributione Aurelius ipse in Rectorem Generalem assumptus Primum, Prior etiam Lateranensis eligitur; vt in ipso saltem nomine iura legitima ad rem retineat; vtpote is, qui vnus præ omnibus restitutionem in integrum per conuenientia media moliri, assequiue posse censeretur. Quin & cum actuali suprema dignitate titularem quoq; hanc Comitia anni quadragesimi tertij ad alios duodecim menses illi prorogant. Ipse verò rem penitimè cum Deo agens per publica, priuataq; sacrificia, & orationes nil animo erat de exitu sollicitus; illud ab infinita Numinis prouidentia expe-

ctans, quod è re communi esset. Differebat enim per humanas rationes constanter, facundèq; ac solidè, habitationem eius Patriarchij, coniunctamq; habitationi prouinciam plus semper laboris, atque ærumnarum, ac periculi annexam gerere, quam speciosi decoris: à qua si ratio demeretur hæreditarij iuris, & habitæ iam pridem possessionis per annos octingentos, atq; translatorum Patrum terminorum à Bonifacio Octauo; nil omninò remaneret Congregationi exoptandum præter onus inuidię plenum, ac præter aeris insalubritatem vix superabilem. Interim quod desuper præstitum erat geritur: nam transacto vix dum talis prorogationis mense Ludouicus Scarampus ab Arena mediarota dictus Patauinus Cardinalis Sancti Laurentij in Damaso, & Patriarca Aquileiensis ab Eugenio Romam regressuro pręmittitur, acceptisq; Apostolicis mandatis Canonicos sęculares amouet de facto: & Eugenius ipse ad sedem suam post absentiam annorum decem gloriosè reuersus Generalem auocat, sanctumq; inchoatæ intemperanterue interruptæ Reformationis opus reassumendum componit, & transigit. Hinc post paucos menses Comitia anni quadragesimi quarti Ferrariæ item congregata in hanc formam Aurelio refferente statuunt. Die trigesima Aprilis Deliberatum est, quod pro debito nostro obediatur voluntati, & exhortationi Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Domini Nostri Eugenij Papæ Quarti, qui vult, vt iterum reuertamur Romam ad Monasterium Sancti Ioannis in Laterano. In præsenti mittantur quatuor Sacerdotes, & duo Conuersi ad necessaria preparanda; de hinc tempore opportuno, videlicet circa mensem Septembris, vel Octobris mittantur reliqui, qui mittendi sunt. Insuper in prædicti decreti executionem consequenter Nicolaum de Zanolinis Bononiensem iam quintum Generalatu functum in Priorem Lateranensem assumunt, & duobus associatum Canonicis ad vrbem properè mittunt: Aurelium verò tertium in supremum Rectorem firmant, vt inceptum grande opus perficiat, solidetq; Ipso igitur ad summum clauum Congregationis sedente, Beatissimus Eugenius nostros in actualem possessionem Sacrosanctæ Basilicæ immittit rebus omnibus ritè, ordineq; compositis atq; dispositis, & Bullas totum rei pondus continentes expedit sub die decima Ianuarij anni quadragesimi quinti datas. Post peractum immortalis memoriæ opus, coacto Ferrariæ senatu de more ad Idus Aprilis, Rectoratu se abdicat, successore accepto Simone Aliprando Mediolanense, eodemq; Laterani Priore constituto. Ipse Saluatoriensem Canoniam apud Brixienses moderari iubetur, vt si quam distractionem piæ menti negotiorum exactorum varietas imperasset, vel intulisset; sacro illo secessu ea abigeretur, & ad se ex integro cor illud reuerteretur, quod pro Canonica vniuersitate tanta patrarat. Mox anno sequenti patrijs Placentinis laribus datur cœnobij præfectus, & in numero Quatuor

Virorum

Virorum Censuram in Ordine exercentium reponitur. Verum dum isthæc vtilia quidem & speciosa detinebant virum, vrbis illum exposcebant negotia vigilem, acrem, impauidum, spectatęq; probitatis, ac dexteritatis. Licet enim Lateranensis Prior Benedictus optimo loco iura, possessionemq; suam aduersum impotentes conatus, & seditiosas turbationes Canonicorum Sæcularium in ipsa Sanctissimi Eugenij dormitione pulsionem nostram ab Sacrosancto Patriarchio aggredientium tenuerit: & licet nouum Pontificem Quintum Nicolaum exceperit assuetis sacri Prioralis officij ceręmonijs ex Pontificalium librorum pręscripto, cum summus Sacerdos possessionem Diuinissimi Patriarchij adijt; tamen Aurelio inesse aliquid maioris talenti ad publicam personam gerendam putabatur. Quare coacta Synodo in ipsis Lateranensibus ędibus illarum Prior tertium renunciatur, quas & per annos quatuor iuges iuuat, custodit, & prouehit ex lege congregatorum Patrum semper confirmatus. Neque verò *secluditur* ab publicis alijs muneribus vir ad omnia factus, nam Visitatoratus iura, actusq; exercet de annis quadragesimo octauo, & nono. Congregationi adiungit Monasterium Sancti Siluestri Montis compatrum Tusculanę diœcesis ex donatione sibi, Lateranensiq; Capitulo, atq; toti Societati facta per nobilem, piumq; Thebaldum de Anibaldis de Molaria. Monialibus Sanctæ Marię Gratiarum Genuæ aream Ecclesiæ, Monasterijq; ædificandi, ac domos donat, primum lapidem benedicit, & iacit, Regulam, habitumq; Canonicum impertitur, Ioanne de Gattis Canonico Regulari, ac Sancti Theodori Priore in Commissarium ad ea peragenda deputato, sub protectionem Lateranensis Ecclesię, & in vnionem spiritualem recipit. Raphaelem Saluatum de Altomonte Prępositum Mortariensem virum religiosissimum ad se aduentatum ita amplectitur, vt resignationis confirmato in eum proposito, insignem, antiquissimamue Canoniam iā fermè ad triarios (vt aiunt) redactā Reformationis Sancte virore reflorescere, inq; Lateranensis consortij vlnas recipi obtinuerit. Annum quinquagesimum Sacratissimi, plenissimiq; Iobelei inter spiritus suauissimas extases celebrat, & absentibus Concanonics, ac fratribus, hoc est totæ Congregationi, ab beneuolentissimo Pontifice Nicolao celebrari impetrat sub eadem omninò spiritalium bonorum ex inexhaustis Ecclesię thesauris assecutione. Commissum curę suę diuinissimum locum sedulitate cordatissima reparat de portione illa, quam Sanctissimus ipsi adiudicauit piarum largitionum eo remissionis anno per fideles confluentes Sacrosanctę Basilicę collatarum. Profectò id operis exigebat sacratissima ædes, quæ in eius & curam Regularium ab sęcularibus illis omni prorsus ornamento, *suppellectiliq;* denudata cesserat, vt meritò eius temporis monumenta *scripserint*: Quicquid fuit pulchri pręter solos parietes ipsi Canonici

Regu-

Regulares suis proprijs sumptibus refecerunt, videlicet Organa noua, & optima; Tabernaculum marmoreum pretiosis lapidibus insectum, & eleganter insculptum pro Sanctissima Eucharistia seruanda, Pallam magnam altaris maioris ex chrisoclauo pretiosissimam, Octo capellas cum suis altaribus, Oculos vitreos magnos in maiori naui, & in alijs, Duas cruces alteram argenteam magnam, alteram christallinam, Plures calices, planetas, camisias, superpellicea, Altaria insuper Sancti Sebastiani, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, S. Ioannis Baptistæ, & Præsepis Domini elegantissimè fabricata, & alia multa, in quibus plusquam sex millia ducatorum auri de camera impenderunt. Quam opportunè autem nobilis reparatio habita fuerit, aduentus ipse Friderici Tertij Cæsaris ad Vrbem mox secutus declamauit. Quo enim die imperiali diademate redimitur ab Apostolico, eodem etiam inter Regulares Canonicos Lateranēses de sacro ātiquo more, dū Sacrosanctam Constantinianam Basilicam visitat, per superpellicei impositionem recipitur, Aurelio ad plenum pias functiones peragente. Quæ nam verò illa extiterint, quantus ipse in eis præstandis apparuerit, & quæ obsequia collegium ipsum Canonicorum exhibuerit, quoue pacto reiectus, ac castigatus Canonici cuiusdam sæcularis spiritus seditiosus, qui curiosius nosse vult, epistolam, quam de hac eadem re ipse scripsit, in annalibus nostris legat. Cæterum Aurelius mense vixdum transacto ad Generalem Conuentum Rauennam profectus Quartum Rector Summus inter communes acclamationes renunciatur, & Quintum, Sextumue succesiuè per sequentes Synodos clauo insidere cogitur. Quod ita felix, faustumq; fuit, vt in eis viderit auctam Rempublicam per accessionem, reformationemq; Canoniarum Sancti Epiphanij, Papiæ, Sancti Theodori, Genuæ, Diuæq; Virginis de Martorano, Parmæ, in quibus ab antiquo tempore Ordo floruerat Canonicus. Porrò quid operis, atq; industriæ in eis assequendis ipse insumpserit ex alio consimili incremento liqueat. Criptanum templum Deiparę Virgini propè Neapolim sacrum in via, qua Puteolos itur sub Pausilipo amænissimo monte ab annis iam centum constructum, & dehinc fiduciarium factum, Alphonsus Aragonius Rex, Ordini Canonico, nostrisq; moribus insigniter animatus, sub apostolico placito nostrę Congregationi vniebat. Sed de more Principum plura, eaq; maxima, & diuersa coquentium in menses rem parturiebat. Quare Aurelius in partem oneris regij manum supponens omni studio, alacritate, prece, intercessore opportunus enititur fœtum, quem & exprimit inter Regis, ac Populi gaudia misso Neapolim Fabiano à Doliceto ex Lateranensis Monasterij familia viro industrio, qui procuratorio suo munitus actualem possessionem apprehenderet, quod & áctum est Lupo Ximenio de Orea Prorege immitente. Licet verò tantus esset in augendo Canoniarum numero, non tamen in adeptaum

rũ conseruatione obdormiebat veli minimũ: vt de illo dicere posfint successores, Multiplicauit gentẽ, sed & magnificauit lętitiã. Nã in eo Conuẽtu, quo sextum Generalis edicitur, Fundamẽtales de nouo publicari cuicit Ordinis Cõstitutiones, Leges inquã illas, quas cõmunis assẽsus, & assuetudo practicas fecit ad annũ vsq; huius seculi decimũ octauum, in quo substãtialibus retentis, ad tempora, & posteriores Tridẽtinas, Pontificiasq; Sanctiones adq; maturatas animaduersiones nouam formam induerũt. Insuper euocata in consultationem longam Sanctimonalium Ordini adiudicatarum administratione, propositisq; incommodis, ac damnis inde in Congregationẽ scatẽtibus, & sensim difluentibus, suffragatores Patres adduxit, vt in hunc modum legem tulerint. Si qua bulla in posterum emanaret ab Apostolica Sede de suscipienda cura monialium, nullo modo suscipiatur sed fiat appellatio, ad Sanctissimum Pontificem. Quod vtiq; decretum tempora quidem insequentia, ineuitabilesq; fortasse necessitates antiquarunt; sed quanto cum beneficio vident, & experiuntur qui ex merito præsunt. Post hęc ne iura frangerentur, quę fascibus supremis vltra prorogari interdicebant, successorem quidem accipit inclitum Thimotheum de Mapheis Veronensem, de quo infra in hisce libris; sed non propterea à iure dicundo abesse permittitur inter illius collegas quatuor viros enumeratus, à quibus tertio vixdum anno seiungi obtinuit. Hæc in id permittendum forte consensisset cætus, nisi pręmeditasset in anno sequenti ad septimas Generalitias Infulas de facili assumendum, quod & gestum est in Casoretanis Comitijs: quin & octauæ, ac Nonæ sequenter adiectæ sunt, ille ab Veneta, hæ verò ab Ferrariensi synodo. Et quoniam ipso Moderatore non modica videbatur ordini semper immitti fælicitas à superis, Collegia illustria Sancti Andreæ vercellarum, & Sancti Viti Mantuæ ab antiquo tempore Canonicorum Regularium dogmate munita in nostras transiere colonias ad virorem Lateranensis Reformationis promerendum, curantibus Serenissimis Alphonso Aragonio Rege, Ludouico Sabaudo Duce, ac Barbara Gonzaga Marchionissa. Idem quoque illuxit faustum sydus in muniendis mutantibus politici moderaminis Reipublicæ Cardinibus. Dum enim euincunt Comitia Casoretana numerum Prelatorum illorum, qui congregationem illustrare Censores morum solent, ad denarium vsq; augendum, & dum sequens conuentus Venetus octo tantum admittit; Aurelius Ferrariæ ex vi officij prudentiæ, adeptęq; existimationis ad libram adeo pertraxit rationes nouitatum; vt tandem vno cosensu diffidentia hinc inde ingenia in priorem semitam Quattuor virorum reduxerit, quam & postmodum sequentia inoffenso pede triuere, tenentq; tempora etiam multiplicato Canoniarum præclarissimarum numero. Ipse post hæc abdicato magistratu nil in votis pretiosius habet, quam reliquum vitæ priuatus omninò transigere,

figere, consulturus non inerti otio, sed per sanctæ quieti; cuius rore fæcundaretur anima; quæ velut sterilescens in æstibus actuosæ sibi videbatur. Per biennium quidem fit voti compos; sed elapso illo Decimum Generalis sublimatur inter lachrymas, & suspiria dolentis, quia reuocaretur ad fluctus. Verum quem in terris portum non inueniebat securæ stationis, commiserante Deo adeptus est, vt piæ speramus, in Cælis. Nam Paulo post pondus mortalitatis deponit vir posterorum memoria dignissimus ad annum sexagesimum tertium inductæ frigdionariæ Reformationis. Scripsit

De Rebus Congregationis Frigdionariæ Lateranensis, vt testatur Penottus Libro Tertio Historiæ Tripartitæ Capite 21.

Item Epistolam de Coronatione Friderici Tertij Imperatoris Romæ actam ab Nicolao Quinto Summo Pontifice, quæ pluribus in locis edita legitur.

FINIS.



LYCEI



LYCEI LATERANENSIS SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER SECVNDVS.



BAPTISTA VERNACCIA GENVENSIS.



DESINAT admirari quispiam si tot virorum conferto agmini vnam hanc sacram Virginem Baptistam Vernacciam Ianuensem inseruerimus. Decuit nostros exercitus suam Hippolitam, nostram Rempublicam suam Ersiliam. Sed paralella cadunt, nec benè quadrant prophana nostris. Decuit nostros Iudices suam Debboram, nostras ciuitates suam Iudith. Iuuit ex habitu, ex professione magis, quam ex sexu rem commensurare. Licuit scriptoris pietati erga benedictã animam tantisper affectæ commemorare nunquam subticendam. Oportuit eius ardentissima opera recensere, vt qui hæc lecturi sunt prę curiositatis complemento, ad illa confugiant præ salutis animæ desiderio. Sed quæ dicendi vis è penetralibus illis monasticæ custodiæ in hanc publicam lucem educat publico abhorrentem cętu lucifugam virginitatem? Quis eloquentiæ sonus exprimat illum cęlitibus eloquentissimum innocentis animæ

strepitum, vnam in se pro sceleribus innocentiam diuerberantis? Quis orationis color illum non viola tinctum, sed ipso cęlesti coloratum amore diuinæ amantis pallorem expingat? Quæ tandem efficax exæquet facundia illas Numinis expugnatrices, ac nunquam non exorantes penè assiduas solitariæ preces? Vt quæ magister virginum Hieronymus custodiendæ pręcepta virginitatis è cælesti Palestinæ solitudinis academia Romanę nobilitati præscripserat; hæc omnia vna sibi seuerę virtutis tenera magistra candidissimis moribus animo, corporiq; Baptista Vernaccia constanter, ac propè diuinè inscripsisse videatur. Iam verò si Baptista rem domesticam curet, quis laudator prudentius dicat, quam illa fecerit? Si Deo vacet, ac sibi, quis diuinius orator prædicet, quam illa vixerit? Si parentem extremus morbus lecto affigat, quis generosius narrator exponat, quam illa pertulerit? Quod si ad heroica hæc balbutit oratio; ad extrema illa iam appellentis ad Cælum Baptistæ diuiniora facinora penitus obmutescat necesse est. Quare ommitto quod ab humanis nuptijs ipsi nubilis Deo diuinos amplexus ab alienato sæpè à sensibus animo prælibarit: Quod in pręsentissimo sempiternę sapientię complexu futuros calamitosorum eorum temporum exitus presenserit, & pronunciarit: Quod irati Genuæ Amoris in vltricia fulmina iam procedentis suos ignes supplici lachrymarum artificio emollitos in auream beneficiorum pluuiam impetrarit. Nil præterea dico de religiosissima illa consororum familia, quæ Vestalibus longè virginibus illustriores non prælucentem superstitioni flammam in templis, sed specularem pietatis ignem in animis inextinctum custodiunt. Cæterum præstat obuoluisse silentio Virginis Baptistæ lõgum annorum nonaginta vitæ cursum admirabilem mirabiliumq; plurimorũ patratorem reddendum aliquando distinctim libro in id vnum pro viribus collimato. Opera autem misticæ Theologiæ, diuinorumq; redundantia affectuum quæ ab eius sacro habemus calamo quatuor voluminibus distincta sunt.

De Vnione animæ cum Deo. De Cognitione Dei. De Gaudijs cælestibus. De modo eadem Gaudia obtinendi.

De Oratione. Duodecim Cantica spiritualia. De Gaudijs, & Luctibus spiritualibus. De Diuino osculo. De Vita admirabili Mortuorum mundo. De perpetua vnione cum Deo.

Variarum Contemplationum Partes duæ. Tractatus de vita spirituali. Dubia 46. cum responsionibus Desiderij Negronij Canon. Reg. Lat.

Cantica gratiarum à Deo acceptarum. Colloquia Diuina. De Congregatione in Diuinum vnum. De contractu animæ cum Deo. De Desiderio sponsæ. De ijs quæ surrexerunt in Christo. De vita Patris sui. Epistolæ ad diuersos. Omnia edita Venetijs, & Veronæ apud Angelum Tamum Anno 1602. & Bononiæ apud Clementem Ferronium 1636.

BAR-

BARTHOLOMÆVS COLVMNA ROMANVS.





HM Lateranenſes gradum deuoti affectus ſiſtite, quiq; terrgenæ, & filij hominum ſimul in vnum diues,& pauper aciem omnes piç mentis accuite. Hic magnus ille eſt diuini verbi propalator, hic feruens ille, & ſupremus ſuorum temporum Eccleſiaſtes Bartholomæus Columna Romanus, quem nos Apoſtolorum, Auguſtiniq; propagines poſtremæ Frigdionariæ Reformationis Motorem, Suaſorem, ac cum primis executorem profitemur, cuius ſanctæ conuerſationi, ſortibuſq; conatibus, atq; grandibus auſis tantum debent plurimi Regularium Ordines, quantum cuiuis alteri. Ortum eius glorioſum reddidit illa ipſa Roma, quæ dudum Orbis imperatrix, in melius mutatis iuribus latius nunc præſidet religione diuina, quam dominatione terrena. Ex Heroum namque fæcundisſimo illo ſeminario Gentis Columnenſis editus eſt, ex quo neminem non genitum ſuſpicimus ad grandia fulcienda, gerendaue. Ita profecto vſu quandoq; venit, vt Superi in vnius alicuius familię generoſis prouectionibus quaſi incumbentes inſpiciantur, dum propagines, & ſurculi à maiorum viuifico humore non declinantes in degenerem oleam non tranſeunt. Cępit verò tum illuceſſere Orbi, cum Orbe ipſo vniuerſo in malignum poſito, ipſa Chriſti Domini veſtis inconſutilis per crucifixorem militem integra conſeruata; ab diro, horrendoq; ſchiſmate fermè ad quadragenariam viriliratem prouecto in partes ſcindenda, lacerandaue penitus cerneretur Bonifacio IX. Petri nauiculam legitimè gubernante, & Petro de Luna Benedicto XIII. nuncupato in cathedra peſtilentiæ ſedente anno quarto ante quintumdecimum ſæcularem. Tum enim altè conceptum charitatis ignem euiſcerans,ſancti amoris fulminum vbiq; è ſuggeſtibus diſfuſor proſilijt. E ſuggeſtibus verò, quos feruor ipſe magnifici animi opportunos extemporariè reperijſſet, non quos ars ipſa, vel vſus, aut deſtinaſſet, aut præparaſſet. Quamuis etenim maiore ex parte è ſummorum templorum pulpitis declamaret feruentiſſimè, quippe quæ, & ratione loci, & compoſitionis conuentus auctoritatem venerabiliorem concilient; tamen

men & sæpissimè turbas, ac proceres excipiebat in foris, in compitis, in maioribus palatiorum conclauibus, & publica, & priuata oratione prout feret occasio, & spiritus faces impellerent. Neque verò ad tantum muneris sola ipsa nobilitate, vel parum in hisce functionibus considerata præmunitus ascendit, aut solo ipso Domini zelo suffultus; sed scientia, & dignitate conspicuis. Siquidem sacerdotali characteri, & ministerio Præsbyter sęcularis sęcularem Canoniã ex cathedrali coronensi coniunxerat; quodue magè refert cognitionem tam diuinarum, quam humanarum scientiarum scelectissimam, & in officina ipsa sacrarum literarum recoctam. Ea propter diuini honoris æmulator strenuus ex Romanæ quadragesimalis prædicationis fructibus initiatus; Italas Ciuitates peregrinator accedens verbum salutis diffundere, peccatores ad pænitentiam vocare, vitia acriter conterrere, errores conuellere, virtutes verbo pariter, & exemplo serere exceptissimè visus est. Comprobauit vbiq; Numen strenuos præferuidi declamatoris, innocentissimiq; viri labores, & conatus, cum primis apud Venetos, Patauinos, Vicentinosq; per vberrimam spiritualium fructuum in animabus vindemiam. Paucularum linearum ductus incapax representator est egregiè præstitorum. Quæ in populis mirabilia commotionis peragebantur piè concipiant alij, vel fidè ex historijs hic substituant. Ex dicatis Ecclesiæ plurimi arctioris, tutiorisq; vitæ desiderium illo prædicante, suadente, impellente concipientes, aut nouos Ordines instituerunt, aut antiquos temporum iniuria, & ruinis relaxatos reformauerunt, arctioribus, seuerioribusq; se obstringentes disciplinis. Quinque præ cęteris veneranda ipsa celebrat antiquitas, Gabrielem Condulmerium, & Antonium Corarium Patritios Venetos, & Gregorij XII. Pontificis ex sorore, fratreq; nepotes, qui Ordinis Canonicorum Regularium Sęcularium Sancti Georgij in Alega nuncupatorum fundatores extitere, ac postea Sacri Senatus Cardines, & eorum prior aliquando Summus Hierarca in sua obedientia Eugenius Quartus appellatus. Ijs tertio loco succedit Ludouicus Balbus Patritius & ipse Venetus, antea Prior Diui Georgij de Alega Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, postea Monacus Diui Benedicti, & clarissimæ reformationis, & Congregationis Monacorum Sanctæ Iustinæ de Padua nunc Cassinensium nuncupatorum Auctor, per quem monastici Ordinis vigor, & splendor apud Italos est restitutus postea Taruisinus Episcopus. Quartam sedem occupat Albericus de Aduocatis, quos Auogadros dicunt, claris natalibus apud Brixienses, seu Bergomates illustris, Cęsarei, Pontificijq; Iuris consultissimus, qui Patauinis Bartholomæi prędicationibus abrenunciatio sęculo Venetijs ad Ioannis, & Pauli ędes Prędicatorum Dominicanorum institutum suscepit, ex humilitate profunda, & ex bigamia inter conuersos eius Ordinis enumeratus assumpto Iacobi nomine

mine

mine, cuius postmodum eloquentiæ virtutem mirificam Deus contulit ad Frigdionarios Canonicos reformatos translati. Postremus in hac serie enumeratur Beltrandus Taruisinus Venerabilis Sacerdos, qui propè eandem Ciuitatem in Ecclesia Diuę Marię Magdalenę plures Religiosos in maxima humilitate, paupertate, & vitę sanctitate congregauit. Verum & si speciosa satis superq; sint hęc, & omnium ætatum commendatione dignissima; longè tamen speciosiora, commendabilioraq; recensentur, quæ circa Reformationem antiquissimi, omniumq; primęui Ordinis Canonici pręstitit. Pluries ipse deffecerat, dilapsusq; fuerat in tam longa annorum serie à pristina illa Apostolorum Auctorum, Apostolicorumq; virorum virtute, & ab eximijs illis sanctitatis operibus, per quæ illuxerat primogenitus omnimodè frugifer Ecclesiæ Catholicę. At Deus pręstangens sanctissimorum virorum corda iuxta diuersas ętates diuersimodè semper illum fulcierat, & ad pristinum decorem reduxerat, nunc Aurelio Augustino Gloriosissimo Antistite, nunc Iuone, nunc Arnulpho, alijsq; pręstantissimis viris Reformatoribus. Vltimis tamen temporibus sæculi millequatercentesimi ad extremas vsq; deuenerat ruinas, schismatibus, bellis, direptionibus, incendijs, humana malitia, commendatarijs, libidine, rapina omnifariè, intimè, extimè, fędè perurgentibus, ita vt dispersi essent lapides sanctuarij in capite omnium platearum, & filij Syon inclyti amicti auro primo reputati essent in vasa testea opus manuum figuli, in contrarium reluctante, pro viribusq; Pontificijs succurente labantem familiam sed incassum Benedicto Duodecimo, atq; Bonifacio Nono gloriosę memoriæ Apostolicis. Verum aduentato eius miserendi tempore misericors Dominus vniuersa disponens hunc seruum suum Bartholomęum ad eximij Instituti Reparationem prouehendum, suadendumq; misit. Siquidem cum Etruriam prædicationibus, Sacramentorumue administrationibus lustraret, & illustraret: apud Lucam Ciuitatem ei innotuit de sancto proposito paucorum quorundam Canonicorum Regularium Diuæ Matris de Frigdionaria, qui ab anno iam quartodecimo pristinæ viræ, primæuiq: arcti decoris viam, & virtutes meditabantur, ac perurgebant, qui tamen directore aliquo, forti, pio, industrio, docto indigerent. Quare animo illis per vires iuuandis adiecto, saeriq: loci vetustate venerandi opportunitate ad vnum considerata, communicatisq: consilijs, dum Æmiliæ, Venetæ, Insubricæq: oræ Ciuitates prædicationibus percurreret; cordatè, & anxius scrutabatur si quid à Numine appareret tantæ Prouinciæ, tamq: eximijs attentandis idoneum. Obiecit itaq; illi Deus Papiam verbo sacro irriganti, & sanctissima conuersatione enutrienti duos ex Canonicis Regularibus Congregationis Mortariensis Diui Petri ad Cælum aureum eminentissimos viros, Leonem Caratum Mediolanensem, & Thadeum Binaschium Papiensem, quorum corda diuinæ

præ-

præuentionis oleo ab aliquot mensibus impinguata, priorem pulchritudinis spiritualis nitorem suspirabant, anhellabantq; regressum Ordinis sartatectum ad paternam ipsam sancti rigoris Canonici hæreditatem. Ij enim suopte genio ad probitatem dispositi, & Superni Spiritus afflatione illustrati auditis viri concionibus, eidem intimi cordis voluntates, & desideria priuatis congressibus aperuerunt. Assequi haud quaquam historia potest, quæ mirifica in huiusmodi allocutionibus contulerint, quæ disposuerint, quę obiecerint, quæ dissoluerint premeditata nunc absona, nunc dissona, nunc consona Sancti Dei homines, præsertim verò Bartholomæus, & Leo quorum præstantiora in rebus agendis, & vrgendis erant talenta, licet par in tribus sanctitas, & innocentia vitæ. Leone per Bartholomæum Frigdionariæ Reformationi Duce lucrato, & ipse ab eodem vicissim Ordini lucratus est. Quare sponsa ad inuicem societate, dum alij è sæculo illustres iam præuenti ad idem exactè disponuntur, Thadæus ad locum præmittitur, & non ita satis post Leo subsequitur ad iacienda ipsa tantarum rerum fundamenta. Decimo demum exacto mense, varijsq; prædicationibus impenso, Bartholomęus coniuncto sibi socio Benedicto Parcitadio Ariminense Sacerdote viro claro Frigidionariam accessit, ac die vigesima septima mensis Maij in festo Diui Ioannis Papæ, & martyris Apostolicam camisciam, Rochetum dicunt, Ordinis indumentum de manu Prioris Leonis accepit, & ex Canonico Sæculari, Regularis Canonicus efficitur. Nouo vitæ generi per nouas virtutes nouus cultor accessit, & quodusq; tum stadium militiæ percurrerat exactissimum tyro simul, & veteranus ab ouo reassumpsit. Seruorum quippe Dei & si matura sint opera, tamen se nouellæ plantationes in via spiritus profitentur. Ad octauum Idus Iunias Philippo Septemdiacono ex primis dicatum, in priorem ab paucis illis septem Canonicis eligitur, dum ille mærens quidem onus subiret, sed è contra lætaretur quod voci suę vocem virtutis addidisset Omnipotens, qui generosos athletas contueretur in sancto proposito proficere. Ab Episcopo Lucensi confirmatione accepta secundum antiquam Canoniæ consuetudinem, socium Benedictum consortio per habitus inuestitionem aggregauit, neque ita multo post tres alios generis nobilitate, & virtutum splendore illustres à se pridem Papiæ prædicationibus aquisitos, Petrum Ridum Patauinum Sacerdotem, & in Gymnasio Papiensi Legum Doctorem, Galdinum Bardium Comitem Placentinum, & Nicolaum Curtium Papiensem Ducis Mediolani aulicos familiares. Isti duodecim, Frigdionaria Reformatio, Lateranensis Congregatio, sunt Patres tui, veriq; pastores (si ex Leone altero verba mutuanda sunt) qui te regnis cęlestibus reinferendam multo melius, multoq: felicius contenderunt, quam illi quorum studio prima menium tuorum fundamenta relaxatione tentata sunt. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam reuexerunt,

exerunt, vt gens sancta, populus electus, Christi Domini primogenita, sancta, & Deo placens declareris, ac per Apostolicum Hierarcham caput Regularium enunciata, latius præsideas religione diuina, quam dominatione terrena. Sic verò formatis primæ illius Canoniæ rebus toto cordis hiatu ad promerendam Æterni Numinis gratiam velut inchoatores institerunt, Virginem Deiparam, cui in spiritu humilitatis inseruiebant, titularem aduocatam adhibentes: & sicut Satanas ad illos vsquequaq; vallandos, cribrãdosue aduenit tãto infensus, quanto præ cæteris ipsa necessaria vitę subtrahenda molitus est; ita infinita benignitas Saluatoris lumine adstitit mirifico consolatrix, lumine inquã, quod præsagiens coronaret capita, & illuminaret animas. Verũ sunt isthęc aliunde prosequenda. Interea temporis Bartholomęus expleto repetiti regiminis officio, electoq; in eius locum Benedicto Parcitadio, ad pristinũ lucrandũ animarũ exercitiũ est reuersus. Assumpsit secundę huius expeditionis collegam Iacobum Aduocatum Bergomensem eum, de quo supra tetigimus, iam à se Canonico habitu, & disciplina redimitum, optimo quidem, & per exitum ipsum valde felici consilio vsus. Nam cum in ipsa longa, & constanti peregrinatione viribus paulatim destitueretur ad senium prolabentibus: hunc ad conciones habendas substituebat, dum se ipse interim exhiberet ad Omologesim, sacramq; Sinaxin ministranda, & ad nosocomia lustanda, & surrigenda, dispari profecto labore, sed pari fructu cum alter sanctè colligeret, quod alter piè serebat. Ex ea ministeriorum vicissitudine, & ipsorum odor, & nouellæ eorum reformationis sic augebatur apud omnes opinio, vt centenarium vbiq; Christo Domino lucrarentur prouentum. Feracem præ reliquis superq; persensere regionem Venetã, Insubrasq; gentes, è quarũ vbere numero clericos, laicosue è fæculi naufragio erutos ad Sanctæ Religionis portum transmisere, hos quidem, atq; hos Frigdionariam, illos Patauium, Venetiasq; ad Diuorum Georgij de Alega, & Iustinæ monasteria. Neque ideo assumpti dogmatis Bartholomęus culturam in se deseruit peregrè agens; quin eo ardentius operi prouehendo incumbebat, quo intimius experiebatur emolumenta orthodoxę Ecclesię enascentia. Aliquam annorum partem diuertebatur ad venerabilium eorum parietum solitudinem, vbi spiritum vitæ, quam profitebatur, & receperat, & innouarat. Tum verò maximè Omnipotentis fauorabilem benignitatem persensit Ordini, cum Otho Columnius Cardinalis ad summi Apostolatus apicem est euectus memorabili illa electione in Concilio Constantiensi acta, Martinusq; Quintus appellatus. Siquidem à sibi consanguinitate coniunctissimo, & omnibus probatæ vitæ obsequijs conciliato nihil ad Congregationis egregium decus, spiritualeq: incrementum spectans desperabat non obtinerę. Nec irritas spes clarissimi, sibiq: charissimi viri reddidit Sanctus Pontifex, à quo & octo Collegiorum Canonicorum

rum Regularium Reformationem, & Benedicti Duodecimi constitutionum dispensationem, & Rectoris Generalis, communisq; Synodi creationem sortiti sumus: ita vt verè, ac realiter ad nos Dominus tum dixisse videatur, Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui Columnas eius: nos verò de primis illis Patribus vicissim ad eum, Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem inimici audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non & ipsi per eadem passi erant, magnificabant te: & qui ante lesi erant, quia non lædebantur gratias agebant, & vt esset differentia donum petebant. Propter quod ignis ardentem Columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitij præstitisti: Demum in longam productus ætatem, & ad similitudinem Isaac Patriarcæ præ senio cæcus effectus, dum cum socio ex ora Veneta ad Montis Feracis regionem pedester de more pergeret Euangelio magis iuxtà virtutem, & conceptam populorum opinionem, quam iuxtà vires prędicando; febribus correptus propè Mantuam in Monasterio Diui Benedicti Congregationis Casinensis octuagenario maior, plenusq; meritis in Domino quieuit anno millesimo quadringētesimo trigesimo, Petro Saluideo Patauino Secundū Generali Rectore Tertiodecimo, cū vidisset incorporationem tresdecim antiquarū Canoniarū Congregationi vnitarum, Frigdionariam Reformationem amplexātibus illarum Canonicis, iuxtà quod idem ipse vir Sanctus spiritu profetico prædixerat, clariusq; anno mortem eius sequenti executum est, nostris Reformationem Patriarchij Lateranensis iniungente Pontifice Eugenio, quasi in Cælis latè intercessor accederet, qui in terris fortiter administrator præierat. Vitam eius, & quæ pręstitit mirabilia scripsit Fantinus Dandulo Episcopus Patauinus, qui sancto viro conuixerat per multos annos, & arcana vitæ obseruarat. Tumulatus est per Venerabiles Monachos tum temporis propè turrim campanariam in peculiari sepulcro cum opinione fortè, quod pręsbyter sęcularis esset, cum nondum satis innotuisset pręsertim in ijs regionibus de instituto resurgentis Reformationis. Verum templo innouato, corporeq; Diui Simeonis in nouo sepulchro marmoreo albo è regione sacelli Almę Virginis Deiparæ reposito, etiam huius Beati viri reliquię cum alijs Sanctarum Vicetæ, Aquilinę, & Episcepi Vbaldi viri Sanctissimi ad illud translatę in eodem sepulchro reconditę fuerunt. Sepulchro autem Bartholomęi tale Epitaphium fuit impositum.

Stirpe Columense Romanum Bartholomæum
Marmoris hæc niuei continet Arca Patrem,
Qui Sacras quondam Benedicti venit ad ædes,
Et pius, & verus pacis amator erat.

Presbi-

Præsbiter hic laicus signis, dum vita manebat,
Claruit, & senio deniq; Sanctus obit.
Mille quadringentis Domini currentibus annis
Atq; tribus decies, Regna beata subit.

Nos Sanctissimi huiusce viri quinquaginta pijssimas meditationes in Christi Domini passionem manuscriptas in pergameno vidimus apud Reuerendiss. Iosephum Delphinum Patritium Venetum Episcopum Vicentinum designatum, dum Venetijs degeremus ad concionandum in templo Diuæ virginis de Charitate, quas vt Reliquias fermè venerabatur, aliquando ab Diuæ Magdalenæ Taruisinæ Ecclesia habitas. Exemplar præcibus obtentum transcripturis alia successere.

Meditationum in Christi Domini Passionem liber vnus adhuc manuscriptus. Lib. 1.

Leonardi Sarctij Bargęi

INclyta Cæsareos iactas quid Roma triumphos
Quidue Duces celebrans tollis ad astra tuos?
Ipse tuos spernas licet Tranquille labores,
Doctaq; facundum dextra texat opus.
Languida iam laudes depræssit fama vetustas,
Atq; alto claras vertit amica tubas.
Non ne patet? Vestris maiores illa triumphos
Concinit, atq; alijs spissa theatra replet.
Hic tuus Augustos vincit columna potentes,
Vincit, vt in chartis facta notata probant.
Non ne hic cum Cæli stellata ad tecta vocauit
Feruidus, & sacro fudit ab ore fauos?
Non ne & cum primus suasit fundamina claustris
Hic noua cum vidit reformatione Patres?
Vera loquor, passim manarunt flumina labris
Eloquij sacri, templa vel ipsa canunt.
Publica res vitium quando Christiana minata est,
Non ne hic lapsuræ vera columna fuit?
Vnde hoc? AEthereis flagrans præcordia flammis
Ille Deo plenus corde gerebat opem.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

O Qui Romuleum sydus
Et cernis niuei Patrem

O Penè

Penè relabentis diruta cætus
Mœnia prudenti erigere animo;
Cur non Castalium murmur,
Et vocem fidibus iungis?
Nunc, nunc ingenij promerè vires,
Doctamq; iuuat resonare chelyn.
Hebræum populum quondam
Longas innocuo gressu
Per semitas duxit Moyse magistro
Sacro rutilans igne columna.
Diffugit pharij Regis
Tunc diram rabiem, & ponti
Fluctiuagos cursus temnere quiuit
Siccà calcans æquora planta.
Liquit Niliacam terram,
Subtraxitq; iugo collum,
Et lætam egit per gaudia vitam,
Pabula gustans, superasq; dapes.
Nobis numine sed dextro
Non ex Isiadum terris,
Sed clarA Eneadum venit ab ora
Firma soboles fulta columna.
Diuino hæc charitum fulgens
Splendore, igniuoma flamma,
Culparum tenebras lumine pellens,
Populis vitæ reclusit iter.
Et fecit varios fluctus
Calcare indomitis sæcli,
Inde lacrimarum crimina vasto
Vndas prouocans mersit pelago.
Te nostri generis magnum
Miramur columen, cuncta
Te collaudabunt sæcla, nec vnquam
Te desistent populi canere.

BAR-

BARTHOLOMÆVS GARZONIVS BAGNACABALLVS.





IBVISSET fortaſſis Bartholomæum Garzonium ſimul cum Thoma Fratre vna, eademq; tabula coniunctim intuentibus exhibere, & ad vnicam tantumodo cartulam illorum notitiam coniungere. Quos enim copulauit germanos natura, vitæ inſtitutum, ſtudiorum pariformitas, doctrinarum dignitas, fortunarum participatio, & aliquando lucubrationum æditio; potuerat, & noſter calamus aſſociare, vel & ſcalptorum ferrum, atq; pictorum penicillus. Exitum tamen ipſorum hoc loci magis inſpeximus, quam introitum, & adheſimus funeri præproximo, ſecluſo remotiore natali: qui non pariformiter lucis huius ſunt vſura fruiti, neque paribus ingeniorum dotibus fæcunda feracitate potentes, eò vel maximè, quod alterius ab altero diuerſa nanciſcitur, & ſcribendi occaſio, & legendi curioſitas. Bartholomæus (de Thoma ſuo loco fluet manus, & eloquium) natu minor adoptato inter noſtros fratre, poſt annum quintum allicientibus epiſtolis illius, quæ & perbeatam vitæ Canonicæ normam in ſpiritu, & lenitate, & mundanarum occaſionum labilem æquè, ac ſplendidam ſeruitutem continerent, intimiore item ſuadente pneumate; ei per electionem in vitæ genere ſociari curauit, quem iam natura ſuoptè genio per carnem copularat, & ſanguinem. Inter Portuenſes *Rauennæ* habitum induit, & tyrocinium egit, adſcriptus poſtmodum inter *Gymnaſtas* vbere doctrinarum fructu. Sub Celſo Mancino omnium literarum viro philoſophicas Ariſtotelis doctrinas edidicit in egregium Peripateticum euaſurus. Sub Octauiano verò Strambiato Minorita Scholaſticæ Theologiæ operam dedit, ad mentem ſubtilis Doctoris Scoti placita eius ebibens. Hic dum Portuenſes inſtrueret in ea via vir doctus cum præcipuis, & aliquando Collegij Seraphici Romæ Moderator primus ſub dudum æmulo Sixto Quinto ædificatore, cum Felix Perettus Conuentualis eſſet; ſcholam excellentium diſcipulorum vſq; promouit ad apicem. Amandatus inde Patauium Petrum Bonſignorium Theologum præſtantiſſimum in Viridariana profitentem audiuit iuxta ſcholam Doctoris Angelici

Thomæ. Approbauit laurea Doctoralis eius labores, & diligentiam coronauit. Interim electus vt alijs profiteretur, Logicalem interpretationem ex vngue inchoans, dein Naturalia prosequutus, postremo loco Magistrum Sententiarum explicauit. In hisce munijs meliores triuit iuuentutis annos comparato sibi plurimæ eruditionis thesauro, & iusta periti Theologi approbatione. Multus studio, & assiduus vigilijs, tarditatem aliquam ingenij minus viuidi (quod in alijs ad claritatem exuberans venerari solemus) fidissimo suppleuit vadimonio, & ad soluendum semper satis parato. Septendecenalem Lecturam de optimis semper optimè merita Congregatio ornauit amplo priuilegio, vt perpetuo Prælaturæ titularis honore conspicuus dignosceretur, & suffragio in omnibus Generalibus Comitijs potiretur. Actualis etiam gubernij Præfecturas sæpissimè gessit, nunc ad Sancti Vbaldi Eugubij, & ad Beatę Virginis Lachrimarum Triuij Prępositus, nunc Abbas ad Sanctę Crucis Cęsenatis, & ad Diui Pręcursoris Ferrariensis Canonias. Asperam aliquanto vocem à natura sortitus, asperi moris virum primo auditu repręsentabat, qui tamen candidi, & verè ingenui animi dotes ab omni fuco alienas, & antiquę libertatis modestia labentes exprimeret. Apud conterraneos suos auctoritate per virtutem probatam conciliata floruit. Vnde à sęcularibus curis alieno publica negotia in arduis non semel pertractanda commiserunt, functusq; pro illis est apud Prouincię Exarchos Cardinales, & Pręsides, ac Prolegatos Oratoris munere. Ad futuram vitam euolanti fratri inter pias genitorum manus adstitit, & omni ope pręsto fuit. Cum verò ex Superiorum Ordinis concessione laudabili, & gratioso permissu successisset in quasi hereditarium ius (vt ita dicam) scripturarum vniuersarum. quę Thomas vix quadragenarius reliquerat, & lucubrationum illarum, quæ etsi maturatæ, & ad debitum vsq; finem perductæ publicam nihilominus lucem haud viderant; animum sic scribendo applicuit vt nihil præterea meditaretur attentius. Tum autem in opus firmatum est vehementiore impetu, cum necessum habuit Magnifico operi pridem per Thomam medijs typis pollicito, quod Palatium Magicum inscribebat; nouas collimare formas, & sub nouam incudem reuocare, vt ordinem mutaret, ac titulum, mutilaretq; suo loco materias, ex negata facultate cussionis per vigiles Sanctæ Inquisitionis Quęstores; ne sub communi Italico idiomate tot haberentur varia, quæ prauis, vel minus doctis lectoribus superfluæ, curiositatis semina forent. Adiectis igitur proprię mentis speculationibus, & longioris lectionis obseruationibus per amplum dilatata suppellectile in maiores diuitias erexit Fratris elaborata, ædito opere, quod attitulauit Septum mirabilium Orbis obiectorum Italicè tamen Cuderat quoq; pridē Tractatū de Stella magorū cum aggregaretur Rauennæ inter Accademicos eius Ciuitatis Informes. Nos viro claro plura debemus,

mus, quippe qui Abbatem tum Cęsenę gereret, cum anno 1604. ad huius prædilectę matris filios, quamuis indigni aggregati sumus per prima eius familię vota. Egressus est de ergastulo carnis Ferrarię propè septuagenarius anno 1621. Relicta illi monasterio vberrima Librorum suppelectile.

Scripsit ergo

De Stella Magorum Tractatum Italicè. *Lib.* I.

Additiones ad septum Mirabilium Orbi Obiectorum. Venetijs apud Ambrosium Dei 1613. *Lib.* x.

Additiones ad Ianum Bifrontem. Est Ferrariæ manuscriptus.

De seruandis Sanctionibus & pro gratiarum actione oratio habita Papiæ in absolutone Synodi Papiensis Anno 1597. *Manuscripta Ferrariæ.*

Ioannis Petri Bachettæ.

Anagrammatismus.

BARTHOLOMAEVS GARZONIVS.
GRATVS ES OMNIBVS OLOR.

DVM Monstra, & vatum, Garzoni, Oracula, Sortes
Pallenti, & missas ex Acheronte canis,
AEthera demulcens cantu tibi plausibus Orbis
Concinit, & Gratus omnibus, inquit, olor.
Sic dum fata instant pleno tunc gutture cycnus
Murmurat, & querulo dulcius ore canit.

Cregorij Brunelli Mediolanensis.

FVdit inassuetum Cæli per inania lumen
Sydus, & à supera prodijt arce nouum
Eoos ducens ad sacra mapalia Reges
Vt ferrent nato munera trina Deo:
Mortales dudum peregrino lumine mentes,
Traxit ad insolitum stella comata iubar;
Sed stellæ tibi docta aperit nunc pagina causas
Astra alia haud poterant doctius ore loqui.

Aucto-

Auctoris.

De Thoma, & Bartholomaeo Garzonijs Fratribus.

LVmen in hac humili tu quondam sæpius arce
Lumen in ætherea qui modo luce micas,
Aspice germanum nullo qui clauditur orbe
Lumen, at ille tuo lumine lumen erit.
Vos cælum, Tellusq; tenet, vos lumina vtrique
Vos tenet vna domus, vos tenet vnus amor.

De eisdem Fratribus Garzonijs.

NObile par fratrum ressonat quos extera tellus
Magna sub hac vestro nomine fama minor.
Prodigijs, rebusq; nouis, factisq; superbis
Lucifer ille fuit, Tu modo Vesper eris.



BAR-

BARTHOLOMÆVS PASVLINVS BONONIENSIS.





IVI Euangelistę Ioannis Collegium, quod in Monte dicunt, à Petronio Sanctissimo Episcopo ante annos mille Bononiæ extructum ad memoriam Olиueti Montis; Barthlomęus Pasulinus restaurauit,& suo ferè humero piè fulciuit. Siquidē etsi Canonicus ordo inibi semel institutus nunquam in eo deffecisse constet; iniuria tamen temporum, & bellorum semper inordinato impetu ad extremos vsq; lapsus deuenerat. Quid autem est quod senio non tabescat, & ortum non decumbat? Alta cum opinione sanctitatis, & ęquali cum laude in populatissimæ vrbis occulos vitam duxerunt arctissimam per plura sęcula in eo,& altero Sancti Victoris propè Ciuitatē Collegijs adinuicē vnitis Canonici Regulares. Verum ob lōgiora schismata,& obstinatiora illa scandala quę circa finem tertij decimi sęculi vniuersā Ecclesiā turbauerāt,atq;fœdauerantà; priore illo Regularis Canonicæ disciplinæ feruore relaxari cæperunt. Hoc vero tum demum promptius vires sortitum est, cum ad Rodulfum de Alamandinis Priorem iura illorum obuenere, qui doctrina quidem pollens, & literis, vt scientia inflat, at nihil pręter redditus, & temporalia lucra curans, commune naufragium imminens, vel potius per vertices iam absorbens, non attendit distractis hinc inde substantijs, fabricis ruentibus, Victoriano collegio penitus Canonicis destituto, hoc verò ad sex tantum numero deuoluto. Rebus supremus lapsus imminebat, cum illo viam vniuersę carnis ingresso anno decimo septimo sequentis sæculi Bartholomæus Pasulinus Canonicam vitam Regulariter professus in Priorem eligitur. Annos agebat ætatis triginta quatuor (pauciora scilicet tempora vitæ quam prædecessor gubernationis sortitur) sed prudentia, atq; virtute senio quidem confectos præibat, quarum intuitu cæteris præesse iussus est. Hic autem tanquam missus à Domino, vt erat Regulari disciplinæ firmiter inherens, locorum conditionem miseratus, & meliorum æmulator charismatum, de illis reparandis, & priore obseruantia restituenda intimius excogitare cæpit; cumq; suis illis perpaucis cordatius pertractare. Obtigerat autem viam aperiente Domi-

Domino, vt ante biennium sub Rodulpho Antecessore Canonicis Frigdionariç Reformationis Monasterium Sancti Victoris ad diuertendum ab illis permissum fuisset. Quare illorum iam fama ex durioris vitæ instituto percrebescente cum eis vnanimi consensu post maturas adinuicem conferentias societatem inierere laudabiles illorum consuetudines, & vitæ normam suscepti, pio operi assensum præstantibus per expedita publica documenta Episcopis Bononiense, Veronense, Lucense, in quorum diœcesibus, & sub quorum iurisdictione per inueteratam consuetudinem Canonici degebant. Et ne perpetuæ firmitatis robur desideraretur anno sequenti ex Pontificio Diplomate Martinus Quintus vnionem, & approbauit, & sub immediata Sedis Apostolicæ Protectione suscepit. Bartholomæus interea exactè discutiens intimiore experientia modum quo viuerent sibi associati Canonici; vnioni actæ illorum etiam reformationem adiunxit: non enim per omnia ad eorum se formauerat ritum, qui se Prioratu non abdicauerat ex more prædecessorum perpetuus Prælaturç insistens. Quare dignitate in Episcopi manibus primum ressignata, ac deinde pensione centum ducatorum, quam tum resseruauerat, in Capitulo abdicata, se totum ad veriorem normam composuit. Mirum dictu est quanti vir probus profecerit, quamq; per triginta octo annorum spacio inculpatissimè in Congregatione vixerit. Doctrina quidem excellenti instructus per feruentissimam charitatem impratermisse populis ex suggestu panem Scripturarum Diuinarum frangere, Ciuitates quamplurimas disertissimo ore instruere, Concanonicos ad optimam frugem benedirectarum literarum lectionibus, & exemplo inflammare, studijs edacissima tempora superare eius fuere conatus. Multa, & eleganter, & eruditè composuit: præ alijs verò Opus Chronicon De Bononiensis Ciuitatis mutationibus, quod non appellato Auctore Carolus Sigonius adhibuit in testem in Volumine Episcoporum eius Ciuitatis sub anno 1410. Neque tamen inflauit scientia virum vera humilitate florentem, sed cum tantus esset, officia etiam queq; minima libentissimus subibat, actus condiens externos vnica cordis, & uultus hilaritate. Vestes Canonicorum nunc illis acu suebat, nunc istis forcipe ad corporis staturam aptabat, nunc sacrario diuinis deputanda usibus, uel per totum innouabat, uel aptè reparabat. Choro iugi uigilantia, uel per diem quæreret, uel per noctem, sic aderat, ut illum modulatione gubernaret: qui musicam prę alijs ornamentis animi ad unum possideret, organisue ad suauissimum concentum uteretur. Declarauit Bononiensis Populus quid de uiro pijssimo sentiret in obitu, dum fluxu supra omnem numerum claro, ita ad funus curandum stetit; ut in oscula manuum, pedumue lachrymabundus procumberet. Opinione Sanctitatis illustrem, & iudicio semper cultæ virginitatis clarum, dum omnes regularium cętus, & complures ex Clericis sęcularibus inter-

sunt

luculenta oratione laudauit Gaspar Prior, sed robustius vniformis omnium ordinum acclamatio. Decessit septuagenarius anno 1453. verè in Domino fœlix, qui non sibi soli fructus vberes procurauit, sed & ijs qui ante reformationem conuiuebant sibi Canonicis; quando ex illis Nicolaus Sanctæ Mariæ de Charitate Venetiarum per multos annos, Sanctes portuensis Canoniæ, & Antonius de Lignano Lateranensi Monasterio dignissimè præfuerint. Scripsit igitur

Opus Chronicon De Mutationibus status Ciuitatis Bononiensis.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

HIC vbi Felsineo resident sacraria monti
Insurguntq; noua Pegmata celsa trabe.
Atria iam fuerant pietas, quæ struxerat olim,
Atria longæuo penè sepulta situ:
Nunc renouat priscos Patris solertia cultus,
Et se mirantur reddita templa sibi;
Risit Thebani pietas miracula fabri
Sacra cuius nutu surgere templa queunt.



BASSIANVS CATENAGVS LAVDENSIS.





EO, Sanctiſſimoq; eius Martyri Romano dicatum aſſurgit Laude Pompea templum, eiq; annexum Regularium Canonicorum Collegium vtrunq; aud ſatis grande in ſe quidem, ſed pro Ciuitatis non amplæ ſitu, & pro inhabitantium Clericorum numero debili opportunè commodum, atq; cui debeat Lateranenſis Congregatio pluſquam alijs pluribus, in quibus multiplicata gente lætitia magnificata ad proportionem non eſt. Dedit nanq; illi viros probitate, induſtria, rerum gerendarum dexteritate, ſcientiarum præſtantia, verbiq; prędicatione cum primis claros, & perquam valdè notos, quorum nonnulli à nobis hoc in opere locis ſuis reddentur. Hic vnus ſe ſe nobis offert Baſſianus Catenagus, qui inter viuos agens adhuc eius eſt virtutis, vt etiam ſi laudetur, laudatum tamen elatio non expugnet ad intima. Nec inſtituti noſtri ratio viuos ab mortuorum excludit memorijs, aut hos illis conditione deteriores facit. Poppyſmata ſi abſint, inuidæ tabis venenum videri poteſt de Republica benemeritos non collaudaſſe. Per ea tempora, in quibus præſidebat Ordini Camillus Beccius Caſalenſis honeſtiſſimæ ſemper memoriæ dignus, tonſura clericali initiatur is, exq; Diui Laudenſium Protectoris nomine Baſſianus appellatur adoleſcens bonæ ſpei, & perpædiam ætatis illius ad generoſa quæq: factus. Hinc aſpera ſeuerioris conuictus ratio, cui ſenſim nouus delectus addicitur ex lege, quæue primus obex ſenſui eſt ob ſæculi anteactam libertatem, vix percipiebatur ab anima vorandis difficultatibus bene diſpoſita: ideo tractu temporis illecebrarum quarumcunq: grandis effractarius durum laborem ſibi ſociauit ad omnia; & cum valeret acumine plus tamen debuiſſe huic innotuit. Subſellia ſcientiarum habuit ab cultioribus Congregationis Collegijs Pręcurſoris, & Cephę inter Inſubres, & Venetos; & illa non grauauit, oppleuitq; numero; ſed exornauit virtute, extulitq; nomine, dum ad exercitamenta quælibet literaria herbam nulli vnquam porrigerat, niſi ſoli veritati, ad quam aſſequendam totos intendebat neruos. Perinde adeo videbatur aliquando nimium obfirmatus in ijs, quas imbibebat opinionibus, proprięq; ſententiæ aſſectator ſuper aliorum ſuetum. Verum diſputationes extra hanc aleam vanas

ipſe

ipse dicebat ceremonias, & remuria: neq; terrendum corticem, si medullam assequi non daretur: frangendamq; nucem in spem nuclei possidendi, alioqui sola manuum tinctura, sola labiorum amaritudo puerile lucrum. Egregiè autem circa eum fiebat, vt veritatis bucinator mox futurus eam prius omnimodis sibi sociam assueret, & in proprij intellectus substantiam quoad exequi posset, transmutaret. Datus concioni nil antiquius habuit, quam profiteri calamo quæcunq; vel reddidisset vox, vel esset redditura; vt inde pateret, proprio ab penu suppeditata vniuersa, nec ad gregariam se pertinere multitudinem illam Italicorum concionatorum, qui ex alienis compositionibus memoriæ commendatis sibi vel lucellum, vel gloriolam quęrunt, non oratores sacri, sed recitatores, declamatoresq; propriè. Id quoque emolumenti spiritalis se inde capturum iudicabat, vt cum perpauci admodum (quantacunq; tandem sit corona, numero absentum populorum hinc, atq: hinc dissitarum comparata) ab ore dicentis excipiant labores summa contentione conceptos, collectos, dispositos, exornatos; si iidem oculis lectione subijciantur, eos multo pluribus omninò profuturos ad animarum curationem, præseruationemue, ad vitia tollenda, adq; virtutes inferendas, & enutriendas. Eo autem efficacius id euenire posse, quo sedentaria mens mandit in quiete, ac sensim digerit, quę sibi proficua experimento præsenti percipit in lectione, dum volans irreuocabile verbum, vt citò imprimitur per dicentis energiam, citò quoq; euanescit ex obiectorum contiguorum deuiatione. Atque hæc vber scatebra fuit, ex qua processerint tot numero lucubrationes, quot infra reddemus. Ipse autem licet neque verbo, neque scripto apicem attigerit oratorium (si quis apex tamen talis datur praxi attingibilis, qui sola idea, & speculatione describatur) non propterea pugnauit in vanum, aut aerem verberans; sed iuxta curatam proximorum pro talento salutem repositam quoque commendationem, haud communem habuit, ab ipsa natura factus muneri tum proceritate corporis, tum validitate vocis, tum lilium firmitate: & in scribendo castigationem amauit, candoremq; secutus est. Quid verò cruditione, & scientiarum fundamentaria possessione valuerit, ipsę per se lucubrationes proloquuntur, quę posteritati veritatis exhibeant testimonium. Cęterum moribus, & uitæ probitate antiquorum in se expręssit formam, procul pręsertim à prensatione omni. Vnde licet attigerit Pręlaturas Derthonensi aliquando assignatus Canoniæ; non tamen ab illis absumi se passus est. Refert etiam plurimi in quæ quis incidat tempora. Ea quippe ipse vixit in quibus Laudenses alij dono florerent gubernationis expeditore talento, intra quorum pedes nullum ipse obiecit impedimentum, patriam vbiq; inueniens, & excolens hilari, paratoq: animo. Enituit autem in iuuandis maximè Sanctimonialibus, quarum administratio, si qua alia, omninò re-

 quirit

quirit viros integritate, & scientia perfectionem attingentes. Per annos fermè viginti Prouinciam huiusmodi difficilem, meritiq; plenam moderatus est ad Annunciatam, Visitatamq; Virginem Mediolani, & Ferrariæ, ad Apostolum Thomam Vicentiæ, ad Iosaphat Ticini, ad Martyrem Laurentium Bononiæ, & alibi, Collegia inhabitantium, & numero, & natalium splendore, & custodia seuerioris conuictus per quam nota. Ab iugi Sacramentorum, verbiq; administratione, quod supererat temporis non contrisum oratione, vel actuale studium, vel bibliothecæ habebant ab doctorum virorum cultore. In librorum suppelectile comparanda, illaq; euoluenda propensissimus, qui à sacris sunt futuri confessionibus virginum exemplar, & formula. Habentur ex eius calamo,

Amphiteatrum Sacrum triginta Conciones continens diuersi generis. Ad Eminentiss. Iacobum Serram Cardinalem Protectorem, & Ferrariæ Legatum. Vicentiæ apud Dominicum Amadeum Anno 1622.

De laudibus Beatissimæ, semperq; Intactæ Virginis Matris, & Diui præcursoris Baptistæ Conciones Decem. Ad Eundem Eminentiss. Mediolani Apud Ioannem Angelum Nauam Anno 1620.

Oedippus Sacer

Horizon Scientiarum

Aphorismi Theologici, Philosophici, & Morales

Idea veræ, atq; perfectæ amicitiæ

Dialogorum Laconicorum Centuria

Tripartitum Dialecticum

Orationes, & præfationes

Carmina Italica sacra, Moralia, & Varia.

Augustini Terzagi Mediolanensis.

CAElo Meonius demitti vincula vates
Finxerat, & niti viribus astra suis.
Templa Catinensis Cereris diuisa vetustas
Clauserat, & nulli vita reclusa mari.
Sensibus humanis, mortali imperuia linguæ
Christipara, & magni Numina præco Dei.
Illorum abstrusos vulgat Cathenagus honores.
Dicentis Superi dogmata grata ola
Scribentem diuini aut instituere Quirites,
Aut hunc præconem constituere sibi.

BASI-

BASILIVS SERENIVS MEDIOLANENSIS.





EDIT nostrum hoc æuum inter cætera Lateranensis familiæ lumina Basilium Serenium Mediolanensem virum præclarissimum, & de vniuerso cætu benemeritum siue mentis zelo, siue calami feracitate, siue rerum domesticarum indagine, & discussione. Quamuis enim vis genij ad omnia facti in omnibus enituerit; in ijs tamen, quæ ad illustrandum, prouehendumq; Ordinem pertinere videbantur exactiorem, & fortiorem locauit industriam, totisq; neruis contendit ab cæno obliuionis ad serenitatis lucem publicas res, illasq; dignas reportare: vt non ineptè illi affingere congruat, quod aliquando super gentilitij stemmatis, Galaxiæ, & cognominis Sereniorum qualitatibus ludens ab Vate Sulmonensi ipse mutuauit,

Est via sublimis Cælo manifesta Sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso,
Hac iter est superis ad summi tecta Tonantis,
Regalemq; domum &c.

Ad annum absoluti Tridentini Conuentus nascitur Mediolani parentibus haud obscuris, Iosephq; ab regenerationis lauacro dicitur. Porrò honestissimam Sereniorum familiam apud Insubres declarant ex ea progeniti Alexius Episcopus Placentinus, & Petrus Martyr dictus de Angleria quondam *Lusitaniæ* Regis Legatus ad Sultanum Ægipti, qui linguarum varietate, & in rebus gerendis ingenio per quam versatili præditus ad Antipodas progressus, eorum mores omnium primus literis consignauit; atq; Vincentius ille, qui ex bonis patrimonialibus pium Sanctæ Coronæ locum fundauit. Vt Canonicatum init ex maiorum more Basilius mutato nomine appellatur ad instaurandam Basilij de Foppis à Vicomercato Abbatis Casoretani memoriam, viri acris, ac spiritu feruidi, nec à Musarum cultu abhorrentis. *Bonis* autem id factum est auibus, ipse enim nusquam degener, aut tesseræ temerator non illum modo; sed & antecessores Basilios Borromeum, & *Magentam* viros cum primis illustres moribus, & doctrina ad viuum colliniauit, & expræssit, quin & gestorum magistratuum, atq; æditarum lucubrationum excessit fulgore. Numine autem præsentissimo sub ipsis penè

initijs

initijs peculiariter gubernatus est, quod & ex pluribus quidem, sed euidentissimè ex illo innotuit, cum ab Padi mersione seruatur. Iuuenem decem, & octo annorum natum Rectores studiorum causa Rauennam ad celebrem Portuensem Canoniam mittebant Mediolanò, Carolo Borromæo duce Patauium remigranti, illo inquam Carolo, de quo in hoc eodem opere libro sequenti; cum secunda Eridani vnda fæliciter deuehuntur ad vsq; Stellatam agri Mantuani pagum. Ibi cum nautæ ob negotia quędam applicuissent, iamq; aduesperasceret, ac socij diuturnioris moræ pertęsi naui exijssent, dum ipse quoque post eos exilire, ac litus conscendere parat, repentè effracta, qua sustentabatur, tabula, in Padi sinum decidit, statimq; nandi ignarum, vestibusq; grauatum vorticis impetus absorbet. Actum de illo fuisset, ni Saluatore propitio, lignum quoddam è proxima scapha prominens, manu arripuisset præcipitans, tenuissetq;. Id vbi animaduertit Borromęus custos, cymbam dicto cicius insilijt vel cum aperto periculo, summitateq; baculi, cui hærebat, paulatim, & clamide supernatante apprehensa, anxia dexteritate fluitantem attraxit, tandem & vlnis excepit, auræq; fruendæ restituit. Vtique fata melioribus casibus seruabant animam iam ab æternitate electam ornatui sacri cætus. Annos pręsbyteratui pręambulos triuit sub honestissimo studiorum labore florens ingenij laude cum potioribus. Octauianum Strambiagum Minoritam, sed Angelicum Aquinatem profitentem, doctrina ęquè, ac probitate vitę inclytum audiuit Rauennę primum, dehinc Patauij Petrum Bonsignorium, inter quorum auditores pręstantiora tenuit loca, quę & in Philosophicis possederat sub conciue Seuerino de Quarterijs. Camillo Becio summis habenis gubernandis imposito per eundem Generalem Conuentum pręedicatoreo serto redimitur vna cum Petro Francisco Maletto Vercellense, Marco Antonio Giacchetto Veneto, Ioanne Chrisostomo Pongoleno Neapolitano, Ioanne ab Imperatoribus Papiense, Adeodato Mediceo Romano, & alijs viginti. Prima tempora sacrę prouincię concreditę assignauit vtiliter magis, quam speciosè. Quamuis enim in torrentis modum exuberans esset super themate proposito etiam priuatim, & ex tempore; tamen concionem ieiunè magis habebat, seuerè sibi imperans strictiora vincula locutionis. Porrò ex congenitę propensionis vortice, atq; ex paratissimo rerum scitarum penu ingenium forte, promptumue feracitatem illam sermonis eliciebat, citra tędium quidem, ac nauseam audientium, ac colloquentium, licet non ita semper intra laudem, & decus, cum apud plerosq; procerum, vel ętate, vel habitu magis sobrios minoris fieret, quam alioqui eius egerent promerita. Sed id posterius accidit, cum gubernationis limites, & Rempublicam iam suoptè iure attingeret. Opus, cui primum admouit manum Propugnaculum Ordinis Canonici fuit, iussus tamen. Religiosæ mentis specimen,

cimen, probitatisq; & immodicæ in parentem pietatis exemplum transmiserat Augustinus Ticinensis ad posteros, cum lacessitæ, & hinc inde diuexatę Congregationi opem allaturus se se murum opposuit pro domo Lateranensi, validissimumq;ac inexpugnabile suorum commentariorum præstitit munimen, eximium sanè Propugnaculum mille dependentibus clypeis ornatum, in quibus pręclara quædam familiæ insignia intermicantibus radijs affabrè, admodum solerti eius acumine picta inspiciebantur. Periocundum fuisse Patribus huiuscemodi studium illud argumento est, quod altercationibus etiam seclusis, obfirmataq; conciliatione, illud nequaquam euertendum; sed belligeram dumtaxat faciem demoliendam statuerunt: præcauentes nimirum, ne hostile quidpiam asseruasse viderentur filij dilectionis, & pacis. Demandauerant propterea negotium mitissimis viris Theologo Seraphino Merlino Rauennatensi, Ioanni ab Imperatoribus Papiensi Prædicatori, & Petro Francisco de Pallastrellis Placentino Decretorum *Doctori*, quos in Congregrationem flagranti quodam affectu probarant singulariter animatos. Hi deiecto primum tituli vexillo, contentiosis, & asperis opus ipsum circumcidere, ac expurgare, & castrum (si dici fas sit) in palatium extruere, armamentariaq; in decoris aulæos, & fulgoris peristromata mutare, auspicati sedulã profectò nauarunt operã. Cũ verò ipse iurista interim decidisset, alterq; superstitum in totius Ordinis Pastorẽ Reliquus in Pręposítũ Diui Petri Papię euectus fuisset, quod ad grauiorẽ solicitudinis partem illi auocarẽtur, res ad Basilium delata est ipsorum munere. Ipse verò & opus suscepit lubens, & perfecit diligens. Quin, ne absq; vllo prorsus fænore (quod itẽ & ipsemet ait) nudã sorte proferret accepti talenti, Pręfationẽ, & & Appendicẽ de suo adiecit, digna, quæ ipso legantur in opere. Aperuit autem, strauitq; viã præstitus cũ laude labor ad ea, quę deinceps sequuta sunt ex calami eius fæcunditate. Nam vt morem gereret Seraphino Merlino Generali, Ioannis Mauburni Bruxellensis Canonici Regularis, & Abbatis *Liuriacensis* viri & sanctimonia vitæ, & doctrinarum suppellectile præstantissimi Rosetum exercitiorum spiritualium, atq; sacrarum meditationum ab æditionibus Basileiensi, & Parisiensi malè habitum castigauit, & instaurauit, scholijsq; annotationibus, et Indicibus auxit, atque, quod ipse testatur, singula in vnguem, & quam exactissimè lustrauit, superflua elimauit, eliminauit barbariem, illuminauit sensa appositione scholiorum, nihil molestiæ deffugit, prætermisit nihil. Sermonibus item verè aureis Absalonis *Abbatis* Spinckirsbacẽsis Canonici Regularis Victorini in pręcipuas Christi *Domini*, & Sanctorum Solemnitates idẽ opus diligẽtiæ, & correctionis summa *fide* præstitit. Interea Celsus Dugnanus summo clauo pręficitur. Is prudenter perpendens vnicuiq; statui, ac professioni adesse, quos posteritas *imitetur*, principes suos, viros, inquam, gloriosos illos qui aluerunt spi-

cam

cam religiosę continentię, & valdè speciosam, & fructu admodum refertam; quin & priscorum monumenta sedulo euoluens, comperijt sępè magnificatas in conspectu Regum, summaq; existimatione apud Principes extitisse, præclaris id exigentibus meritis, plurimiq; habitos penes sūmos Pōtifices, ex quibus multiuaria retulerunt gratiarum, ac priuilegiorū munera. Proinde reputans, quod si ea in volumen redigerentur, familiæ sibi creditæ admodū frugi, nec non & vsui comparata, atq; nitori censerentur, velut auitæ probitatis indicia, gestorū elogia, nobilitatis insignia, insuper & solida fundamenta concessionum, ac facultatū, quæ amplissimæ olim Apostolico Ordini collatæ fuerunt, & impertitæ. At verò ipse curis alijs pro muneris sollicitudine distentus, eam prouinciam Constantio Vilanio Laudensi Abbati demandat, apud quem nonnulla intelligeret asseruari eorum originalia, atq; trāsūpta. Sed cū is senio debilitatusq; ęgritudineq;, prægrauatus causaretur se oneri minus esse ferēdo, Basilius substituitur. Ipse verò opus difficilimū ad optatum perduxit exitum inter summos labores, studia, sumptus, atq; vigilias; additis etiam adnotationibus, postillis, atq; declarationibus pro rerum, ac temporum opportunitate, & exigentia. Præfationem insuper, vel Apparatum potius eius fronti affixit, quo raptim, cursimq; &, vt fertur canes in Ægypto lambere solitos, nonulla de Stemmatibus, ordinis delibando percucurrit, quo exterius innotesceret, quod Domini est assumptio nostra, & ipse Dominus legifer noster. Porrò volumen ipsum Dugnanus Generalis Sanctissimis Pauli Quinti pedibus prostratus oblatum, ac denuo Priuilegia approbari afflagitans, eo annuente confirmatum recepit: quod & postea Gregorius Quintusdecimus actum, cautumq; voluit per suas sub annulo piscatoris Iacobo Samartino Bononiensi Ordinis penes curiam Oratore curante. Iuuit autem Serenio plurimum in conquirendis, & conferendis diplomatibus ipsis tum prælaudatus Constantus Vilanius ex nostris, & Paulus Æmilius Saracenus, tum etiam Alphonsus Bauosius ex Congregatione Sancti Saluatoris de Bononia Canonicus Regularis, ac Prior, vir illustris, in ijs videlicet, quæ illam Congregationem iuuare videbantur. Studiosè enim Basilius compingere, coagmentareq; nostris elegit inserti Ordinis gratiosa diplomata, vt, quantum in eo esset, sensim introduceretur de symbolis vniendis cætibus negotiatio. Quin ipsemet paulo post in Comitijs Rauennatibus anni sexti currentis centenarij penes Petrum Bonsignorium Ducem nostrę cohortis assumptum mouit eloquentiæ, dexteritatis, & prudentiæ lapidem omnem, vt opus præclarum, nec non & antea per Frāciscum Gonzagam Protectorem Cardinalem ardentissimè concupitum ordiretur, obtinuitq; digerendi negotij Prouinciam demandari Petro Benzonio Veneto tunc in Visitatorem electo. Verum cum postea is graui de causa ad Insulam Tremitanam perexisset, atque idcirco à negotio medullitus discu-

discutiendo superſediſſet, per Apuliam æſtiuo tempore iter peragens, caumate perculſus re infecta moritur uir ſtrenuus, ac deſiderabilis, quem haud multo poſt ipſe ſupremus Rector ſubſequutus eſt. Fortè adhuc in Fatis tantus non erat conſenſus, pręcocibus tantiſper humoribus, in debitamq; maturitatem non impactis. Lubet curioſius concupienti ſeriem noſſe apud eum in Secundo Puncto Ciuilis Replicationis. Atque hæc quidem erant generoſi, ſublimiſq; animi, & in publicam rem cordariſſimè affecti attentata, atq; conatus. Sed & adhuc multo maiora molitus eſt, cum ſtrictiorem Ordinis Reformationem aggredi priuatus, & nondum adminiſtrationibus aditis non formidauit, quamuis fruſtratus ſpe omni, intentoq; fine. Dilapſam nanq; ex parte priorum illorum, piorumq; Patrum Frigdionarij ſeceſſus ſeueriorem diſciplinam zelatus, repoſitionemq; in priſtinum intendens abſq; diſiunctione, ſciſſuraue Ordinis; cæpit eiuſdem propoſiti, & zeli compares aliquos ad fortius agendum cohortari, vt ijs prælucentibus, ac præeuntibus cæteri quoq; ſubſequi non abhorerent, dum haud quidem noua inuehi, ſed priſtina tantum reparari cernerent. Vt autem non deeſſent pijs conatibus, & iugi oratione Numini commendatis, humanę adminicula prudentię, prouinciam, quam moliri, aggrediq; parabat, Friderico Borromęo Cardinali, & Archiepiſcopo Mediolanenſi, apud quem optimè audiebat, detectam, teſſeratamq; voluit, vt eo cohortatore, aut etiam adiutricem manum porrigente prohibentia facilius remouerentur. Probauit finem, non improbauit media, iuſti zeli, & per optimum, ſibiq; notiſſimum ſacerdotem vita, moribus, atq; doctrina exprę ſi originem laudauit Paſtor inclytus, animauitq; ad vrgendum meditata pollicitus, quę in eo eſsent adiumenta ad nutum paratiſſima arbitratus potiores ex Ordine in ſenſa illa propenſos, animatoſq;. Hinc Paulum Camillum Sfondratum, & Odoardum Farneſium Purpuratos Patres prędiſpoſitos reddidit epiſtolarum ſuarum documento, vt & ipſi in Vrbe præſto eſsent, & Flaminium Platum Protectorem Cardinalem ex Serenio aggreſsum lucrarentur. Habenas Congregationis moderabatur, dum tanta moles concoqueretur, Seraphinus Merlinus Vicarius Generalis Apoſtolicus in vices Petri Bonſignorij Abbatis Generalis vita functi. Hic qua erat probitate, & ſtrictioris maiorum diſciplinæ alumnus, ac promotor, non modo non abhorrebat ab ſibi detectis aliquando; ſed &, dum proſperè cederent per communem cęterorum approbationem, manus dare cum primis profitebatur. Dieta inter hæc Mediolani congregatur, propalamq; fit grande attentatum, diuturniuſq; diſcutitur pondere rationum hinc, illincq; fluctuante, & ſententijs non in vnum adactis. Nouum pleriq; viſum eſt, vt Serenius nondum in partem ſollicitudinis paſtoralis aduocatus, & cui obtemperare iuſſis tantum fas eſſet, priuato iure manum operi tanto appoſuiſset, inconſultis adhuc

Q maio-

maioribus. Et quamuis intento fini subscriberent, medijs tamen infensi quam maximè erant: neque æquum illis videbatur admittere zelum quidem probum, sed non ex trutina prudentiæ libratum, dum affore cernerent ex hoc scissuras in Congregatione, si forte penès aliquos difficultates ingererentur in seueriora præcepta iam ex temporum conditione mansuefacta. Ex conciuibus Celsum Dugnanum summa præfectura functum, & Archangelum Campatium Oratorem in curia pręsentes, exterorum vero Petrum Franciscum Malcttum Abbatem Vercellensem, & Definitorem acerrimos aduersarios, impugnatoresq; habuit, qui & in eum animaduertendum proponebant. Tandem media inceditur via, in mitioraq; ventum est, vt tantum decebat scopum. Casoretanum assignatur Monasterium victuris aliquot ad normam prætensam, ceu ad pernoscendum, quid in vniuersum spei relinqueretur, quoue sensu exciperetur res ab alijs Canonijs, & ab Ordine reliquo. Præficitur Abbas Riccardus Crispus Mediolanensis vir, si quispiam alius, zelator perfectioris vitæ Canonicæ, quam in se ipso semper expræsserat, iam penè sexagenarius, & munere Censorio, Abbatiaq; Tremitana, atq: alijs Prælaturis egregiè functus. Operam comodant minoribus officijs, & obsequio Basilius ipse, Michael Angelus Olearius Papiensis ressignata Prępositura Cæli Aurei, post peregrinatione hierosolymitana non ignotus, Camillus Alegrettus Bergomensis Concionator, & ex eadem Cæli Aurei Accademia Philosophus, Franciscus Maria Fererius Taurinensis, ac Seraphinus Carolus Anconitanus prædicatorea tum donati, & vita innoxia omnem sanctitatem suspirantes, atq: alij aliquot ex indice electi eorum, qui ad Serenij solertiam cumulatè subscripserant vitæ modum. Hunc tandem exitum opus id habuit, quod euolutis aliquot mensibus Riccardus, Camillus, & Franciscus Maria, Iosephq; Rauennas conuersus siue adhuc austerioris vitæ desiderio, atq; multo plura patiendi ardore, siue quoniam non aliqua probarent, quibus Serenius ex sęculi prudentia incumberet; Capuccinorum Ordinem ingrediuntur, in quo & postea laudabiliter laborarunt, & sancto fine quieuerunt. Quare dissoluta velut ea compage, tametsi reliqui eius Canoniæ in assumptis perstiterint; tamen vlterioribus non est incubatum per sequens Generale Concilium Ordinis Rauennæ habitum Plato Pręside, & Campatio Generali renunciato. Medius stetit inter laudes, ac probra Serenius per aliquot annos, ijs quidem extolentibus animi constantiam, & ardorem in cognita continentia vitæ, & doctrinę fulcris, ijs verò carpentibus prudentię deffectum, & sermonis vbertatem, aut obijcientibus audaciam, & obiecta, finemq; in deteriora interpretatione torquentibus. Excelsior ipse facti conscientia nil in se immutauit ex pristinis, curę esse Deo res, homines, ac tempora sciens, cui omnis sua stat, aut cadit creatura. Ea pro-
pter

pter fregit fecundum hęc nonnullorum prępotentium animi auerfionem, quibus infedebat fufpitio, quod fi quando per acceffum graduum, & gubernationis fieret potentior, noua moliendo peruincere pergeret quæ femel inchoarat. Archiprębiter Sancti Iacobi extra Cremonam creatur titulo tenus, nullaq; data adminiftratione. Dehinc erecta Canonia Sancti Caroli in caftro Minacienfi ad lacum Larium ex pia largitione Cinthij de Caluis ipfe Primus præpofitus, vel non ita poft tranfmittitur. Præpofituras item mortatienfem cum annexo Sancti Caffiani Gynecæo, & Brinatenfem illuftres, nec non & Abbatiam Caforetanam fucceffu temporis gubernauit, quibus & ornamento fuit plufquam vno nomine. Cautioribus infuper confilijs vfus fibi viuere, commiffifq; fubditis ftuduit, vitam, perfectionem moribus, & conuerfatione exprimens, nullumq; vltra verbum fuper præterita intulit. Neque tamen manum à calamo remouit, cuius minifterio Rempublicam iuuaret ex credito fibi talento. Pro facultate Prælatorum Ordinis circa *Epifcopalia*, Fũctiones,& Infignia, doctiffimas euulgauit allegationes, & refponfa ex vtriufq; iuris vifceribus deprompta, quæ & corroborauit infigni duodecim præclariffimorum Sacræ Theologiæ iurifq; Pontificij, & Cæfarei interpræturm fubfcriptione, & firmitate. Iofephum Mozzagrugnum familiæ Sancti Saluatoris de bononia Dogma profeffum in Lateranenfes infultantem, eis obiurgantem, erronea, & à veritate aliena permulta libris octo Narrarionis rerum geftarum Canonicorum Regularium euulgatis tam proprio marte, quam Auguftini Manfridi de Gardinis, & Ioannis Baptiftæ de Signis promentem, & confingentem contudit, & contriuit ita, vt nullo loco penès literatos paffus fit confiftere. Alia infuper plurima euulgauit, quorum fynopfim infra reddemus, adhuc ipfa luce clariora, & quorum adminiculo confultum eft mirificè indemnitati, & fplendori Canonici Ordinis in vniuerfum; in cuius rei gratiam per literas fummè coniungi potioribus litteratorum eiufdem inftituti Galliæ, Hifpaniæ, Belgij, Germaniæ, Sarmatiæq; ftuduit, ac perfecit, vt de Ioanne Picardo Theologo, & Sancti *victoris* Parifienfis Bibliothecario, deq; Vrfino de Bertis Goritienfi Epifcopo Trieftenfi, ac Præpofito Sanctæ Mariæ de Eberendorf, deq; alijs pluribus conftat. His, alijfq innumeris religiofæ, doctęq; mentis operibus iure optimo illecta Generalis fynodus Bononiæ congregata de anno trigefimo proximè præterito per Nouemuiros abfentem illum eximio decorauit priuilegio perennis Prælaturæ, & perpetui fuffragij in quolibet *Generali* conuentu. Ipfe eodem anno epidemia ictus deceffit Mediolani *Præpofitus Minacienfis* maximo bonorum omnium mærore, cum vixiffet *annos fexaginta* octo, quorũ maiorum partem in ea egit Ciuitate in omniũ ore, *atq; animis*, procerum præfertim, quibus impensè iuuabat labore perpeti, *opereq;* femper parato. Sunt ergo quæ luculenter, & doctè fcripfit

De Antiquitate, & dignitate Ordinis canonici, hoc est Propugnaculum ordinis Canonici ab Augustino de Nouis Ticinensi olim editum, emendauit, & illustrauit. Mediolani ex Typographia Iacobi Mariæ Medæ anno 1603. Lib. 1.

Rosetum Exercitiorum Spiritualium Ioannis Mauburni Bruxellensis Canonici Regularis emendatum, & illustratum. Ad Seraphinum Merlinum Ordinis Moderatorem. Mediolani apud Augustinum Tardatum Anno 1603. Lib. 1.

Sermones in præcipuas Christiani cultus solemnitates Absalonis Abbatis Spinckirsbacensis emendati, & illustrati. Ad Celsum Dugnanum Abbatem Generalem. Mediolani apud Augustinum Tardatum anno 1605. Lib. 1.

Indulta, ac Priuilegia Pontificia Canonicorum Regularium Saluatoris Lateranensis in vnum collecta, & illustrata. Ad eundem Generalem Rectorem Celsum Dugnanum. Mediolani ex officina hæredum Pacifici Pontij, & Ioannis Baptistæ Piccalei Anno 1606. Lib. 1.

Allegationes, seu Consilium, & Responsiones ad nonnulla quæsita circa Episcopalia insignia, atq; functiones Prelatis Canonicorum Regularium indulta. Ad Petrum Franciscum Mallettum Generalem Rectorem. Papiæ Anno Domini 1616. Lib. 1.

Parænesis de excelso Saluatoris, Almæq; Genitricis nomine reuerenter enunciando. Ad Serenissimum Principem Cardinalem Mauritium de Sabaudia. Mediolani apud Iacobum Lantornum Anno Domini 1617. Lib. 1.

Ethicus Stylobates Colossi Sancti Cardinalis Caroli, Seu Illustrissimæ Boromeorum Famliæ Elogium. Ad Federicum Borromeum Cardinalem Archiepiscopum. Mediolani Ex Typographia Ioannis Angeli Nauæ Anno 1618. Lib. 7.

Assertio pro Canone seu Regula Sancti Patris Augustini Clericis Canonicis tradita. Mediolani apud Bernardinum Lantonum Anno Domini 1612. Lib. 1.

Replica ciuilis Ad Allegationes Canonicorum Hicetanorum pro Canonicis Frigdionarijs aduersus Iosephum Mozzagrugnum Mortarij Insubrum Anno 1623. Lib. 1.

De ineundo, seu legitimè conferendo Canonicatu Dissertatio. Ad Marcum Antonium Mannettum à Massa Generalem cum adiecta Formula initiandorum, conscribendorumq; Canonicorum. Mediolani apud Ioannem Baptistam columnam Anno 1627, Lib. 1.

De Sancti Cardinalis Caroli Magnalium patratoris fulgenti lampade conspicuo loco surrigenda. Ad Vrbanum Octauum Pontificem maximum. Mediolani apud Ioannem Baptistam Columnam Anno 1629. Lib. 1.

Carmen Dies iræ dies illa, quod sequentiam mortuorum dicunt transtulit Italico Carmine. Ad Beatricem de adda Comitissam.

Phi-

Philippi Riccij.

PRaeclaros semper calamum conuertis in vsus
Ordinis ò splendor clare Seregne tui.
Aurea Virgineæ pangis modo gesta parentis
Et modo fit Iesu nomen in ore melos.
Caroli & hic, generisq; altos describis honores,
Borromeorum pandis vbiq; decus.
Iure super terram, & Cæli super atria certant
Te decorare homines, te decorare Deus.

Eiusdem

QVam benè dulcisonis præclare Seregne camænis
Cælestis tactus Caroli amore canis.
Grande feres (credas) tali pro munere lucrum
Et nimis illustres connumerabis opes.
Se regnum Deus ingenti pro fœnore reddet,
Quære aliud maius si potes orbe decus.

Augustini Terzagi.

DE Cælo flammas ausus rapuisse Prometheus,
Compositum posset queis animare lutum.
Hæc solis virtus, terræ qui iungere formas
Adiuuat, & superis copulat ima plagis.
Sit procul audacis nomen; secreta Basili
Euulgas, Diuum quæque fuere sapis.
Dum Carolum celebras, superi plausere Quirites,
Ordo coccineus vel tua scripta probat.
Externi exultant, grates tibi Patria reddit,
Auspice te terris numina nota videt.
Est tibi virga potens, qua tangas astra Sereni,
In fusca rutilat nocte serena dies.

Grego-

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

CVM Sol nostro roseam Cælo
Lucem spargit, cum purpureas
Resserat nobis aurora fores,
Mæsta effugiunt noctis tenebræ:
Rerum facies se noua pandit,
Florum plebes fulget odora,
Nitidam argutis celebrare notis
Ales lucem, radiosq; parat.
Nostro vt fulsit serena polo
Sereni lux, & Lateranum
Fulgida Cælum collustrauit,
Se nouus ordo rerum prompsit.
Quæ prius atris mersa tenebris
A priscis indulta fuere
Pontificum diplomata manibus
Ad serenum hoc prodiere iubar;
Tunc pallentes hebetata oculos
Destinatas vmbras petijt,
Quæ purum infestare volebat
Cælum afflatu tristis Erynnis.
Huius fausto lucis ab ortu
Borromeorum celsa propago
Prius ignotam didicit stirpem
Clarum accipiens lumen ab isto.

BASILIVS ZANCHVS BERGOMENSIS.





ATIS habet Canonica Lateranenſis Familia vnde glorietur in Baſilio Zancho Bergomate viro de illa, & de vniuerſa Literaria Republica optimè merito. Alterum illum dicas heroicę latinæ poeſis lumen, cui Marcus Hieronymus Viola anteceſſit. Certè nullum cuiuſuis ordinis Cucullatorum cognouerim, qui duobus hiſce poetis comparandus veniat, vel vna omnium communi voce, communiq; conſenſu teſtibus. Seriò reuocauit Baſilius ex profanis priſcorum ſeculorum, ex fabulis, & fictionibus ad ſacra, & diuina leporem Muſarum, & elegantiam. Ornauit ſua ad caſtę, pudicęq; matronę typum, non ad leuis, & aliquando parum pudicę (quod plerifq; vitio datur) iuuenculę normam. Qua in re obſeruanda tantus fuit vt cum nonnulla ex datis, & iuſſis occaſionibus ęſtu iunioris ętatis ceciniſſet, & ſi bene moralia, & inoffenſo pede currenda; tamen ea ſuppreſſo nomine euulgauit L. Petreo Zancho auctori attitulata; quæ tandem poſtea in alijs æditionibus veri patris nomen in fronte portarunt. Clariora apud doctos habentur, quę de Horto Sophię edidit ad Petrum Bembum Cardinalem libris duobus; ſed nobis ſecunda videntur occupata priore ſede ab ijs, quę de ſacratiſſima Chriſti Domini Paſſione cecinit, quod iudice implicito facundiſſimo Gabrielle Flama in Commentarijs Sonetti (vt dicunt) centeſimi ſexti, & ſeptimi ſuorum Poematum dictum ſit. Soluta oratione valuit ęquè, ac carmine, & Sacrarum Doctrinarum titulo, & melioris latini candoris nomine. Sunt de vtriſq; hiſcè dotibus teſtimonia omni exceptione maiora illius ingenij monumenta. Marij Nizoli Brixellenſis viri clari Theſaurus Ciceronianus, qui Dictionum verè latinarum eſt Promptuarium ex Cicerone tantum, vberius, & latius fulget lumine additamentorum Zanchi. Ipſa quoq; eadem latina lingua locupletior hiſce ſeculis facta eſt per Adnotationes eius, & Dictionarias collectiones ex diuerſis ſuperiorum meliorum dierum Scriptoribus. Diuinos Libros verſauit perpeti ſtudio, ac laudatiſſima diligentia: & quę ſibi experimento didicit latè vtilia, alijs ſimiliter parare enixus eſt euulgato volumine De modo, & ratione interpretandi Sacram Scripturam. Praxis verò Speculationum eius in hac eadem re, & quanti facienda ſit talis Methodus, abundè expiſcari poteſt

poteſt ex perbreuibus illis Notationibus, quas cudit in vniuerſum Sacroſanctum Codicem, & ex latis Quæſtionibus in quatuor libros Regum, & in duos Paralipomenon. In adeundis gubernationibus noſtrorum locorum perparcæ, vel nullius omninò fuit diligentiæ, quin potius aduerſo genio polluit florente interim cum præcipuis quam maximè per maiorem patientiam Ioanne Chriſoſtomo Fratre vſq; ad ſupremi regiminis apicem, à quo vocatus ſub ornamentis huiuſmodi, neglectu ſatisfecit asſiduo. Cum tamen in omnium Doctorum oculos eſſet, & ad Romanæ lucis ſplendorem, Bibliothecæ Vaticanæ datus fuit Cuſtos ſub Paulo, & Pio Quartis Pontificibus, maximarum operum, & opulentisſimi erarij theſaurarius, cuius experientiæ nulla fugerent volumina, cuius memorię omnia ſuppeterent ſolo verbo, ne dicam nutu perquiſita. In eo autem munere obeundo egreſſus eſt de ergaſtulo carnis Anno 1560. Communis approbationis circa illius virturem appoſuit quaſi ſyngrapham Paulus Iouius Epiſcopus in Elogijs virorum Literis illuſtrium, cum Baſilium inter clarisſimos illos enumeret, qui adhuc inter viuos verſantes præclara fœcundi ingenij gloria noti Muſeum eius pictis iconibus propriarum imaginum cumulabant, honeſtabant; non iam tranſmittendis, ſed pridem tranſmisſis. Hoc idem et præſtitit poſt alios plures Hieronymus Abbas Ghilinus in ſuo Theatro Virorum literis illuſtrium. Ornauit autem illius tumulum Guilelmus Moditius inter poetas elegans duplici ſequenti diſtico.

Zanchius hic recubat muſis dilectus, & orbi
Cognitus: heu magnos quam breuis vrna capit.

Aliud

Cum docti fuſum ſit Zanchi nomen in orbem
Puluere tam pauco quis putet oſſa tegi?

Sunt igitur eius edite lucubrationes.

Notationes perbreues in omnes diuinos libros *Lib.* 1.
Quæſtiones in quatuor Libros Regum. *Lib.* jv.
Quæſtiones in Duos Libros Paralipomenon. *Lib.* ij.
De Modo, & Ratione interpretandi Sacram Scripturam. *Lib.* 1.
De Horto Sophiæ ad Petrum Bembum. *Lib.* ij.
Dictionarium Poeticum *Lib.* 1.
Epitheta veterum Poetarum. *Lib.* 1
Diuerſorum Carminum Libri Quinque. *Lib.* v.
De dictionibus Ciceronianis, quæ poſtmodum additæ ſunt ad Marium Nizolium Librum vnum. *Lib.* 1.
De Linguæ Latinæ puris dictionibus ex varijs Auctoribus Librum vnum. *Lib.* 1.
Quæ omnia fuere excuſſa Romæ apud Antoniũ Bladum Aſulanum Anno 1540.

Grego-

Gregorij Brunelli Mediolanensis,

NON hic Hesperidum vobis pomaria rident,
Flauaq; caduco citria vere nitent:
Non violam tondere manu, calthamq; thymumq;
Nec legere è ramis pendula poma iuuat;
Sed iuuat æternos Sophiæ decerpere fructus
Et violam, & Thymbram, & quidquid Nymettus habet:
Hic recreat mentem plebes suauissima florum
Et Rethorum docto prata colere vireta:
Aura fauet, Geniumq; fouet, Zephiriq; tepescunt
Atq; aptum ingenio succum en poma ferunt
Collige poma, hortus namq; hic alimenta ministrat
Deinde dabis capiti florea serto tuo.



BENEDICTVS CANTIANVS MEDIOLANENSIS.



SPERIORE aliquando diſciplinæ zelo hoc eodem in loco, in quo iſta ſcribimus, adoloſcentiam Benedicti Cantiani direximus viuidos ſpiritus plurimum exprimentem, vt opportuno in tempore matureſceret in fructus, non in flores, & folia luxuriaretur præcociter inanes, & emarceſcentes: atq; hinc ab euaſo in alterum, optimumq; virum, & inſigniter frugiferum, non niſi honoris ſpicas, vt expediebat, recepimus. Anno hic vigeſimo currentis ſeptimi decimi ſæculi ſextum decimum ætatis attingens nuncium miſit ſæculo, vſus in id præſtandum ſenſu maiore, quam ingenium feret ſolis naturæ viribus pollens, illuſtratione nempè deſuper accepta ad prænoſcendum, & deliberandum de vitæ ſtatu. Florentis namque adoleſcentuli ætas, atq; venuſtas aliorum rapiebant incertam, titubantemq; mentem, cui externa non deerant illicia, teneriorefq; illecebræ. Sub egregijs præceptoribus inclytæ Societatis Ieſu Puteo, atq; Theſauro excultus ad humaniores diſciplinas in Collegio Braidano, numeroſiſſimoſq; condiſcipulos ſiue antecedens, ſiue cum primis ingenij felicitate adnumeratus, in ſpem formarum viri perexcellentis aquirendarum complanabatur. Sed mollior pars aliqua procerum adoleſcentium abducere à termino, vel de ſtadio benè currentem declinare, auertereq; ſola poterat; quod ille per intimiorem irrorationem animaduertens, iuuit nauigationem fluctuoſam ſuam ſacra Religionis anchora, ad quam confugit. Celſus Dugnanus Abbas, & Definitor detulit, promouitq; illius & deſideria, & poſtulatu apud Nouemuiros Bononiæ congregatos, de quorum & iuſſu eundem ſtola canonica poſt aliquot menſes induit ad maiores Diuæ Virginis de Paſſione aras vna cum Ioanne Chriſoſtomo Robuſtello ſub pridie nonas Februarias. Qui de tam inſignis viri manibus illam ſumpſit, admonitus eſt, vt patris tanti imaginem circumferre eniteretur, quo pacto filiorum eſt proprium quadantenus parentes in ſe repręſentare, atq; refferre: eorumq; geſta ſequaci imitatione producere: quod & poſtmodum in Euangelicæ tubę inſonatione vberrimè præſtitiſſe euincent quæ ſubiungemus. Poſitis duodenis militiæ ſacræ menſibus vota ſua ſolemniter Deo reddidit vna cum Hyppolito Conſalonerio coetaneo in manibus Gabrie-

brielis Cittadini Abbatis. Vtriq; ij profitentis actionem illustriorem reddidere, quod venerandus ille senex, quod commilito iste adolescens spectatissimi essent: emeritus iam alter clericalis dogmatis dux, alter in eadem præmenda vestigia operam positurus prǫmonstraret: sol occidens quodammodo primus, oriens porrò secundus; si tamen Febum duplicem apparentem Cælum vnum exhibere potest: quod inter nubes roscidas sub pluuiosa die contigisse non semel certum est, altero alterius se speculum exhibente. Statim ab professo Ordine Dialecticis auscultandis adscribitur, & per eas semitas continuato cursu Naturali Scientiæ, Diuinæq; Theologiæ festinus, solers, eximius amandatur, Placentiæ, Rauennæ, Cæsenæ, ad Diomedeas. Non vno in loco quieuit, qui cursum agebat, & exercebatur Marthæ vmbris, dum Mariæ lumina assequi eniteretur. Gymnasia diuersa, regiones variæ, præceptores multiplices vnum profitendi modum, & vnam opinionum conformitatem non extinguebant, quod vt plurimum moris est in Congregatione. Cæsenæ vix dum vicenarius prima iecit populos alloquendi fundamenta iussus ab Abbate in instauratione nouiter aggredienda Ecclesiæ, & Canoniæ Diuæ Virginis de Consolatione per dies Expectationis Sacratissimi illius partus Natalitiam solemnitatem proximè præcedentes sermocinari. Diffusa gratia in labijs eius admiratione oppleuit frequentis auditoris pectora, qui de imberbi adolescente aquisita iam, vel connatiua talenta magni faciebat, & præcinebat maximè successu temporis adaugenda. Anteuertit parens bona Congregatio in conferrenda illi Laurea Doctorali Sacerdotij tempus prętet morem, lege mitius interprętata; quoniam & ipse claritate collatorum sibi talentorum prǫuenisset Nouemuirorum electorum mentes. Inunctus sacrificio agendo, inter exordia prędicationum magni ieiunij aggredienda adamauit Tremitanum incolere secessum, vt in eo se prǫmuniret proximioribus instrumentis prouinciǫ exercendǫ, qui remotiora per scholasticas disciplinas iam erat indeptus. Ex ante habita praxi sciebat quid conferret studijs ea Insula legitimè vti volentibus eius seiunctione ab continenti terra. Iussus est tamen inter hęc à Maioribus non se solum inibi exercere, aut sibi soli prouidere; sed iuri dicundo, & administrando pręfectus est primus post Abbatem, atq; eius vicibus explendis quandocunque istum abesse contigisset. Id porrò prouidentissimè factum apparuit, quia & sanctissimo loco prouisum est salutariter per ętate quidem iuuenem, & per prudentia senem: & quia sub huiusmodi exercitatione tyrocinium veluti quoddam posuit maiorum magistratuum suis loco, ac tempore gerendorum. Quin & Sacram Theologiam eodem tempore ibi de cathedra interprętatus est, quod & antea de Philosophia in Casoretana item prǫstiterat solitudine, Prior ibidem sub Ascanio de Ordeis Abbate. Concepit ex horum incolatu locorum tan-

tam in solitudinem propensionem vir alioqui suoptè genio iucundus, atq; ioualis; vt abdicatis maioris applicationis sensibus, sibi domum sequestrem Almæ Virginis in Valle propè Vastium Aimonis in Præcutinis sibi assignari obtinuit apud quem solus à pluribus se detinet annis inter difficilium morum populos, atq; Dinastas Ecclesiasticæ rei morosos. Placuit tamen vicinio tum opinione virtutis, tum constantia repugnantis animi, si appeteretur iniuriè, tum eloquentia agendi de suggestu. Hanc autem vnicè excolens iuxta creditum sibi à Numinis benignitate talentum, ab secessu, & quasi relegatione illa voluntaria præcipuas Italiæ Vrbes excucurrit sacras verbi expeditiones assumens per quadragesimales inedias. Ita Lucensium Almam Rempublicam, ita grande Mediolanum patriam, ita vetus Auximum, veteremq; Rauennam, ita Forum Cornelium Æmiliæ, aliasq; ita Ciuitates perpurgauit ab humanorum erratis actuum, fouitq; calore spiritus, atq; virtutum. Habuit Lucensibus primum Aduentum inter Epidimiæ circumuagantis extrauagantia, habuit & aliquanto post Quadragesimam comendabilissimam. Quanti pretij fuerit prudentissimis Senatoribus, populoq; benè instructo vel ab vno, quem edidit, Cælesti Orpheo deprehendet Posteritas curiosa pariter, & erudita, de Sanctissimo eiusdem Ciuitatis Episcopo Frigdiano Canonici Ordinis iubare Splendentissimo. Auximi, & Rauennæ accersitores extitere Eminentissimi Verospius, & Capponus Cardinales (ò quod summum par Antistitum) quibus placuisse, & à quibus approbationis, laudumq; cumula recepisse quis non pro maximo numeret munere. Aloysius Archiepiscopus tenuiore complexione, magis quam ætatis aut alicuius alterius morbi intemperamento tentatus diem omnem (Quod nullis omninò præstare solebat verbi quadragesimatoribus) aurem dicenti dabat non minus eruditam, quam delicatam: & quem aeris conditio asperior, vt in hyeme accidit, aliquando arcebat ab communi accessu, atq; prospectu templi, secretior locus, & prospectus populo tamen apprimè notus, admittebat, accipiebatq; auditorem. Ita fiebat, vt apud plebem augeretur de concionante opinio optima: & quem sentiebant proficuum acrimonia insectationis vitiorum acerbissimæ, suauitate sermonis allicientem virtutibus, & velut organa quędam diuina pulsantem vnicè admirarentur. Inter plures alios Dominicus Valerianus Sacerdos, & Poeta non ignoti nominis non semel affixis poematibus, editisq; virtutem tantam & suis, & longè positis exteris contestatam voluit. Hic reddemus odas duas, quas ex multis apud Forum Syllę Auctor non spernendus cecinit.

Cele-

Cælestem Orpheum Panegirim de Diuo Frigdiano Episcopo Lucensi Canon. Regul. Lateranen. Italicè. Lucæ apud Pellegrinum Bidellium Anno 1640.

Auctoris Incerti.

MVsa Bicornis, quæ iuga dulcia
Montis tenetis, sint procul à iocis
Cantus procaces, nec rebelles
Cyprigenæ referant amores.
Maius canendum, plena leporibus
Dicam tonantem verba, nec Atticos
Sales silebo, quos loquaci
Sæpè dedit Benedictus ore.
Corneli ameno conspicuus Foro
Voces socordi non tenuit sono
Sed mella præbens gratiosa
Eloquij beat amne mentes.
Qualis rubenti gurgite Lydius
Amnis coruscas feruida turgidus
Portans arenas, arua complet
Lampade semicremata Solis.
Demostenes sic ingenij potens
Stuvere Athenas, Copia Tulij
Docti furenti, sic diserto
Romulidas recreauit ore.

Eiusdem

Fixis loquentem luminibus viri
Spectant; popelli, turbaq; maxima
Mirantur, & docta cateruæ,
Quas sequitur sapiens Minerua.
En fabuloso clarior Orpheo
Qui blandam ad aures Euridycem cheli

Traxit

Traxit sonora, dum colubres
Eumenidum fide flexit atros.
Nullos aure nauita pestifer
Vnda dolore adducere Tartara
Dictis gemit nauim seueri
Hæc facilem esse aditum profundi
Cunnis disertum Cecropijs faui
Fecere, dulces Ambrosij dapes
Nunqam futuris, quas videbit
Posteritas hominum diebus.
Audax iuuentus plectra sonantia
Assume chordis fama tibi dabit
Pennas, quibus Cæli ferire
Iam valeas Benedictus oras.



BENE-

BENEDICTVS COCHORELLA VERCELLENSIS.





IOMEDEAS Insulas extulit fœcundo calamo Benedictus Cochorella, à quibus pariformiter non sterili secundum artem materia euectus est, etsi satis arrida secundum naturam, inter probos castigati candoris Scriptores latinos numerandus. Possident Lateranenses Regulares inter Adriatici vndas Insulas eas, quas antiqui Diomedeas appellare ex inibi tumulato dudum, & prius regnante Diomede ab Aetholo hereditario imperio exulato per dolum, & libidinem mæchatæ Ægialis coniugis. Hoc tempore, & per plura iam exacta sæcula Insulæ Tremitanæ nuncupantur, non ignobili concursu finitimorum adiacentium populorum, litoralium, & mediteraneorum celebres ob Sacratissimæ Virginis Dei genitricis vetustissimum simulacrum inibi summis miraculis refulgens, & venerando cum primis obsequio cultum, & obseruatum, adnauigantibus semper propitium, & salutare. In earum possessione, instauratione, ornamento, pristina alienorum inhabitatione longè multa acciderunt, quorum impium erat permittere memoriam interituram, vel cum tineis, & blattis in situ, & priuato puluere alueolorum obscurè rixaturam. Vniuersa huiusmodi librans Benedictus, qui diuturno Insulæ domicilio penitimiora quæq; obseruauerat, & curiosa peruestigatione locorum, proprietatum, & scripturarum abditiora lustrauerat, ex ouo descriptionem eorum exactam molitus ad summum vsq; perduxit. Ille apud insubres clara in Ciuitate Vercellarum ortus, & Canonicam professus vitæ normam sub Regularibus Lateranensium institutis in eas oras per obedientiam amandatus; sic ex imo pectore admisit loci solitudinem tum ad studia attentius prouehenda, tum ad animi quietem retinendam, ad obsequiuum Virgini matri recollectius præstandum, vt inibi perpetuò degere, si per Prælatos sibi liceret, adiudicarit. Quod & exitu comprobauit, cum post triginta quinq; annorum incolatum eodem loci spiritum creatori Deo transmiserit. Inter ea autem tempora cum aliquando Insulę gubernatio demandata esset per Genera-

nera-

neralia Comitia Mattheo Vercellensi Abbati viro, & vitę probitate, & animi magnificentia clarissimo, qui in ornando loco tantum impendit ingenij, & ædificiorum verè conspicuorum, quantum quam maximè; Benedictus Prędictum opus aggressus est, & absoluit suasu maximè, & hortationibus tanti viri, ac de se optimè meriti. Materiam cunctam sex libris disposuit, & digessit illis etiam per capita breuiter partitis. Dictione vsus est venusta, ornata, & verè latina. Suis locis flores poetarum admisit, & delibauit ex Virgilio, Ouidio, Martiale, Dionisio, Claudiano, Lucano, & alijs vsq; ad commodum, & seclusa omni nausea, Cosmographicos Auctores, ac Canones & legit, & obseruauit quantum sufficiat sub primo etiam legentis intuitu colligere quam multæ, quamue multiplicis eruditionis Auctor esset. Qui si addixisset ita sub calamo mentem copiosiori subiecto maioris historię aut Ecclesiasticę, aut profanæ; nullus omninò fuisset Parnassus, qui nō eius laureā admisisset. Eum quoq; poeseos professorem indicant quæ adhuc extant carmina. Cæterum opus per integrum fermè sæculum inter priuatas scripturas indigno silentio latitans sub inuida custodia malè etiam seruata scriniorum, ante aliquot annos Albertus Vincianus Crescentinus eiusdem Monasterij Tremitani negotiorum gestor Canonicus, quem Procuratorem dicunt, ad publicam lucem euocauit, ac commodum. Basilius verò Serenius Mediolanensis opposita lima maculas absterſit, & offensa loca suppleuit. Hisce libris si adijcias, quæ de eodem ipso Monasterio, & insulis detexit superq; doctissimus Gabriel Pennotus Pręceptor meus libro tertio Historię Tripartitę Canonicæ capite tertiodecimo nil tibi aderit quod desideres pro ingenij curiositate replenda. Vixit Benedictus supra annos quinquaginta, deffecit anno 1540. habenas Congregationis moderante Francisco Mediolanensi. Scriptarum ergo eius rerum est

Tremitanæ, olim Diomedeæ insulæ Accuratissima Descriptio Libris sex digesta. Mediolani apud Pandulphum Malatestam Anno 1604. *Lib.* vj.


Mercurini Ranzei Patritij Vercellensis Equitis Aurati, & Legum Doctoris.

Plaudite fælices scopuli, quos Aetolus Heros
Incoluit, Nunc vos possidet Ordo sacer:
Plaudite grata Cohors; quam Præsul, Doctor, & Hortis
Hæreseos Sanctis Legibus instituit.
Ignoti primum, vestra at nunc fama per Orbem
Spargitur, & celebres vos Cochorella facit.

Grego-

BENEDICTVS PARCITADIVS. ARIMINENSIS.





VIDNI primas huiusce Secundi libri sedes post Beatum Columniam Benedicto Parcitadio Ariminensi assignabimus, si easdem in ordine Generalis Rectoratus dudum reflorens assignauit Congregatio? Non splendorem conferunt viris loca, nisi forte accidentalem, dum incorruptum ipsa vicissim recipiunt. Nec ipse è summo Cælo minora hæc fragilitatis humanæ curat, qui valdè maiora inter viuos agens ex Dei amore despexit. Parcitadios Arimini Principes viros extitisse, deq; Ciuitatis dominatu cum Malatestis non semel decertasse testantur antiquiora illius populi, & finitimorum monimenta, publicæ tabulæ, intestinæue sanguinum effusiones, atq; hinc secutæ interneciones. Quin verò illos Malatestarum gloriam, & ambitum fouisse, prouexisseq; per concessa, aut imprudenter, aut infeliciter matrimonia in extremam ferè gentis perniciem norunt qui res Malatestæ de Veruculo legerint. Ex huius familiæ stipite, perculso tamen non minimum ex fortunæ ludibrio, nobilissimum ortum duxit Benedictus, secundumq; insertos generosi sanguinis spiritus enutritus est tenerioribus annis paratior ad arma pertractanda, quam ad pacis artes consectandas. Vt autem ipse puerilibus expoliari se percepit, cæpit in alias vias vestigia flectere, cordis intima tangente, mutanteq; Domino, vt ex mundanis ad cælestia emergeret faciliore, fælicioreq; via. Pietatem ex imis præcordijs excultam actiones quæcunq; redolebant, siue erga se, siue erga proximum exercerentur. Et quamuis tempora illa deprauato quodam more infecta laberentur, ipse tamen vigil, fortisq; stabat, neutiquã sui curam vel negligens, vel omittens, vt admirationi prorsus omnibus ordinibus esset. Neque id absq; peculiari Numinis benignitate, prouidentiaq; factum esse innotuit, quippe si priores semitas protriuisset, non longè distare ab interritu videri poterat, dum non permitterent impotentes Ciuitatis potitores vt semel eiectæ strenuæ aduersariæ gentis germen refloreret in optimam frugem belli. Iactis huiuscemodi vitæ fundamentis incidit in mentem Romam inuisere ad sacra Apostolorum, cæterorumq; fidei athle-

athletarum venaranda. Eo loci collegit spiritualis vbertatis fructus suauissimos, quorum vtilitate frui vt diutius facultas afforet, in Angeli Corarij Patriarchæ, postea Cardinalis Sancti Marci Patritij Veneti egregiæ probitatis viri nobilem famulatum se recipi passus est. Hoc pacto sternunt fata viam grandibus futuris successibus. Cognouit Benedictus intimiore praxi, familiaribusue colloquijs, & actibus sensum Męcenatis sui, pariformiterq; ab illo ipse cognitus est, quod perseueranti voluntate, & obsequio in aula diù perstiterit. Ad altiores demum vocatus vitę gradus patrijs focis redire permisus est ad domestica securius componenda. Illinc raptatus Ticinum iam Clericus, iam Sacerdos, iam diuinis amoribus totaliter addictus, adhuc tamen de norma vitæ tenendę dubitabundus, & anxius, obuium consolatorem Dominum habuit per Bartholomęi Columnij Sanctissimi Presbyteri conciones. Asumptus est inter egregios illos duodecim Reparatores Canonici Ordinis lachrymabundè labentis sub annorum, morumq; iniuriosis scissionibus, & erumnis. Serius tamen innotuere viro tantę prouincię pia cogitata, sanctaue consilia; tum videlicet cum iam duo illa splendidissima lumina Leo, atq; Thadeus ad discutiendas, & effugandas Frigdionarias tenebras pręproperassent. Dilatatum est cor eius, Sanctiq; Spiritus gratia mirabiliter oppletum, cum lucrator Columnius vitę mirabilis genus, institutaq; reuelauit. Nec molimina obiecit, & si verissima studiorum, quę pre manibus, præq; laurea proxima habebat, interponendorum, aut prorsus omittendorum. Exhibuit, deprecatusq; est filiationem, & societatem animi ardore feruidissimo. Nullibi videbat Contemplatiuam, Actiuamq; vitas ad inuicem ita permixtas, vicissimuè adiutrices, quam in tali dogmate, nullibi quietem securiorem sibi repromittebat, quam sub assumendo Apostolic Colobio, in ea pręsertim solitudine, quę Deiparę Sacratissimæ deseruiret, atq; inter eos Patres, qui toti insisterent tam in se formandis, quam in alijs reparandis, & reformandis. Pręprìdie Idus Iunij Diuo Apostolo Barnabę dicato nomen Saluatori dedit in templo Virginis Frigdionariæ ab eodem B. P. Bartholomæo candida linea veste indutus, per quem & lucratus fuerat nonus in sociorum numero. Quę fuerint initiati exercitia, quibus virtutibus acquirendis, cuinam perfectionis culmini incubuerit, obtexant ex annalibus in longam historiam alij. Quidem is dignus habitus est, quem sibi Vicarium, successoremq; destinaret post annum in noua illa peregrinatione repetundarum concionum, & reparandorum pro fideli populo laborum pijssimus motor Columnius, in quemuo cęteri communibus suffragijs lętissimè conuenirent. Quarto igitur annu currentis illius sęculi Tertius Rector Generalis Frigdionariæ renunciatu est. Parem exitum conceptibus enutriuit annus, quin & à fructibus reges laris disciplinæ spes superate sunt, dum viuendi rigidiore norma cæteros

præ-

præses anteiret, suaderetq; verbo pariter, & exemplo. Interea ad Apostolatus apicem euehitur Angelus Corerius, Gregoriusq; Duodecimus appellatur, à quo cum Benedictus prædiligeretur in gratiam anteacti seruitij, cognitæ virtutis, & admissæ familiaritatis, in commendationemq; institutæ vitæ; non satis multo interiecto tempore in Priorem, Rectoremq; Ecclesiæ Sancti Leonardi de monte Donico propè Veronam instituitur. Dicauerat iste Sanctissimo Hierarcæ per eos dies opusculum insigni pietate, intimioribusq; collustrationibus conscriptum, quod De meditanda Angelorum custodia, eiusq; modo latinè attitulauit tribus libris, & nonaginta capitibus compræhensum, quodue manuscriptum adhuc extare nos ingenti cum gaudio vidimus, percurrimusq; Venetijs in manibus Gabrielis Corerij Patritij illustrissimi ordinis. Atq; id fortè mentem distracti per varia negotia Pontificis excitauit, vt virum aliqua ex parte compensaret. Illustris Ecclesia illa, & iure quopiam antiquitatis pollens annexum dudum habuerat insigni Canonicorum Regularium Collegium de Congregatione, quam à Diuo Marco Mantuæ appellabant, sed temporum, hominumq; iniquitate sic vtrunq; prolapsum erat, vt distractis prouentibus, dilapsisue fabricis à nemine Ordinis incoleretur non minimo cum Veronensium ciuium mærore, qui per supplices porrectos Sedi Apostolicæ Libellos Reformationem eius expeterent. Possessionis iura, prouentuumq; debiles portiones Pandulpho Sancti Nicolai in Carce Tulliano Diacono Cardinali Commendatario cedebant, qui Pontifice expetente resignationem omnimodam loci, & annexorum eius egit. Collatio autem sic emanauit à Gregorio, vt in Benedictum ipsum terminaret, prouisumq; personæ esset, non Ordini, & Congregationi. Id autem more tum cum Canonicis Regularibus seruato actitatum erat, vt non culpandus Pontifex veniat, cui licet nota Benedicti, cęterorumq; esset in genere Reformato, mensq; pia, particularium tamen non adeo exacta apprehenderat. Non enim consuluerant eruditi Patres Sedem Apostolicam, neq; confirmationem exquisierant, aut expectauerant, vt in nouis instituendis necessariò fieri debet; sed quæ pręstabant Canonico ritui ex se executi fuerant, reuocantes tantum ad primæuam disciplinam, quæ paulatim erant dilapsa. Benedictus verò sui non immemor, aut ob temporalium bonorum factam accessionem suæ vocationis aduersarius, in commune statim reponendum Sacerdotium obtulit, nec prius aquiescendum putauit cæteris, quam priuatim sponderent recepturos, quæ publicè postmodum transigenda essent. Bulliplumbium receperat honorifica sui commendatione repletū, testimonialibusq; laudibus tanto cōmendabilioribus, quāto ab eo proficiscebātur, qui mētiri nō posset. Supplicibus tamen porrectis libellis omnia postmodum reassumpta sunt in Congregationis commodum, ritèq; confecta. Atq; id quidem primitus

præſtitit Reformationi beneficium Parcitadius, eo commendabilus, quam abſq;exemplo eſset, eò fructuoſius, quòd ſic in cętum tranſire cæperit Congregatio, quæ loci acceſsionem tertio loco ſignauit. Ipſe interim in annum Priorem ex Reformationis modulo ordinatus ea rerum fundamenta iecit in oculis ampliſsimæ Ciuitatis, quæ poſtmodum in fęcundisſimam meſsem Domino creuerunt, dum ij confluxere ex Patritijs Veronenſibus ad profitendum Canonicum Dogma, qui ſanctitate morum, innocentia vitę, doctrinę excellentia Eccleſiam ipſam vniuerſalem mirabiliter illuſtrarunt. Vixit diù poſtmodum Benedictus inter diuerſas Pręlaturas, & officia ſemper in omnium oculis, cordibuſue, tandem ſancto fine quieuit. Superſunt igitur eius ingenij monumenta.

De Angelorum cuſtodia meditanda, eiuſq; modo. Ad Gregorium Duodecimum Pontificem. Lib. iij.

Leonardi Sarctij Bargæi.

QVis vir, aut heros modulandus inſtat,
Muſa nunc aureo decorata plectro
Quando parnaſi tenebris relictis
AEthere fulges
Siue per ſacras ſpaciata valles
Qua viret multis nemus & hyacinthis,
Qua viret ver perpetuum, capillos
Flore coronas:
Tu Benedictus mihi, qui canendus
Incolis Sacras venerandus arces,
Tu lyræ primus labor, & Camœna
Tu mihi prima.
Te canam Regum genus, & propago
Qui magis Martem teneris ab annis
Ipſe quam Phœbum puer es ſecutus
Aptior armis.
Sed Ducum ſceptris potior ſuperbis
Dum Dei cultus venerans pudicos
Quæ cupit vulgus fugis, & ſupremas
Tendis ad arces.
Quippe ſyrenum laqueos doloſos,
Vt togæ ſanos tulit hora ſenſus
Sentis & mellis renegas amari
Dulcę venenum.

Ergo

Ergo tu totum resonans per orbem
Ipse te cantat puer, & senectus
Ipse te Sacri modulamen arcus
Optat Apollo.
Iam sonat totus Polus, atq; tellus
Iam canit Cæli chorus, & sonorus
Ipse iam chordis reboas eburnis
Ter benedictus.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

DVM Pater æthereos celebrat Benedictus ephebos
Queis seruare hominum pectora cura vigil;
Protinus aligeri cælestis turba choraulæ
Cepere insolitum fundere ab ore melos:
Excelsaq; vnus plaudens puer Ales ab arce
Perge, ait, inceptum continuare Pater
Dignior erga homines nostras expromere curas,
Non alius quam qui tum Bene dictet erat.



BER-

BERNARDVS BRVSCVS VERONENSIS.





VB maximè erudita, valdeq; pia diſciplina Patrum ſocietatis præclariſſimæ Ieſu poſuerat prima rudimenta latinæ, grecæq; linguæ Antonius Bruſcus Veronenſis per adeo probatos profectus, vt dignus fuerit habitus qui admitteretur ad eorum dogma experiundum, experiundus & ipſe, collucentibus hinc atq; hinc non obſcuris futurę perſeuerantiæ luminibus. Verum aliter ſucceſſu diei actum eſt euaneſcente propoſito, labenteue conſtantia. Qua tandem id contigerit cauſa nobis prorſus ignotum. Profectò nondum maturauerat tempus, quo ſe priuati voti religione obſtringeret inſtituto pijſſimo, valdeq; feraci viuidus adoleſcens, cum ad ſuos regredi placuit; non quidem quaſi victurus iuxta ſæculum, & priora reaſſumpturus ſemel deteſtata vana, caducaue; ſed nouæ militiæ, & ſibi magis accommodæ (ſi quæ eſſet) nomen daturus. Vixit egreſſus aliquandiù in religioſi modum, etiam ſi inter lubrica, quod non modicum commendat iam hauſtæ diſciplinæ latices, & genij probitatem non diuertentis ab concepto fine. In ea Dieta, quæ Cræmonæ habita eſt nobilis anno ſecundo ante ſecularem proximè lapſum fauorabilia obtinuit ſuffragia tranſitionis ad acies noſtras, non abſq; aliquorum tamen oppugnatione, quibus difficillimum videbatur cicures noſtris moribus reddere alienis aliquando efformatos. Diuum ſibi Bernardum Protectorem aſſignari ab Pręlato Rochetum inueſtiente per noui nominis impoſitionem alacriter ſenſit, quem & poſtea toto vitæ curriculo peculiari cultu exorauit. Breui ſed acri tyrocinio exercitus ſtadio literario emetiendo annos quatuor tantum poſuit ex maiorum approbatione, quibus prior diſciplina, & philoſophicus ab illo iam actus curſus in ęquum, bonumue conſulere honeſtum fuit. Celſo Dugnano Dietam primam Patauij celebrante ex eadem Vniuerſitate Viridariana dimiſſus eſt Sacrę Paginæ, Artiumue Doctor. Parum laborauit in verbo, & publico miniſterio manum nullam appoſuit, quęquę fuerit ratio animum eius vtriq; ſe denegandi mouens. Ab natura in eloquentiam propendebat, & ars felici conſpiratione per ora accommoda claſſicum inſonuiſſet in plebe, & proceribus; ſed obtudit fortè valetudo aduerſa, nec omnibus patens acumen egregium, aut ad alia ſcindenda deduxit

duxit. Quietis mutæ cultorem eximium dicerem illum (ne otij inutilis insimulem nequiter). sed reclamat facundus, benèq; doctus calamus, & in diuersa pertractanda eruditè exercitus, qui per omnium manus egregia cum laude infrà reddendas fęturas transmisit. Montanam solitudinem Veronensis Cænobij penè annos triginta incoluit, nec animo etiam diuertens ad alienas regiones, libuitq; Prælatis secessum illum in viro souere ad arcta disciplinæ melioris seruanda facto, & ad promouendos exemplo probitatis omnis, qui illic expoliuntur, nouitios. Non infrequens tamen erat Ciuitati, in qua honestissimas literatorum, & præcipuæ nobilitatis exercebat amicitias vbiq; admissus semper cum fænore non solum eruditionis, sed & pietatis, ac religionis, quas inserere per omnem occasionem satagebat: atque vno hoc titulo egregiè notus non infimas sæpius composuit lites, diremit inimicitias, seuit paces, induxit affinitates. Quin non conciuium eruditorum modo sibi conciliauit notitiam domesticam; sed & studio omni officiosè in exterorum, absentumq; beneuolentiam se, & familiaritatem insinuauit, quos doctrinę non vulgaris fama commendaret. Sat sit vnum ex pluribus nominasse Angelum Grillum Cassinatum Monacorum splendidissimum lumen, literarięq; Reipublicę benemerentissimum cuius plures extant elegantisimę ad Bernardum epistolę mutui amoris, & obseruantię testes non moriturę. Dilexit Congregationem tanquam matrem benemerentissimam, & priuata omnia studia contulit in eius iuribus promouendis, & illustrandis, quod & per familiaria colloquia exprimebat apprimè, & ex illis, quę scripsit, multa plenè contestantur. Sed & anno illo, quo nos Nouemuirorum Collegio, licet immeriti adnumeramur Bononię perrecto supplici libello exhibuit se paratum ad Ordinis Indulta Apostolica pridem in vnum corpus, sed mutilè adhuc compacta, in faciliorem seriem plenè redigenda, & meliore tessera digerenda ad promptiorem quotidianum vsum, adnotatis ijs, quę vel iam essent antiquata, vel haberent sanctiones conciliares, aut Pontificias contrarias: dumodo id sibi per supremum illum Magistratum liceret, & imperitaretur querens nempe etiam in labore non ignobili obedientię meritum, ac directionem. Verum prolixè datam prouinciam non absoluit fato concedens in patria post paucos menses in communi illa pestilentiæ clade, quas tot centena millia virorum per horam Venetam, insubricam, & Æthruscam desiderata sunt nondum senex. Edidit

Nobilis Familiæ Nogarolæ Elogium perelegans, quod fuit per Typographos adtextum Onuphrio Panuinio de Viris Illustribus Veronensibus. Veronæ apud Angelum Tamum Anno 1621.

Matthæi Bossi Veronensis Clarissimi Concanonici Elogium, quod præmissum est operibus illius Bononiæ editis.

Celsi

Celsi Maphei Veronensis clarissimi Concanonici Elogium. Ad Marcum Antonium Mapheum Comitem Veronæ Typis Angeli Tami Anno 1627.

Libellum quod attitulauit Redargutio historiæ de anima Traiani ex inferni supplitijs liberata. Ad Ascanium Bursatum Cremensem Abbatem Veronæ apud eundem.

Prærogatiuas Abbatibus, & Prælatis Congregationis Lateranensis concessas. Ad Petrum Casorium Abbatem Sanctæ Mariæ Charitatis. Venetijs apud Antonium Pinellum Anno 1626.

Votum de Habitu Canonicorum Regularium qui ad beneficia sæcularia transferuntur. Ad Ioannem Thomam Malonium Episcopum Sebenicensem. Veronæ apud eundem.

Vota de appellatione Regularibus concessa, & de facultate prælati Regularis ad constituendum Procuratorem. Ad Petrum Varotarium Veronensem Congregationis Sancti Georgij in Alega Visitatorem.

De more veterum recitandi. Ad Cozzam Cottium Veronensem Archipræsbiterum. Apud Bartholomæum Merlum.

Gregorij Brunelli Mediolanensis.

INter inhumani speciosa pericula Mundi
Perdidit egregios cæca iuuenta dies:
Sæpè voluptatis mihi gaudia fœda placebant,
Et Traxit fultus lumina sæpè nitor.
Nunc iuuat intactam Cælo producere vitam
Abluere & maculas lurida nexa tuas.
Quis mihi det? Niuei cœtus pia norma decenter
Candida sub Niueo vellere corda latent.

FINIS.

LY-



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER TERTIVS.



CALIXTVS DE FVRNERIIS PLACENTINVS.



IRTVTEM Calixti de Furnerijs, tot cassis operibus, eo prouexit apud exteros fama, vt laudis cumulum assecuta nihil nouo iam decore indigeat, immò nec penè assequi possit. Neque ipsi nos desipimus ita, vt addere quidpiam commendatissimo arbitremur. Cognoscat tantumodo docilis posteritas mentis obtutu, quibus tandem ille artibus apicem tantum attigerit, indeq; imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Paucos profectò cætus Lateranensis ei comparandos obtinuit tam de diuite interiorum virtutum, solidarumq; copia, quam de extimorum, speciosorumq; donorum cultu. Perenne studium, quo se iugiter custodiuit à quacunque obeunda dignitate, communibus haud inhiasse illum semitis, bene docet. Ne vnius, quod profitebatur, dogmatis aliquando cogeretur gerere speciosiores infulas, vicariam ipsam minorem potestatem in Canonijs ne exercere quidem summa prece obtinuit. Non se-

mel quoq; interpellato ad Epiſcopales Cathedras, nec infimi nominis Vrbium, non animus non oratio defuit Clementem Mediceum, Paulumq; Farneſium Hierarchas volentes, ac iubentes alio flectendi. Vocato ſibi ad Euangelij tubam concinendam pręconis partes, ac munia ſpectare, non Antiſtitis, in illoq; permanendum officio ſub ſalutis anathemate exprimebat. Sed hoc perfectionis culmen inſigne ex ſumma ſui deſpicientia exoriebatur, quæ vt rarius in ijs inuenitur qui præclara ſcientiarum face cum prrmis ſplendeſcunt; ita eidem ſemel in animis immiſſæ pijs, omnia pro voto probitatis non affectatæ ſuccedunt. Præcipitabant anni in priorem centenam ab inchoata Frigdionariæ Ordinis Reformatione, cum is Colobio inueſtitur Canonico: non tamen primus ille feruor ſeruorum Dei pariter pręcipitabat; ſed in viridi adhuc obſeruantia vix agnoſcebat ætatis procedentis vitia. Ea propter adoleſcentem animum inuaſit, poſſeditq; tantopere, nihil vt vltra meditaretur, quam vt ſe frugi formaret Deo Domino, altrici Religioni, Populiſq; tanquam pullis coruorum cibum inuocantibus in tempore ſuo. Virtutes ſolidas humilitatis, patientiæ, puritatis, ſobrietatis penè abſtemiæ comitatæ ſunt floridiores ſtudiorum, atq; ſcientiarum, acutiſſimi intellectus, tenaciſsimæ memorię, facillimæ expræſsionis, vigilantię, ſedulitatis. Quod omnium caput, coronaue erat, ardentiſsima charitas in omne genus hominum eloquentiſsimum parturiebat iuuenem ſiue in exercitationibus gymnaſticis de more, ſiue in ſolandis, iuuandiſq; infirmis, debilibus, deſolatis, tentatis. Quare luci tantæ non vltra nubes ſilentij attexendas rati proceres, Leuitam initiatum dimiſerunt Euangelio ferendo. Fœlici ſarcinę ferendę vires diuinitus profectò affuerunt. Ab ipſis nanque exordijs intonuit tuba ſalutaris tanto cum fructu, vt vix in Vrbibus quiſpiam remaneret domi cum diceret, malè ſibi prouidendum quiſq; formidans, ſi abeſſet. Non, vt in pluribus accidit, nominis celebritatem ſenſim accepit; ſed tota ſimul exorta, tota per annos penè quadraginta ſeptem perdurauit, Pręcipuus inter Italicos concionatores ſuo tempore habitus, ab anno nempè quinto ſupra ſeſquimilleſimum, in quo rudimenta Apoſtolici miniſterij poſuit, vſq; ad quinquageſimum ſecundum, ab quo de carnis ergaſtulo dimiſſus eſt. Longam texerent hiſtoriam, quę toto illo curriculo linguę eloquentiſsimæ, vitæq; admirabilis ab eo dimanarunt opera, ſi ſingillatim recenſerentur. Aliqua attigiſſe ſufficiat. Cum Neapoli tertias cineres ieiunio ſeueriſsimo ſibi impoſito, & opipara prædicatione alijs appoſita quadragenaret, Hectorem Vernacciam Genuenſem virum clarum, innocentiſsimum, ſummæq; charitatis in pauperes, & ęgenos ſanctè laborantem inuenit. Ab illo ſępius accerſitus viciſsim communicatis animorum arcanis, ſimulq; coniunctis ſtudijs, ac diſcusſis exercendis pijs induſtrijs, in binas inhiare prouincias per ſolum Dei Spiritum acceſſibiles

biles in amplissimo illo rerum, hominumq; emporio, cui fastus, ambitusq; equestris esset quodammodo in censu, & in partem amplam computaretur substantiæ. Nosocomium ad miserabiles infirmos illos iuuandos, ac sustinendos, quorum desperata salus corporis ab medica censeretur, aggrediuntur per collatam ædificandum stipem diuitum, potentiumue. Verum quoniam id opus nodos solutionis expertes offendebat dietim; ab eo in aliud prouoluunt maioris adhuc prouinciæ: ad instituendum scilicet nobilium consortium pro associandis ad patibulum damnatis infœlicibus illis, quorum scelera publicæ iustitię vltimum expromebant supplicium. Inauditum Christianæ charitatis ad ea vsque tempora penès superbos, fastuq; plenos animos non auuersionem modo, sed & horrorem parturiebat, dum & ab ipso adhuc concionantis, proponentisq; ore Calixti in aures prouoluebat plenissimæ ad Virginem Annunciatam coronæ. Quid verò salebrosum, rebelleq; diuino reperitur Pneumati? Cicures sensim reddit flamma sacra *labens*, *lambensq*; ab prędicante mentes: dumq; hinc ab suggestu orator pręmit, isthinc vrget Vernaccia qua priuatis allocutionibus, qua amica prępotentum ciuium, familiariumq; conciliatione: & dum humano more, sed angelica intentione omnem mouent lapidem, omnem experiuntur artem; non postremam hanc modo obtinent Societatis pijssimę structuram, quam à Morte appellarunt, sed & ab ista iam compacta Incurabilium domum eliciunt, construunt, doteq; cumulant. Neapolitana Ciuitate, omnibusq; ordinibus in admirationes, & iubila preuoluentibus. Quam verò nos hic Nosocomij Incurabilium ædificationem, constructionemq; appellamus, non de primæua illius fundatione intelligi debet sed de nobili amplaq; dilatatione, & potiore in meliores formas augmento explicando venit. Si quidem doctissimus, & æquè pius Zacharias Boerius Annalium minorum Capucinorum scriptor egregius nobilissimam, pariterq; religiosissimam fęminam Mariam Longam celebri Sanctitate conspicuam eiusdem Domus Incurabilium primam facit auctricem. Atq; ideo non erit ab re quod ipse de Calixto refert sub anno 1642. numero 61. refferre.

Per id tempus (inquit) nimirum circa annum 1519. Neapoli Dei verbum disseminabat D. Calistus Placentinus Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium, cuius opera Confraternitas, quæ vulgo Alborum nuncupatur, olim in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis iuxta Regium Palatium instituta rursus excitata fuit: cui ex pio instituto incumbit, ad mortem damnatos verbis adhortari, & ad extremum illud supplicium æquanimiter subeundum, *pijs* sermonibus eorum animos præparare. Hæc porrò Confraternitas cum in Ecclesia Sancti Petri ad Aram prius erecta fuisset, hoc tempore in Oratorium cui titulus est, Sancta Maria succurre miseris, quod

 in ipsa

in ipsa Incurabilium Domo extructū cernitur,trāslata fuit,ipsāq;Hospitalem Domū plurimū laboribus suis iuit: id enim piè in ea institutū fuit, vt qualibet sabathi die Cōfratres albis Cōfraternitatis vestibus induti publicā in vrbe pro Hospitalis domus subdio,eleemosynā quererent. Quo factum est,vt hac Confratrum pietate,vberioribusIncurabilium Domus eleemosynis excresceret: plurimiq; Nobiles ad illius ministerium confluerent. Hæc ille.

Hæc hisq; similia ea erant, quæ de ore viri Dei prodibant populorum beneficia, non inania, non sterilia verba. Auctus quoq; fortitudine, cordeq; dilatatus à Numine in hęreses, quę passim per ea tempora diffundebantur, tanto spiritu inuehebat, vt in tonitrui, fulgurisq; speciem eas passim & insectaretur, & deijceret. Pręcipuo enim talento desuper donatus omnes intendebat neruos doctrinæ, eloquentiæ, pietatis,ardoris, vt lethalissimam animorum pestem sensim repentem, & inficientem auerruncaret. Impunè ea diffundi cernebatur, ab bellorum tumultibus, armorumq; & armatorum strepitu nunc inuecta, nunc confirmata, Luthero perditissimo apostata auctore. Vnus porrò pro millibus apud Italos in ea euertenda habebatur polens apud populos auctoritate nominis, sapientię opinione, celebritate facundię, sanctimonia morum; non laboribus, non vitę parcens, cuius sæpisimè extrema subiret discrimina. Zelo Dei, Religionisq; munitus animosissimè deijciebat infectos, curabatq; nulli hominum conditioni parcens, nullos metuens, fortiusq; agens aduersum præpotentes auctoritate, nobilitate, diuitijs, imperio, quam aduersum infimiores, quibuscum mitius. Exemplum ex multis esto quod Genuę edidit, cum primarium virum nobilitate, diuitijs, & opinione doctrinæ insignem vocis præpotentis tono, & ardore animi per ora diffuso de Sanctæ Mariæ Gratiarum templo eiecit verbis illis, Procul hinc, procul esto profane: in cuius zeli exitum ita incubuit, vt vir in custodiam à magistratibus actus virus hæreticum euomuerit, seq; ac plures alios in præclarissima ciuitate ab repente morbo ad sanitatem reuocarit. Cum igitur tantus assurgeret aduersum perduelles hæreticos, tantusq; esset in peccatores conuertendos, iam in prædicatione annis viginti septem sanctè, mirabiliterq; decursis inter innumera documenta per Illustriores Italas Ciuitates edita talentorum suorum, ab Sanctissimo Hieratca Clemente Septimo diploma accipit, quo primus, aut fortè solus omnium Generalis Inquisitor aduersus hęreticam prauitatem Luteranam per omnem Italiam instituitur, Apostolicusq; prędicator ordinatur, ac declaratur. Habeant illud hic ad verbum seri nepotes, legantq; quasi tabulas triumphales, & excitentur exemplo ad agendum pro Deo fortissimè.

Clemens Papa VII. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Inducti probitate vitæ, zelo religionis, sacrarumq; literarum scientia, nec non in prędicando verbo dei facundia, quibus te pollere non solum intel-

lexi-

leximus; sed ipsi multis de te comprobatis experimentis perspeximus, sperantesq; ex prædicatione tua, & alijs tibi per nos committendis optatos salutis animarum fructus fore prouenturos: Te Prædicatorem Verbi Dei in omnibus locis, in quibus pro tempore fueris, Apostolica auctoritate tenore præsentium facimus. Et quoniam hæresem Lutheranam in multis Italiæ locis clam serpere intelleximus, attendentes (licet aliarum hæresum Inquisitores in quibuscunq; Ciuitatibus generaliter deputati fuerint) hanc tamen hæresim nouiter oxortam, & magna audacia nitentem noua, & particulari prouisione egere, de tua singulari doctrina pariter confidentes, teq; Inquisitorem Generalem dictæ hæresis Lutheranæ tantum per totam Italiam, citra tamen reuocationem aliorum Inquisitorum, deputantes, illis omnibus, te quoad Inquisitionem dictæ hæresis Lutheranæ tantum ad eos in hoc ex parte, & Auctoritate nostra coadiuuandos adiungimus: ita quod cum solus, & per te ipsum super crimine dictæ hęresis Lutheranę tantum *iuxta facultatem*, & procedendi consuetudinem dictorum Inquisitorum, ac sacros canones procedere possis, & debeas. Quamobrem vniuersis locorum Ordinarijs, seu eorum Vicarijs, & Inquisitoribus prædictis in virtute Sanctę Obedientiæ mandamus, vt te in eorum Diœcesibus, Verbum Dei publicè prædicare, & si ipsi interuenire noluerint, te solum super crimine hæresis Lutheranæ inquirere, præsentibusq; Literis pacificè frui faciant, ac permittant, ac & quantum in eis tibi faueant, & assistant: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis: nec non priuilegijs, & literis Apostolicis Ordinarijs, & Inquisitoribus prædictis per Sedem Apostolicam concessis, confirmatis, & sæpius innouatis: quibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expræssis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præsentium dumtaxat specialiter, & expræssè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, Die Quarta Iannuarij MD XXXII. Pontificatus nostri anno nono. Blosius. Et hoc quidem Apostolicum est de viro testimonium, atq; diploma. Cęterum non huius est loci ea prosequi, quę maximè vtilia prodiere per annos viginti ex tanti muneris exercitio, cum ex integro commentarium exigant singulare. Pręstat tantummodò eximij Legum Doctoris Alexandri Ruuinagię iudicium nobile adtexere, quo ob oculos egregiè ponit quanta Calixto concio, quamq; fines eius diuersi ab concionatorum vulgo extiterint ad illum ipsum in hęc verba scribens. *Multa sunt istis temporibus* per sacra magnarum Vrbium Oratoria, celeberrime concionator Calixte, quę mihi repręhendi posse videantur: illud præsertim, quod pleriq; religiosos habitus induti, diuinis sermonibus non alia

ratione

ratione intendunt, quam fecularium dignitatum cupiditate, aut pecuniarum quæstu allecti. Ideoq; Placentinæ Ciuitati non mediocriter gratulor, quod te vnum genuit fanctitate, pietate, religione præstante, qui non cauponantem tantæ venerationis officium, fed studio charitatis accenfus, à primo iuuentutis limine in fenectutis tempus instituendis fidelium animis laborasti, non alio defiderio, quam vt ad virtutem plurimos animares, & pulfis perturbatis affectibus parere rationis imperio doceres, vnde nullam Prouinciarum illarum, quas religiofi quoq; fæpè numero ambiunt, rationem habuisti, & oblatos fæpè honores à te omnino abdicasti, querens quo pacto poffes à terrenis cupiditatibus ad æternas delitias fidelium mentes attolere, hoc tuum opus, hęc tua fublimis Philofophia, quadraginta annis, & eo amplius per illustres Latini nominis Ciuitates,& populos longè,latèq; peruagata est. Nam & Roma, & Neapolis, & quæ Venetum Vrbem regit Oligarchia, & Florentina, ac Bononienfis Refpublica, Mediolani quoq; ac Genuę Proceres tuis fermonibus ingenti femper corona, & frequentiffimo conuentu auditis meliores facti ad cęleftes delitias ex caducis voluptatibus animas erexerunt. Misso priuatas inferiorum vrbium plebes quas ad bonam frugem asfiduis concionibus asfiduè perduxisti etiam fpreta propriæ valetudinis cura. Erat certè in doctrina tua mira facultas, mira vtilitas cum incredibili fuauitate coniuncta, vt cum dixiffes, qui aderant, adhuc tanquam effes plura dicturus expectarent. Erant quippe orationes tuæ Ifocraticam, & Periclis dulcedinem fimul, ac Demosthenis vehementiam redolentes: & cum te impetus ad corripiendum confuetudines prauas acuiffet, vt de quodam alio fcriptum est, tonare, & fulgurare videbaris. Sed quę hactenus astantium tibi auribus instillasti, illis folis prodeffe potuerunt; at quę fcripfisti in illas Euangelij partes commentaria, quas quot annis à feptuagefima vfq; ad Dominicę Reffurrectionis diem in miffarum folemnijs recitari Romana iubet Eccleſia, poffent, fi ędantur, omnem ætatē nationes & omnes,quæ Christiana veritate illustrātur,vnicè erudire: & ommisfis fęcularium traditionum fabulis, propter ftyli iucunditatem eorum, quæ dicuntur grauitati admixtam, ad feria, & studium ęternę felicitatis vertere. Vidi aliquando pręclaras illas ennarrationes (te permittente pro nostra vereri confuetudine) nec poffem verbis affequi quantam breui, ac lucida rerum complexione doctrinam inuenerim, quantum oblectamenti, & iucunditaris in verborum fplendore, & fermonis dignitate, quę fit in illis ex fententiarum grauitate auctoritas, quę fcripturarum concordia inter fe (nifi rectè intelligas diffonantium) qualis communium locorum in probandis conclufionibus ex antiquis monimentis coaceruatio, tum candidus, & facilis ftylus, qui nullam nobis ad intelligendum moram faciat. Distinctiones quoq; locorum, & temporum tanta diligentia exquisitæ, & quid

quid quo tempore, ac loco gestum sit referentes, in rem præsentem legentium animos ducunt. Aptæ obiter in Iudeorum perfidiam exclamationes: magni & frequentes in Christi benignitatem excessus acriter mouent. Assurgis aliquando altius, & in sublimium rerum contemplatione versaris, legentisq; animum extra se positum ad ea, quæ supra se sunt, solerter inuitas. Ferreus ergo, immo alieno bono inuidens, & procul à charitate discedis, nisi hæc quæ scripsisti, edere festinas: erit enim tuus liber benè institutis sacrarum literarum amatoribus Enchiridion: legetur, circumferetur, celebrabitur, eritq; locupletissimus testis quam honesta sit, & quam bonarum artium studiosa Canonicorum Regularium solitudo. Felix esto, & me tuis precationibus Deo commenda. Alia quoq; adest eiusdem Auctoris insignis epistola ad eundem, cuius lectio, quia iudicium fert Commentariorum in Ioannem, hisce nostris non modicè confert laboribus, est autem eiusmodi. Grande hoc opus, & erumnosæ lucubrationis, excellentis doctrinę sublimis eloquij, vegeti, atque acris ingenij, quod inchoasti, & consumasti Reuerende Pater Caliste, verba Euangelij quod reliquit dilectus Christi Discipulus Ioannes, quę latina sunt in maternam linguam transferre, & copiosa commentatione plana facere, & successiuè adiectis magnorum virorum Augustini, Cirilli, Ioannis Chrisostomi, atq; aliorum, qui in ea verba scripserunt, sententijs, lucidiorem reddere, vt diuina mysteria, quę à paucis, illisq; liberaliter institutis intelligi poterant, nunc sint omnibus tam maribus, quam fœminis (dummodò infantiam excesserint) & etiam sellularias artes exercentibus communia. Quod licet ante Christi aduentum reprehensibile crederent; ideoq; Plato responsurus de prima natura Dyonisio per enigmata est locutus, cum diuina arcana apud doctissimos preciosa habebantur, apud ignorantes ridicula, hodie tamen non sic, ex quo Dominus noster Iesus Christus gratias egit Patri, quod hęc abscondisset à prudentibus, & sapientibus, reuelasset autem paruulis. Opere pretium igitur fecisti, & felix tu, qui septem, & quadraginta annis omnes Italiæ Ecclesias, quæ Gallorum montes, & Siculum mare interiacent, concionando docuisti. Nunc in bona senectute constitutus, hanc omni laude dignam expeditionem sumpsisti, vt posteros quoq; exanthlatis multis laboribus erudias. Felix etiam qui post Regularis obseruantiæ munia, vigilias, ieiunia, supplicationes, adorationes hæc adortus es scribere, quæ in commune vtilia sint ad æternæ vitæ beatitudinem, & omnium tibi sæculorum beneuolentiam concilient. Quis est enim qui Christianum tuum, Soliloquia, Conciones, hoc ipsum opus, de quo loquor, & alia tua magni momenti opuscula, legat, & non tibi etiam defuncto ardentissimo amore afficiatur? Facit enim virtus (quod ait Cicero) vt quos nunquam vidimus, eos mirificè diligamus. Erit etiam, vt cum ex humanis excesseris, summa

cum

cum voluptate inter eos verferis, qui parem erudiendis mortalibus curam habuerunt, confeſſuſq; cum illis, quæ tu in hac vita geſſiſti. Quid quod tradita tibi à Romanis Pontificibus poteſtate pullulantes adhuc impiarum hæreſum vanitates Orthodoxus pietatis aſſertor rigore diſciplinæ,& ſapientiæ ſublimitate validiſſimè compeſcis: & cum apud ipſos Pontifices fuerit tibi multa gratia auctoritatis, & magnitudine ſubnixa, nunquam tamen animum induxiſti, vt illarum, quæ ab alijs ingenti affectu expetuntur, dignitatum apices vel impetrares, vel oblatos acciperes; ſed in eos tantum illorum beneuolentia vtebaris, quæ poſſent ad ſalutem animarum in commune proficere: vt cum impetraſti viſitantibus dicata per te ſub nomine Sacroſanctæ Trinitatis altaria, Plenarias Indulgentias perpetuis futuris temporibus, quod tibi omnes ęternæ ſalutis cupidos, & tam pręſentes, quam in poſterum venturos obnoxios facit. Cęterum quod me dignum putaſti, cui conſumatum opus in primis communicares, ſicut & alia, quæ hactenus edidiſti gratias habeo & ego infinitas. Refert autem ſummus & exuperantiſſimus Deus, apud quem nihil propenſa erga ipſum, & proximum dilectione gratius prædicatur. Felix eſto, & me commendatum habe. In hunc modum præclarus Ruuinagia de Calixto ſententiam dixit, ſcripſitue, eo veriorem, quo abſq; aſſentatione prodijt ad illum ipſum, qui humilitatis magiſterio munitus ſub candore habitus nil ſupra morum candorem, ac puritatem profiteretur magis. Ijs autem ſi adiungamus Cornelij Muſſi Bituntini Antiſtitis de hoc eodem Encomium, totum illud omninò ob oculos ponemus, quod de illo excellentius tranſmitti poſſit. Ennarrationes, inquit, tuas, quas ad me miſiſti breues quidem, ſed lucidas, vidi, legi, examinaui Reuerende Pater, & verè Καλῶς. Et ſi verò laudatione mea non eges, ſatis enim es vbiq; terrarum tua virtute clarus, quem omnis Auſonia quadraginta ferè annos verbum Dei doctiſsimè ſimul, & eloquentiſsimè prædicantem audiuit, & mirata eſt. Illud tamen præterire non poſsum, nec debeo, quin te vehementer extimulem, vt perficias quod cæpiſti, & quod diù parturis, tandem aliquando parias: & poſtquam in præclara Apoſtolici muneris functione laſsus, ſenioq; confectus ceſsare cogeris, quod Vrbs dolet, & Orbis, ne patere vt intereant multi illi, magniq; labores, quos in aureolo hoc opere (egregium certè, & te optimo viro dignum) inſumpſiſti. Ita enim & accepti talenti rationem magno illi fæneratori Deo, ſecurus reddere poterit, dum venerit: & Placentia noſtra habebit vnde placeat, & ſeri nepotes leuius ferent, quod te vocaliſſimum pręconem è ſuggeſtis declamātem cum Auis,& Attauis audire non potuerint. Scio quidem mihi dari vitio, quod qui me amant ex omni occaſione vltra modum maximis laudibus efferre ſoleam. Quamquam autem nemo vnquam mihi perſuadere poterit, vt meos à me amari nimis exiſtimem; tamen qui nemi-

neminem non carpere iudicium, sinceritatemq; vocant, si ad complures tui animi dotes, & ad magnam illam, quam de tua doctrina, & pietate boni omnes opinionem habent, sinistram hanc diligentiam, ipsi tamen dextri conferre velint, videre poterunt, te talem esse, qualis à me prædicaris, me vero æquum, cui qualis es, talis videris. Vale, & me vt soles ama. Bononiæ pridie kal. martij MDXLVIII. Quis verò non magnifaciat tanti viri testimonium, qui Concionatorum Coriphęus summo iure dici potuit, quiuè per ea tempora cæpit elucere verbo, in quibus Calixtus à Pontifice Apostolicus Prædicator, generalisq; Inquisitor declaratus est? Elicuit vna veritas testes adductos exceptione omni maiores. Quippe non arida formula quæpiam conciones dabat, sed apostolico muneri executionem auctoritatis addens tunc cessabat cum feruentius declamans concitatum auditorem haberet siue ad pœnitentiæ lachrymas, siue ad vitiorũ demolitionẽ, siue ad virtutum sequellam, siue ad ęternitatis gaudiorum suspiria. Vim totam in suadendo constituendam sacro oratori volebat, idq; cũ expræssisset, tum sermoni finis. Primus omniũ, si res exigebat pauca, horæ quadrantẽ introduxit pulpito assueto iam super quolibet thematе in horæ spacium calcari. Bononiæ de Passione Domini concionaturus in Parasceue tantisper expectata studiosè solis exorientis suggestumq; percutientis hora, cum primos radios illum vidit attingentes, occasione capta, exordium ab inuectiua in lucem illam elicuit, quæ Domini morientis memoriæ non parentaret, adeoque vrsit, & flexit propositum in homines, vt dissoluta in eiulatus compunctiuos, & in compassiuas lachrymas corona concionem ex semihora dimiserit fructu mirifico cumulatam. Inter hæc opera, interq; acclamationes istas nullum vnquam finem concionandi fecit. Decrepitatem ipsam, languoresq; senij noluit ab officio eximere. Extremam quadragesimam longè ab fastu posuit hominibus Casæ Dei, quod Castrum iuris Abbatiæ Placentinæ est. Penè septuagenarius squalensuè de more arctiora ieiunia nec remisit, nec quidpiam sibi de seueriore indulsit conuictu. Ea propter mirus effulgebat, exemplar intaminatum numerosæ Canoniæ, in illumq; totius Placentinę Ciuitatis oculi erant, & ora. Sub extremis illis diebus Petrus Aloysius Dux misso nobili Aulico cum digno comitatu Canonicos capitulariter congregari iubet, quibus promit, Principis esse decretum eos loco cedere: super area enim illa, de qua Monasterium assurgebat, & ex fabricis illis excitandam arcem esse in Ciuitatis eius, inq; Principatus munimentum futuram. Perculit repentinus nuncius Abbatis, Canonicorumq; animos, dumq; omnes ingemiscunt intimè, & taciti rem pensant, nec est qui nuncio verbum respondeat, Calixtus vnus versa facie, orationeq; ad Christi Domini de cruce pendentis effigiem loco prominentem in hęc verba iuit: Tua, Domine, causa hęc est, illam suscipe tu, & ad votum tuum

tuere, nec alio responso dato quiq; dilabuntur. Rem parum faustè peractam comprobauit exitus paulo post, Duce manibus, ferroq; coniuratorum infeliciter decedente. Certè Imperiales potiti Ciuitate triginta millia aureorum Ordini adiudicarunt, quorum pars Octauio Principe persoluta est, & Ordo ipse coemptis alijs situ, & finibus excitauit templum, Canoniamq; in longe augustiores formas à pristinis, quæ fuit moderatorum magnificentia sub Magni Patris Augustini tutela, & inuocatione. Calixtus autem senio confectus annum agens ætatis sexagesimum nonum die trigesima decembris sole occumbente sanctè diem clausit extremum. Quæ viri pijssimam eruditionem repręsentant exactè commendatissima monumenta sunt.

Commentaria in Aggæum Prophetam à se pro concione explicatum Mantuæ in maiori templo Italicè anno Domini 1537. *Papiæ per Ioannem Mariam Simonetum Cremonensem Anno* 1541. *Lib.* 1.

Commentaria mirabilia in Euangelium Sancti Ioannis Italicè scripta. Ad Stephanum Grimaldum Patritium Genuensem Placentiæ apud Ioannem Mutium Cremonensem, & Bernardinum Lochetam Anno 1553. *Lib.* 1.

Ennarrationes in Euangelia à septuagesima vsq; ad octauam Paschæ. Ad Patres Capituli Generalis Definitores Canonicorum Regularium. Venetijs apud Gabrielem Iolitum Anno 1574. *Lib.* 1.

De locis Palestinæ quos diuinæ literæ continent addita geografica tabella, quæ totius operis à se descripti picturam oculis representat. Ad eosdem Patres. Ibidem. Lib. 1.

Opus chronicon adinstar Ephemeridis, in quo diligentem supputationem temporum, ac dierum collegit, quibus Dominus Iesus peregrinatus est in mundo, annotans annos, ac dies in quibus acta sunt singula quæ gessit, & locutus est Christus, & potissimum à baptismate vsq; ad ascensionem. Ad eosdem Patres. Ibidem. Lib. 1.

Centum soliloquia de verbo Dei Increato, & Incarnato sanctissimum martyrem Areopagitam Dionysium maximè redolentia, Italicè. Florentiæ apud Laurentium Torrentinum Anno 1550. *Lib.* 1.

Tractatum de Vero Christiano Italicè. Ad Pacificum Damicellum Portuensis Canoniæ Priorem. Florentiæ apud eundem eodem Anno Lib. 1.

De Libero arbitrio, atq; necessitate bonorum operum aduersus Lutherum Italicè, quod notat eruditiss. Posseuinus in Appar. Sacro.

Bar-

Bartholomæi Fumi Vilaurenſis.

ORphea miramur ſyluas, et ſaxa mouere
Dum canit, & plectro fila canora ferit;
Haud minus eſt quod corda trahis Caliſte virorum
Dulcia dum diui Scripta Ioannis aras.
Saxa moues equidem, dum pectora dura reſoluis
Ditis ab imperio, ducis & ad ſuperos.
Vox tua miti hominum replet ſic intima cantu
Protinus vt nequeant non tua verba ſequi.

Ioannis Calui Placentini.

EXponens Aquilam clarum tibi lumen, & alas
Alitis egregiæ magne Caliſte rapis.

Aliud eiuſdem

SVſtulit ad ſuperos volucrum regina Ioannem
Dum caneret magni grandia geſta Dei.
Caliſtum hæc eadem dum exponeret alta Ioannis
Verba ſuper nubes, & ſuper aſtra tulit.

Federici Scotti Comitis.

FAbula viſa diù fuerat, quæ cernere tandem eſt
Hiſtoriam, ò ſummi tempora plena boni.
Caliſtum ſi quidem pedibus Iouis armiger vncis
Hac ætate poli ſumma per aſtra tulit.
Conſilium cui, menſq; Dei dant gaudia verè
Is regi ſummo raptus adeſt ſuperum.

Santini Corſini

CElſo lapſe polo, poliq; præco
Celſi, celſe Decus poli Caliſte,
Celſa poſt cineres iture ad aſtra,
Ad Celſum reuocans polum vocatos

Omnes hinc homines, iubente Christo,
Vitis optime sanctioris altos,
Qui arcanos penetras poli recessus
Thesauros, & opes Dei superbas,
Et mysteria, quæ antea latebant
Promis, quæ docuit bonus magister
Olim discipulum suum cubantem
Eius Ambrosio sinu, daturus
In vitam pretium redemptionis
Humani generis, sacros recludis
Fontes qui latuere multos
Doctos Hebraicè, Atticè, Latinè
Salue qui segetes feris feraces
Qui spargis genitale vbiq; semen
Christi, & frugiferos aras agellos
Nec torpere graui sinis veterno
Terras, assidue, solumq; versatis
Sentes eruis, & rubos, vepresq;
Lappas, & tribulos, leues auenas,
Duros & lapides, terisq; glebas,
Facundas steriles agros, simoq;
Eius quiq; gregis studes saluti
Qui pascis placidas oues salubri
Esca, arcesq; lupos procul voraces
Ad vitæ nitidas aquas reducis,
Conditosq; sale his cibos reponis,
Ne lactis referant parum ad penates,
Molli stramine sternis, atq; caulam
Nocte vt corpora mollius reponant
Ne infectum inficiat caues modestè,
Quod sanum pecus est, secasq; vulnus,
Cui nullus medicus valet mederi.
Arcana his referas Dei potentis,
Et monstras iter ad Choros Deorum.
Viuas nestoreos dies rogamus.
Cumeæ, & superes dies Sybillæ
Fælix, Christicolam vt gregem reducas
Tecum, demq; pascuos ad agros,
Ora grate Deo, precesq; gratas
Offer, pro puero tuo canenti

Hos

Hos tibi numeros, minus decoros
AEquo, & quam tibi conuenit decoro
Virtutum numeris, quibus refulges,
Inter nunc alios viros, vt inter
Phœbus flammigeros nitet minores,
Ignes, atq; Venus, sororq; Phebi.
Hipponensis honos patris, iubarq;
Cum sis Religionis, atq; clauus,
Puppis, prora simul, trahensq; magnes:
Verbo nanq; trahis venustiori
Duro dura magis, grauiq; ferro,
Quouis corda hominum, moues, ferasq;.

Alexandri Ruuinagiæ.

F*Rangere diuini si te venerabilis horror,*
Arcaniq; fauos non sinit eloquij
Et tamen exoptas ænigma soluere dictis,
Quæ Deus inseruit Christus Euangelicis;
Accipe Calixti solertia, quos tibi sensus
Cælesti tractos è regione tulit.
Hic sermo decet, oblectat, mouet, acriter vrit,
Et tactos dulci mollit amore animos.
Hinc geminæ in nobis crescunt quibus ocius alæ
Expressis vitæ penna rigatur aquis.
Has nutrire opus est alas, vt te quoq; possis
Aurea de terræ tollere in astra sinu.
Hoc vno Christi verborum interprete, lucem
Accipiunt multos, quæ latuere dies
Hos vario sensu maiorum sparsa libellis
Fecere ambiguos quod sequeremur iter.
Hic veteres tollit nodos, nebulaq; remota
Exoritur lætis mentibus alma quies,
Scilicet hic sacro spumantia nectare mentis
Vnde sitim pellas, pocula lector habes.

CAM-

CAMBIVS BOSSVS MEDIOLANENSIS.





EREGRINANTE Cambio Bosso Generali ad Christi Domini Sepulchralia, & incunabula indecorum videtur, atq; inurbanum quiescere nos tanti viri posteritas, & abnepotes. Quoniam verò illum giganteo velut incessu exultantem ad longissimam tolerantiæ viam currendam, Amorisue, quo mens sęta erat alis properantem consequi corpore non possumus, volucri animæ obsequio comitemur. Vtiq; gratus, vt opinor, comitatus hic noster erit, si viatoris viam, vitamue breuiter referamus. Igitur Cæli apex Diuinitas liberali se se pondere ad terram abiecta, vt iter homini sterneret in Cælum, Cambij menti aliquando illapsa est vsq; adeo, vt ne morienti quidem postea incendium deficeret, sed in meliores auras abituro cumularetur ad summa. Magnalia in stadio virtutum patraturo sero, ac serio penetralia Constantiniana maiores nostri reserare. Serò, inquam, qui decursa longa die, abactisq; post sęculi titillamenta maioribus adolescentiæ annis trigenario maior Saluatori Domino nomen dedit. Serio verò, cum præ foribus virilescentem, & lautiore vsu coalitum ex nobilis fortunæ commodo, minus dolabilem ad nostras formas, non satisq; idoneum nouæ siue fœturæ, siue pressurę Censores arbitrarentur. Discussis maturè suffragijs mirè recepto maturitas suffragata est, quæ præmonitrix prima accesserit, vt annos steriles pessundatos celeritate frugifera compensaret. Lato fœnore in veræ sanctitatis schola desudator spolia retulit ex hoste triplici opima, inq; ipsa Aurelij Augustini arbore ad trophæi struem composuit. Ipso enim pugile Cleanthe robustior ab summa inopia rebus omnibus planè spoliatus, ac nudus, vt pugilem decet, erudito in puluere cum sex centis difficultatibus tandiù depugnauit, donec melioris eruditionis lauream retulerit: atq; ex altissimo virtutis puteo plus veræ, sinceræq; sapientiæ hausit ad animos beandos, quam mercenarius idem Cleanthes lutulentæ aquæ extraxerit ad hortos irrigandos. Iam verò toti par Orbi terrarum iuuando imperatoria eius virtus non capitur angusto pectoris vnius imperio. Iam militibus gubernandis, hoc est cõmilitonibus, parilibusq; agminum Lateranensium ductoribus, veteranisue athletis summó loco præficitur, vt leges illo ex fonte manarent, vnde vitales inhabitare

conspi-

conſpiciebantur. Habitu euectus eſt animi repugnante, atq; triumphale gaudium cæterorum vnius dolor nimium (ſi licet) religioſus infuſcauit, quod talis exercitus imperio digniſſimum eum ſibi præficeret imperatorem, omnium quem ipſe reebatur incapacisſimum. At illa ſemper victrix pręſtantisſima virtus in eo vinci meruit, vt iuberetur imperare. Falangas direxit anno ſeptuageſimo tertio ab reformato Ordine, in quo multi, etiam inſigneſq; viri diuinæ Saluatoris militiæ meruerunt, quod ad animorum fælicia incendia ardentisſimus facem præferret Cambius. Atq; in gentis multiplicatione, multiplicata quoq; lętitia eſt, cum ſtatiuis plurimis bellicoſę in Satanam Congregationis acceſſio facta eſt tabernaculi Caſtellani Alexandrini ſub vexillis, & inuocatione Theotocos Marię. At qui minora iſthęc extitere quam quæ virum intra manicas, & compedes actuoſæ vitæ continere poſſent, cum anhelus contemplatiuæ dulcedinis nil præterea quam ſpecus ſuſpiraret. Hinc abdicato ex ordine annuo magiſtratu, intra ſolitudinem Victorinam ad tertium lapidem à Bononia ſe tumulauit magè quam abſcondit, illud ſecutus vitæ genus, per quod antiquiores Anachoretæ deſerta Scithimea, Memphea, Thebeaq; contermina Cælo reddidere. Non abſq; Olympiadis ſpacio abſumpto extrahi ſe paſſus eſt villoſus, pannoſus, ſed alacer, ſed angelico vultu teterrimorum trium hoſtium, quaſi triumuiralem in homines tyrannidem exercentium, per ſui corporis excruciationem Bruto ſeuerior in ſe ipſo iugulatione confecta. Qui tamen ſalutaribus pœnis proſtrata, ac ſemiuiua carne ad Cælum vſq; ſiue ad virtutis Capitolium victore animo ſpiritum eueheret. Neque tum demum proſiliſſet ad contubernia, ni compaſſiua virtus ſupremę Domini ſaluatoris paſſioni pietatem illius excitaſſet ad ſacroſancta Paleſtinę loca luſtranda. Et ſanè quonam vel infirmum corpus properaret, niſi vbi animus habitabat? Ibi ſui victor, ideoq; fortiſſimus, diuini liberatoris pęnis altius, quam pedibus impreſſa Salutaris victoriæ cruenta veſtigia, vt ſemper in oculis ferret ad imitationem, pias in lachrymas ſolutos oculos cum ijſdem comiſcuit. O lachrymæ ſalutarium dolorum gemmea tyrocinia. Hyems nulla fæcundiori irrigua imbre permaduit: nulla nox puriori baccata rore gemmauit. Quandoquidem regiam ad cęlites viam diuini ſanguinis ſtillicidio, an cathacliſmo? ſtellatam atq; illuſtrem auidiſſimè, iucundiſſimèq; contemplantes luces, quorſum ordine impluuiæ, ſterileſſue reddi poterant, ac contumaces ſuper eo pręſertim pectoris fornice, quem diuini amoris fax, incendiumq; excoqueret, atq; exeſtuans ardor inflammaret? Longum ærumnorumq; iter peregit Adeodato Vincentino ſocio eiuſdem ſpiritus, eiuſdemq; vitæ ſocio Concanonico, atq; declamatore cumprimis illuſtri. Ab tanta reuertentem ſacrorum locorum peregrinatione excepere Patres in triumphantis modum vſq; ad aram, quoad Religioni licuit, renouaturi in eius manibus

nibus Ordinis habenas, iterumq; supremo clauo præfecturi. At vnus ille nusquam extinctus solitudinis amor, vna illa sui despicientia infrangibiles obiecit metas, secundum quas sibi permitteretur viuere Cęlo intentus, carceri corporeo mancipatus. Ita ex Taruisino secessu Sanctorum Quadraginta martyrum, vbi triennio latuit, Diomedeam Insulam meditari totis viribus cępit; vt medias in vndas posita arce, abigenteq; propterea omniū omninò consortium, inibi soli Deo, Virginiq; Matri loci, & Ordinis Tutellari notus viueret, ac demum (si fata darent) tumularetur. Quòd verò cognouisset Proceres desiderio huiusmodi auersos, qui gubernio virum repetito adijcere molirentur; causam petitæ eius remotę, maritimæq; stationis prætexuit, vtiq; illam veram, non tamen solam. Pellici se medicorum sapientum authoritate, atq; suasu, qui oua ei & caseum propter crebras suas annorum multorum vertigines, & dolores capitis intestinos vetarent in cibum; & pisciculorum leuium ęsum, & vini clari coloris, & facilis potum pręstare ei assererent; rati multo sanguine efferuescente ex cibis, ac potationibus melioribus tales excitari molestias, quę leuissimo cibo pauci sanguinis genitore sisterentur, ac euanescerent. Obsurdescebant aures petitis, quę prudentissimæ, pijssimæq; illius vocis cibo egere dignoscerentur, tum ex anteactis sub eius pręfectura rebus, tum ex emergentibus ad illos dies difficultatibus, quarum dirimendarum altera conditio esset, vt Cambius Definitorio, hoc est supremo Senatui, suffragator assideret. Eò præsertim quod remedia, quæ inter scopulos Adriacos, interq; conterminas nubibus marmoreas moles, vixdum auibus peruias querebantur in exilio Trenxitano; media ipsa in Italia pręsto erant ex Pado, Ticino, Abdua, Lolio, Athesi, Mincio, Benaco. Ea propter passus est alienus fieri, qui suus esse iam ab induto Colobio desierat; vt solatium spiritus in societate expiscaretur, quod pręhensum in solitudine tānti faceret, quanti sibi alijsq; frugi esse posset. Visitatoreo lustrandæ Congregationis muneri datus, quę est censorea morum potestas quadrumuiralis quidem, sed magna, Rempublicam iuuit qua exemplo, qua voce nunc pręceptiua, nunc consultiua, nunc monitiua & exhortatrice semper tamen miti, semper supra quam dici possit frugifera. In studiorum vniuersitatibus hinc collabentibus, hinc antiquatis, inq; gymnasijs instaurandis, reformandis, ac promouendis efficacia ea aperuit media, remediaue, quæ salutem irreparabili, ac sensim irrepenti morbo præsentissimam repromitterent, quorumq; vsus, atq; applicatio his ignota, illis desperata esset. Neq; mirum ex promptuario capitis illius elicita esse pharmaca hęc, & præseruantia antidota, in quo Pallade ipsa superstitiosi sæculi fictione securior, & inconcussa Dei sapientia resideret eruditione pariter, casſideq; armata; ne fortitudo executiua sanctè institutis deficeret. Per omnes ipse doctrinarum campos nunc viator, nunc

hospes

hoſpes, & colonus ſe exercuerat ab ipſa laicali pubertate, & adoleſcentia, vt neutiquam nouus accederet muſis ſeuerioribus ſalutator, licet calamum abſtinuiſset ab operoſiore compoſitione. Mitioribus aliquando ſcripturis admouit extemporariam manum amicis magè, occaſioniq; indulgens, quam poſteritati conſulens. Ex quo factum eſt, vt pauculi nobis ſuperſint mentis fœtus, qui virum collineent, ijq; ab vlnis amicæ nutricis diuturniori vitæ præſeruati, qui à materna ipſa charitate proiecti fuerint, & ablegati, in alienam etiam recepti domum, atq; adoptati conſortium. Tales ſunt Epigrammata quædam apud Auctorem Dialogorum De ueris, ac ſalutaribus animi gaudijs, quibus tamen fide legitima Patris Cambij nomen prænotatur. Fortè ſi matura ſenectus diuturnior illi obtigiſset, maiora nobis talium rerum hæreditate obueniſsent; quando tempora ætatis vltima calamum recipiebant ſuper Dionyſij Areopagitæ magnis illis uoluminibus, quem priora reſpuiſsent. Verum longa urinæ difficultate, grauiq; laterum dolore diù tentatus ſpiritum Deo reddidit apud Sanctum Petrum de Pado Cremonæ die uigeſima ſeptima ſeptembris. Quis mæror Patrum, quiue communis ſenſus in eius obitu extiterit, excipiatur ab ſyncrono Mattheo Boſſo, cuius lubet ad verbum hic attexere Panegyrim, quamuis extra ritum noſtrum, vt ab dulciſſima aliena vbertate ſterilitas noſtra compenſari, ſucceſſoreſq; demum ad piè; ſanctèq; viuendum fortius excitari, prouocariue poſſint. Eſt igitur eius ad Seuerinum Calchum huiuſmodi Epiſtola ſeptuageſima prima.

Poſſumne apud te vel acerbius aliquid, vel lachrymabilius deplorare Seuerine optime, ac venerabilis, quam Cambij Patris obitum, qui graui laterum dolore, & longa vrinæ difficultate ſuum ad tertio kal. Octob. Cremonæ diem, non ſibi quidem, ſed nobis dolentiſſimè obijt? In quo non qualis eſſe ſolet vnius hominis probitas; ſed omnes ſimul ingenui mores, omnes virtutes, omnis ſanctimonia, omne fulgoris Eccleſiaſtici ſpecimen concidere; vt tantam exiſtimem in eo factam eſſe iacturam, quantus ex noſtro hoc ordine, & candida Ieſu Chriſti familia eorum eſt numerus, qui eo optimo, & ſanctiſſimo patre fruebantur, trahebantq; exempla viuendi. Cuius ſi conſcientiam, & pectus conſpicimus, leue nihil ducere ſolebat, non quod Deum dixerim, ſed hominum quempiam læderet; adeo ut vno, trigintaq; annis, quos vixit religioſè nobiſcum, nullus ſe laceſſitum, aut affectum ab eo re, vel lingua meminerit, ſi non res communis, aut cauſa Ieſu Chriſti etiam permouiſſet, in quibus cuiq; tueri licet quod ſentit, atq; etiam nonnunquam efferueſcere, aliter omnia ferre, omnia pati, omnia diſſimulare, eodem ſcilicet nouerat vultu. Si prudentiam, ingeniumq; mente repetimus, quæ res ſanè tam ardua, quod negotium tam inextricabile, quis euentus tam repentinus, & ſubitus, quem ſuo callenti conſilio prouidentia, dexteritateq; mirabili celeriter, ac rite non explicaret, & vbi non po-

tiora deligeret, percaueretq; deteriora? Quanta præterea eius eruditio, qui saperet solus quicquid fermè reliqui sapiunt. Nec vna tantum vel altera, sed omnibus æquè liberalibus disciplinis, vel excellenter, vel mediocriter videretur excultus. Mirabilis Deus. Si turbata manu, atq; ex tempore scripsisset, Plinij dignitatem, & pondus Senecæ effingebat. Si versu caneret, quod fecit rarò, suo nihil altius, aut plenius carmine. Quæ alij non legunt, hic domestica habuit Dionysij, Hilarij, Anselmi, Vgonis, & reliquorum priscorum Sanctissimorum hominum opera. Lingua promptissimus, & ea vbertate memoriæ præditus, qua obliuisci nihil posse videretur, satisq; esset legisse semel, vel audisse. Sed ingenium ita aptum, atq; versatile, vt ad omnium mores, tempusq; omne videretur eum effinxisse natura, impulisse voluntas, vsus, & consuetudo firmasse: Cum grauitate comis, & cum comitate grauis. Appetibilis cunctis, amabilis, atq; dulcissimus. De humilitate, & contemptu sui taceo, quandoquidem humiliorem apud semetipsum eo nosse queam neminem, qui maioribus semper se se non modo substrauit, sed parem infimis fecit, qui & latere magis, quam agnosci semper vtiq; studuit. At si deuotio queritur, sensusq; diuinorum, & gustus: quomodo quis eum non deuotissimum, ac feruentissimum dixerit. Qui ex quo Deo seruire cœpit, nunquam destitit perquirere, ac indagari, quicquid vel optimum potuit, vel diuinum studere, orare, meditari? Cui solitudo, silentium, lachrymæ, gemitus in delitijs extitere? Qui quanto mentis æstu, & deuotionis amore sancta Saluatoris monumenta Hierosolymis visitauit? Cuius sermo melle, fauoq: suauior semper de laudibus Dei, de Charitate, de Tolerantia, de Pace, deq: reliqua omni caterua virtutum modo alliciens, modo excitans, modo fouens, modo edocens, vt nemo esset qui eum non sentiret, uel ad profectum, uel ad spirituale solatium. Si pudicitiam laudare, & sensuum continentiam libet, quem unquã, Seuerine uidisti minus, quam illum ullis uoluptatibus deditum, otio minus deseruisse? quem castigatiore oculo, & puriore sermone uersantem, ne quidem corpore, quo illibato tanquam Angelus utebatur? Quem leuiore cibo, aut agrestiore contentum? Qui in Victoriano integros annos nuce, carica, crudoq: olere maiore se se sustentauit ex parte? Quem deniq; cultu deformiore, stratisq; & operimentis abiectioribus usum? Qui neque tunicam nouam ullam, neq: pallium, neq; calciamenta unquam passus est ferre integra. Qui barba, & capillo magis quam nouacula: antro, & specu, quam disposita cellula, molliue cubiculo delectaretur? Heu quanta in solo homine est amissio facta, eo præsertim tempore, quo totum se uerterat ad publica matris Religionis, & altricis commoda. Quam ò fortunatam, si mors illum ocijus non rapuisset. Tibi, Seuerine, non mentior, superiore isto anno cum nostro in Capitulo Generali Definitoratum pariter

gere-

gereremus, nihil est mihi uisum illius ingenio acutius, iudicio certius, sententia grauius, bonitate melius, uirtute diuinius, qui quoties loqueretur, tanquam oraculum sic me tenebat. Heu quam prodiga prẹsentium bonorum, & absentium auara imprudens mens hominum est. Ego nunquam quidem illum tantum concupiui præsentem, quantum modo queror absentem, & mente ac recordatione suspiro. Pruriunt rursus mihi aures ijs rebus, quas cum ab Hierosolymis redijsset mihi narrabat. Video illum perlustrantem ruinas, & beatissima saxa lambentem, Oliuetum, Caluarium, Sion, & Tabor, Bethaniamq; peragrantem, & cætera diuinæ pietatis monumenta exquirentem. Et sic etiam te amplector mi Cambi, & purificatas super Christi Sepulchro tuas speciosissimas manus exosculor, cuius beatam memoriam nulla mihi arripient tempora, nulla offuscabit, aut delebit obliuio, vt non tuo in Matthæo Cambius sanctissimus viuat. Hinc dum funus, mi Seuerine, ad aram Domini solemniter obeo, dum ipsis cum fratribus *dulcissimis nostris* de eo verba facio, dumq; ad te scribo, Pater, hinc; hinc inquam mihi lachrymæ profluunt, singultus erumpunt, caligat sensus. Sed dum exurgo, & parumper animum tollo; subit mira nescio quæ, & ineffabilis magnitudo dulcedinis, vt quid vellim equidem nesciam. Optem ne illum esse nobiscum adhuc, an Cælo potiri? Meq; ipsum sic alloquor. Est vtiq; prẹtiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Nasciturі sunt pro patribus filij ex ea, quam Dominus habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem. Successura nepotum beata posteritas. Manus Domini, quæ fecit illum, abbreuiata non est. Filios Abrahæ suscitare potest de *lapidibus istis*. Sparge flores tumulo, & extinctum caput sertis, coronaq: deuinci. Gaudio mærorem confunde. Fas non est palmam detrectare victori, & Athletam Christi triumphantem lachrymis prosequi. Regnat in Cælo, quem luges in terris, & Deo viuens omnibus viuit, qui alioquin vlli non viueret, nisi viueret Deo. Hæc sunt, venerabilis mi Seuerine, atq; *charissime*, quæ ex desiderio integerrimi, atq: sanctissimi, & patris, & amic*issimi nostri* Cambij mente versaui, quæ tibi illius obseruantissimo, dum viueret, meiq; amantissimo, quasi in epitaphium succinctè perstringens volui esse communia. In quibus nollim diuersos affectus mirere. Vnde enim humanitas ipsa innata naturæ, visq; debitæ pietatis in matrem excussit lachrymas mihi: inde gaudium procreauit fidei magnitudo, & militis *Christi* parta felicitas. Neq: puto tibi aliter euenisse, quin & vices Religionis, cui sanguinem, animamq: sacrasti pro ingenti pietate, & solito tibi amore *suspires*; & contra, Cambio nostro consecuto Paradisi tutissima, Deoq; fruenti non vehementer arrideas. Planxit & Lazarum Dominus, is, qui etiam discipulis intulit, Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis. Et de Martino Beatorum gemma Pontificum, in Ecclesia Catholica

sancta concinitur. Pium est flere Martinum,& pium congaudere Martino. Ad vtramq; itaq; partem fecimus satis Cambio dignissimo nostro. Abijt ille ad Cæli fulgorem, vitæ huius superato naufragio, tenetq; municipatum cum Angelis eius,quæ sursum est,matris nostræ Hierusalem. Nos deorsum iactamur fluctibus, & incertam ludimus aleam. Ora, mi Seuerine, vt possimus & ipsi victores euadere, portumq; tenere. Arbitror Ioannem Ludouicum Bossum insignem Equitem, & consultissimum virum, clarumq; nostræ familiæ decus non minus, quam ipsos germanos mortem viri huius ægrè laturum, qui vt nobis vsui, sic & laudi erat Bosso generi. Hortor humanitatem in Domino tuam,illum meo visites nomine, & quantum potes hortere. Vale, & mutuum ora.

Auctor idem sub initio Quartæ Disputationis De Instituendo Sapientia animo natiuum Cambij genium sic nobis ob oculos ponit. Sic enim iocari quandoq; festis, lætisq; diebus paulo liberius apud Maiores sanctissimos nostros, & licuit semper, & virtutis fuit. Nam longa per silentia, vigilias, studia, sacra officia, continentiam oculorum, grauitatem incessu, status, habitus, motus, per horam à cibo licentior fatigatis sermo, deambulatioq; conceditur, quo animus parumper laxatus, rursus assurgat alacrior, seq; ad res serias, altasq; reponat firmior, atq; neruosior. Qua in re nostris ex hominibus mihi meus Cambius Bossus visus est præstans, quippè qui opportunè, & cum ratione sic suauis, facetusq; extitit, vt non minus lepiditate, sermonisq; lætitia omnes excitaret ad profectum, quam exemplo vitæ, sanctitudineq; mirabili. Videbamus interdum illum castissimis sermonibus scommata comicorum, & argutias studio ab alijs comparatas nullo conatu superare, cuius neq; legebatur aliquid familiariter scriptum, à quo abesset venustas, cauillationisq; festiuitas, quæ vbiq: oblectaret, nusquam offenderet, Sic enim illum blandissima aptauerat, solerti nullo adhibito ab eo studio,natura. Quod parentes, & fratres facilè, atq: vrbane etiam præstitere, ornantes cætus, quibus interfuissent gratissimis salibus.

Habemus ex eo

Epgirammatum diuersorum sparsim fusorum, atq; collectorum in Dial. De veris, ac salutaribus animi gaudijs aditis Bononiæ apud Victorium Benatium 1627. Lib. 1.

C A-

CAMILLVS BECCIVS CASALENSIS.





OST duodecim illos Sanctæ, interminabilisq; memoriæ primos Apostolicos Reformatores, postue alios paucos nonnullos proximè sequentes disciplinæ, ac spiritus imitatores, & hæredes nulli secundus illuxit inter phalangas Canonicas Camillus de Beccijs doctus Magister, eloquens Concionator, solertissimus Prælatus, prudentissimus Antistes, & quod omnium caput est, in quocunq; vitæ statu, graduq; *Dei zelo plenus*, & is secundum scientiam exercitus. Vtiq; perseuerant adhuc in alumnis eius maioris prefecture bona plurima per illum restituta, perseuerabuntq; (quod futurum Deo cordi speramus) in non absimili nepotum, abnepotumue futura serie: Vocatio eius circa annum decursi proximè centenarij sexagesimum accidit non obscura, ita vt quę in vnum sese compegere conditiones, tanquam futurorum euentuum prognostica quędam non perperam immissa, excipi potuissent, vt aliquando nobis Venetijs narrabat *senex pijssimus*, penèq; martir Bartholomęus de murano Canapicius. Idē vero Dominus, qui illum sibi segregauerat in seruum, direxit ita seriem actorum eius studiorum, morum, ex disciplinę, vt post annos octo Sacerdotio pariter, & pędicatorea rude exaltari meruerit primus inter alios viginti, inter quos & Seraphinus Merlinus Rauennas, & Seraphinus Zuccarinus Veronensis postmodum valdè clari. Per minores omnes gra*dus ad maiora* perexit quatuordecim annorum spacio, in quibus licet totam suam *industriam* addixerit diuinę legi disseminandę, id tamen non ideo facere voluit cum alienum à ferendis oneribus Reipublicę ętati respondentibus. Aristotelem è Cathedra exposuit, claustri vicariam potestatem (quam Prioratum dicunt) exercuit, nouitios ad legum pręscriptum formauit, computa ęconomorum censura notauit; monialibus aurem Sacri tribunalis accomodauit. Vnus potuit plurima non solum ex naturæ viuidę, *impigriq; genij* dono; sed etiam ex desuper impertitis muneribus, quæ tenax *propositi* deuotio iugi àbstinentia deprecaretur. In camino huiusmodi *depuratum* aurum eius in pretiosiora vasa funditur, & cum iam annos *duos supra* viginti maleo obedisset, Abbas Astensis, ac Visitator instituitur Bononiæ Theodosio Burla Generali, Archangelo Rossio, & Calixto Maz-

zola

zola Cenſoribus, electoribus ſuffectus in vtroque munere Valerio Badino. Gattinariẽſi Mediolani vita fũcto. Circa nonas Martias renũciatur per Ambroſiũ Pordanũ à ſecretis corã Abbate Portuẽſi,& Pręposito Imolẽſi Vbaldo Heredio,& Antonio Miserochæ Rauennatibus teſtibus ad id inductis,& vocatis. Lubuit autem minutatim rem adnotaſſe præter inſtitutum noſtrũ, quoniam hinc tandem ſumpſit exordium eius maior claritas. Licet enim floruerit vſque tum inſignis pluſquam vno talento, & nomine; tamen maiora illius munera deſuper plenè largita, perfectiſſimum Gubernationis donum collineare. Per biennium Cenſuram, Aſtenſemq; Prælaturam exercuit, donec ſcilicet reſſignatus ad præclaram Sancti Andreæ Vercellarum Abbatiam gubernandam per quadriennium deportatur. Interea maturabant ei fata maiorem præfecturam inter Congregationis anguſtias. Quippe Sixtus Quintus Pontifex noſtras miſeratus vices, qui pondere ęris alieni importabili non præmebamur modo, ſed & præfocabamur penè, nonnullis maiorum in Comiſſarios declaratis, & eis ſuperaddito Bonauentura Bagnario Minorita viro claro, ſibi valdè noto, valdèq; probato, totam luſtrari de integro Religionem per eos iuſſit, & in commentarios exactiſſimos redigi ſynopſim bonorum ſtabilium omnium cuiuſcunq; Canoniæ, introitus, expenſas,numerum Clericorũ,Conuerſorũ,Canonicorũq; animi, corporiſue,ac fortunæ dotes,atq;munera,& quid de hinc ſperãdũ veniret.Quare dum longum opus,multæq; texturæ peragitur, Petro Franciſco Riuæ Veronenſi Supremus Magiſtratus prorogatur de Pontificis oraculo, vt nempe Commiſſarij rem ſibi impoſitam plenè perficerent. Expleta demum Pontificis mente, relatoq; per pijſſimum Bagnarium ad fauorem Congregationis, cogitur Generalis Synodus Rauennæ, & dum ſummis precibus apud Deum, ſummaq; pariter contentione humanitus, & induſtria pari agitur de illo eligendo tum, ſi vnquam maximè, qui optimus præeſſe, prodeſſeq; poſſet, & qui legibus poſt Commiſſariam emanatis ſpiritum punctualis executionis inducere ſciret, valeretue, Beccius tandem pleuis vrnis eligitur, illuſtratus adhuc Collegis claris Sigiſmundo Arcellio Placentino, Aurelio Turiano Veronenſi, Iacobo Ruelio Veneto, & Conſtantio de Villanijs Laudenſe. Excedunt breuis Elogij limites, quæ per três annos egit tanto magiſtratu munitus, quæue obſoleta iam pluribus, & antiquata ſtrictioris obſeruantiæ reſtituit, quotue abuſus tam à Prælatis, quam à ſubditis eliminarit. Summatim. Edito Libello formam publicorum voluminum adminiſtrationi temporalium bonorum deputandorum cuiuſuis Canoniæ perpetuis futuris temporibus obſeruandam tradidit. Publica Congregationis Gymnaſia reformauit ſeueritate neceſſaria, animaduerſioneq; tam in profitentes magiſtros, quam in ſcholares legibus non obtemperantes, aut frigidè curſum tranſigentes, & nouis limitibus vel aſſignatis, vel detectis nemi-

nem

nem passus est illos transilire. Probationis domos paucas quidem voluit, sed plenas subeuntium normam, & pleniores exercitatione perpete. Ipse quidem alumnus quodammodo dici potuit disciplinæ Caroli Borromæi Cardinalis, & Archiepiscopi Sanctissimi, cuius vti familiaritate, & contubernio inter præcipua Superum sibi concessa dona enumerauit. Hinc & facilè in alios transfundebat, quod in se castigatè receperat. Hoc pede commissam sibi Rempublicam emensurabat, & in pristinum splendorem sensim ducebat tantus Præses. Inter præcipua verò, quæ illo sic se gerente Congregationi fausta contigere, haud silentio nobis prætereundum, quod Sixtus Pontifex in mandatis dederit de illo Abbate Generali, aut Visitatoribus mittendis ad Canonicum ordinem apud exteras nationes visitandum. Pręstat rem præclaram ijsdem omninò reddere verbis, quibus illam prosequitur Basilius Serenius in sua Ciuili Replica ad Illicetanos Canonicos Quærimonia secunda, numero trigesimo secundo, quippe annexum habet eiusdem *Camilli breue, sed hoc* loco dignum Encomium. Cum quidam Episcopi, *inquit, in* regionibus aquilonaribus Canonicos Regulares visitare, & correctioni subdere cogitassent, illi è contra se communitos allegarent priuilegijs Lateranensis Congregationis, re ad Pontificem delata mandauit Generalem Romam quam ocijus adesse. Fungebatur eo munere per id tempus Don Camillus Beccius Casalensis, vir disciplina claustrali strenuus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, potens eloquio, sacrarum literarum vbertate fęcundus; proptereaq; apud Principes viros maxima pollens existimatione, pręcipuè verò pręsentis regni cælorum cardinibus per quam acceptus, Augustino Valerio, Cæsari Baronio, & viro illi *Europæo*, quem nunc ciuem suspicimus Sanctorum, & domesticum Dei (Diuum Carolum innuo, qui eò diù vsus fuerat summi templi lectore horis pomeridianis) nec minus carus eiusdem consobrino, ac succesori Federico Borromęo bonarum artium patrono, Literatorum Mœcenati; nempè *eximijs placuisse viris*, non vltima laus est. Is cum fortè Vercellis ægretudine detineretur, accepit epistolam Hieronymi Cardinalis Rusticutij, qui tum Papæ Vicarium agebat, qua eum Abbatem Generalem nomine Sanctissimi salutabat, præcipebatq; Romam iter maturare, significans Pontifici decretum, *vt* è nostratibus destinarentur Visitatorum missiones ad Hispanos, Gallos Germanos, Belgas, ac reliquos vbicunq; Regulares Canonicos; illiq; vicissim procuratorem deinceps mitterent ad Generalia Comitia nostra, & Abbas Generalis Lateranensium censeretur Caput Ordinis Canonici in vniuersum. Eo nuntio haud quaquam lætatus est Præsul rigidioris instituti tenax, qui putà indè pertimesceret aditum patefactum iri euagationi, & Canonicæ obseruantię distractioni, illud frequens repetere solitus, Multiplicabitur Gens; at malim magnificari lętitiam, pręter rerum dispen-

dispendia ob frequentes exterorum accessus data recursus occasione. Distulit propterea professionem, secum reputans quid facto opus esset. Interim Pontifice e viuis sublato, negotio simul finis impositus. Eundem Gregorius Quartusdecimus sibi intus, & in cute cognitum Abbatem Generalem confirmauit, ipse tamen non nisi Rectorem more maiorum se com pellari passus. Demum à Clemente Octauo Aquensis Episcopus creatur. Vir certè omni præclaro elogio concelebrandus, qui semper laudari possit, laude pro merito cumulari nunquam. Nam si Diuus Maximus in eo maximè Sacrum Eusebium commendasse visus est, cum de illó testatum reliquit, quod quia pontificijs refulsit virtutibus, plures e discipulis instituit muneris sui successione idoneos, quemadmodum & ex Philosophis perfectissimum naturę opus generare sibi simile: quibus tandem pręconijs egregium Præsulem prosequemur, qui tot micantes stellas posuit in firmamento Congregationis nostræ? Vt enim cęteros prætercam moribus, ac scientij sexageratos ipsius alumnos, qui post eum, & nunc Rempublicam nostram moderantur, tres sibi præcipuè dilectos e Cælo contuetur seriatim Supremo Magistratui successisse, Constantinum Phaseolum, quem hodie lętamur eximio profectu clauum tenere, Seraphinum Verdellium summum diuini verbi pręconem, ac Petrum Franciscum Malettum nunc Antistitem Niciæ in Prouincia, quorum præconia percensere vetat eorum incolatus, qui vtinam longæuus, & fœlix. Plurimum ergò valdè eximio Camillo tanquam operario inconfusibili, iugiter se debere fatebitur Vnitas Lateranensis; ego vero quantum valeo, ceu optimo educatori, ac prouectori. Rusticutij epistolam vidi apud intimum ipsius Camilli Don Thomam de Liburno, quem & postea euectum ad Episcopatum vidimus. Atque hæc quidem Basilius. Rebus igitur sic procedentibus cum iam finem triennalis Magistratus attingeret, Marco Antonio Columna Cardinali Episcopo Prenestino, & Protectore dilationem Capituli Generalis ob annonę penuriam, qua maxima Italiæ pars afflictabatur, supplicante; exijt ab Gregorio Quartodecimo Pontifice decretum in forma Breuis, quo fasces eidem Camillo per aliud triennium permissi sunt, & facultas facta Synodi ad placitum differendæ, & in eo loco, quem commodiorem iudicasset, datis literis die nona Aprilis sub Piscatoris annulo. Sunt autem Apostolici testimonij verba ad Camillum directa: Et quia his tribus annis proximè præteritis eidem Congregationi & verbo, & opere laudabiliter præfuisti, illiq; maximam vtilitatem, & cōmodum, tam spirituale, quam temporale attulisti, & speratur fore, vt & maiora in dies à te afferantur; te in Generalem dictæ Congregationis ad triennium proximè futurum incipiendo prima hebdomada mensis Maij pręsentis anni auctoritate, & tenore præmissis confirmamus, seu de nouo eligimus, & deputamus, ac creamus, tibiq; quod omnibus, & singulis priuilegijs

legijs, facultatibus, præeminentijs, auctoritatibus, & gratijs, quibus Generales dictæ Congregationis pro tempore existentes vtuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, vti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeas perinde si in dicto Capitulo ab electoribus, & illis ad quos spectat electus esses indulgemus. Hinc iuxta sibi datum ius Conuentum egit die secunda ieiunij eiusdem anni in Ædibus Rauennatibus Portuensium, ex cuius suffragijs collegas nouos habuit Calixtum Mazzolam, Antonium Miserocham, Theodosium Rouescalam, & Riccardum Crispum Mediolanensem. Prosecutus est imperium eodem prorsus canone, quo antea, reparationem vndiq; vrgens; at non eandem animorum dispositionem inuenit vbique. Quippe assueta Congregatio triennali gubernio, & per illud vicissitudini supremæ sedis, nouum morem nō plenè probabat, nec videbatur salua libertate publica potuisse ad Apostolicas gratias cōfugere, quas tamē factas nefas erat non admisisse. Ea propter acrius vrgere, & seuerius instare peragēdis ne cessum fuit, nec iussis modo, sed & pęnis serio animaduertere, quod haud fæliciter postmodum cessit saltem ad gignendum, vel conseruandum, id quod traditur in Speculo, Vt amari magis appetant, quam timeri. Gessit tamen quod gerebat intrepidus, & in abdicando post sexennium magistratu pertulit ęquo animo renunciari Prępositus apud Gattinariam cōspiratione prępotentium, quibus videbatur è Republica esse vt in ordinem redigeretur, nec vnus excelleret tantopere in communis libertatis præiuditium. Quin & iussus adesse iuditio super argentea quadam cruce, & super publico, priuatoue nonnullorum ærario, peculioq; in communes rationes redacto, de quibus postulabatur; adeo redemit se, ac perpurgauit, vt non nisi absolutus, & laudatus recesserit. Annos quatuor penè integros sibi vixit translatus ab Gattinariensi ad Cretensem Diuæ Virginis Prælaturam, diutiusq; eam vitæ methodum sustinuisset, in qua soli vacabat eximiæ religioni lubens & volens; sed Ioanne Francisco Cardinali Sancti Georgij ex comitibus Blandrate Aquensem Ecclesiam apud Monteferratum resignāte ipse Episcopus inauguratur. Tanti autem à se aliquando moderatam Congregationem fecit, vt ante egressum se præsens sistere Summo Præfecto Theodosio Rouescalæ, & Petro Bonsignorio alteri ex Visitatoribus, & humiliter in eorum manibus Cretensem Abbatiam resignare, cordatasq; gratias agere matri pijssimæ æquum duxerit, quod Mantuæ præstitum in ædibus Diui Bartholomæi sub die quartadecima decembris anni secundi ab exacto centenario in publicis monumentis adnotatum legitur. Episcopatum supra annos viginti gubernauit vitæ integritate, prudentia, œconomia commendatissimus. Clero, sanctimonialibus, pijs domibus, omniq; populo normam loquens, agensq; præluxit. Episcoporum conuentui sub Friderico Borromęo Cardinali, & Archiepiscopo Mediolani interfuit. Quoties seu ad limina,

ſeu quouis alio ſtudio Romam petijt, conuixit peregrinus Canonijs Congregationis vbiq; in omnium corde, & famulatu. Nos aliquando in iunioribus audieramus Martium de Cecatis Anconitanum non obſcuri nominis virum de huius quondam ſupremo magiſtratu conquerentem ſe, & amarius proloquentem, quod ſcilicet in eum fortè animaduertiſſet aliquid non ex legibus agentem. Accidit vt monaſterium de Capite montis ingredientem primus caſu obuiarit (nobis non longè diſtantibus, & ſecundo loco ſuperuenientibus) quem profuſiore præ cæteris obſequio, ac veneratione proſecutus eſt;adeo virtus ipſa cognita conciliatrix intercedit. Deceſſit vir egregius penè octogenarius in ſuo Epiſcopatu circa annum vigeſimum primum huius ſæculi. Habemus ab eo publicis ſumptibus conſtructum Aſtenſe monaſterium Sanctæ Mariæ nouæ ad viuum ſub humilioribus tamen formis,& ſtructura repręſentans regium illud, quod Placentię ſub Diui Patris Auguſtiui tutella, & nuncupatione excitatum Marco Antonio Bagarato auctore habemus. In Generalatu fuit ei primo loco à ſecretis Gregorius Regius Rauennas, quin & aliquando ſecundo loco vſus eſt opera Ioannis Pauli Lercarij Genuenſis de cuius ore excerpſimus non ſemel quantę eſset ille ſeu moroſitatis, ſeu exactionis in ipſa Epiſtolarum conſcriptione, qui non nunquam bis,ac tertio reijceret ſibi exhibitas formulas, quamuis ſtudio, & ſtylo exaratas non pœnitendo. Scripſit ipſe pauca, ſed vtilia.

Epiſtolam Paſtoralem oblongam, & exactam ad Viſitatores, Abbates, & alios Congregationis Prælatos dum ſuprema fungeretur præfectura. Mutinæ Anno Domini 1588.

De Modo publicos libros Computorum Congregationis perficiendi Formula, quam & poſtea Conſtantinus Phaſeolus recudendam, & obſeruandam curauit.

CA-

CAROLVS BORROMÆVS PATAVINVS.



ORROMÆORVM pijſſimæ gentis illuſtriſſimis fulgoribus per plura ſæcula corruſcantis tanquam ex Regali Vitalianorum ſtipite originaliter deductæ; atq; vltimis hiſce temporibus à Sanctiſſimo Cardinali Carolo Archipræſule Mediolanenſi ad perennem Beatorum gloriam in ſe vno eleuatæ Lateranenſis Congregatio portionem feliciter ſortita eſt per alterum iſtum Carolum Borromæum Patauinum. Ab vno, eodemq; fonte riuulos hos Borromæorum Patauinum, & Mediolanenſem effluere, preterquamquod latè notum eſt, probat eruditè antiquitatum obſeruator diligentiſſimus Baſilius Sirenius noſter in ſuis de hac Gente editis commentarijs. Carolum hic genitorem habuit, ad cuius memoriam inſtaurandam, inſeq; ipſo repræſentandam cum nomen noſtris altaribus daret, ex Aſcanio & ipſe Carolus nuncupari elegit. Fortunato quidem omine id præſtitutum eſt, cum aliquando ſuccedente tempore per acceptisſimam nomenclationem populis gratior, commendatiorq; apparuerit. Nam adaucta per eos dies Cardinalis Archiepiſcopi Mediolanenſis ſanctitatis mirificæ ſama ab heroicis illius actionibus, abq; vitæ ſumma innocentia profluente; is qui eum nomine repeſentabat ex eadem familia progenitus venerabilior, vel ex pronunciato nomine quadantenus credebatur. Tum verò maximè id accidiſſe compertum, cum graſſante per vniuerſam Inſubriam peſte, Mediolanumq; præſertim depopulante, ipſe inter præcipuos Sancti Cardinalis adminiſtros ad curandum in vtroq; homine populum primus adnumeratus eſt. Impetrarat vigilantiſſimus Archipræſul ab Apoſtolico Hierarca facultatem Clericos alienarum quamuis Diœceſum, & Regulares cuiuſcunq; Ordinis etiam Ordinariorum Superiorum non accedente conſenſu, ad languentium procurandam ſalutem deputandi, dummodo ipſimet voluntarij ad tanti operis piam aggreſſionem nomen darent. Quare Vrbis Sacerdotibus in Archiepiſcopij ſacello coactis populi noram calamitatem pro concione aperiens, eos ad ſubueniendum proximorum infelici miſeriæ charitatis intuitu rogauit obnixè. Commouere quidem Sancti Paſtoris aculeata verba plurimorum animos, ſed cunctabundi herebant, inuicemq; alter alterum intuebatur periculum euidens expendentes,

ancipites piæ ne causæ, an propriæ incolumitati consulere expediret. Cum ipse Carolus innata (vt verbis Scriptoris vtar) Borromæorum, Vitalianorumq; magnanimitate primus ante omnes anxio, præstolabundoq; Cardinali Antistiti volentem se se vltrò obtulit, ac paratum ad opem sanis, infirmis, valetudinarijsq; præstandam: operamq; suam impendendam vbicunq; e re esse censeret, in se nihil formidinis futurum pollicitus, immo & præsidij quantum vires suppeterent. Vix dici queat quantum iucunditatis hauserit Sanctus Præsul ex illius promptitudine, maximè quod talis alacritas multos ex accitis, astantibusq; Regularibus permouit, ac eorum præcordia velut admotis calcaribus pupugit. Non defuere qui diuinitus patratum existimarent, vt vocante Magno Carolo Borromæo, alter Carolus Borromæus omnium primus obaudiret, sic enim vnus & mouens, & motus, idem ipse & incitator, & executor quodammodò astrui poterat; idq; remorantem adeo à cęterorum animis dispulit metum, vt ex templo eius exemplo non pauci quasi certatim nomina darent, seq; operariorum albo inscribi efflagitarent, pręsertim è Serafico Ordine; immo & alios quosdam ex nostris ipsemet priuatis collocutionibus illexit, attraxitq;, Hieronymum de Rubeis Vicentinum, & Augustinum de Figinis Concionatores, Pium à Basilica Petri, ac Gregorium de Aduocatis præsbyteros, atq; Laicum professum de Mirabellis, qui postea infirmis ad casas ligneas, seu tuguria degentibus ministrarunt. Beatus verò Cardinalis ingenui Sacerdotis prudentiam, grauitatem, eruditionis præstantiam admiratus, eum tanti fecit, quanti alium fortè neminem: propterea eum in tam apertum vitæ discrimen nequaquam adducendum cogitauit, vt in Gregorianis ædibus, alijsue contagio infectis virum virtutibus exageratum collocaret. Hinc, quia per eos dies Præpositus Collegiatæ Prothomartyris Stephani decesserat, illum iussit in defuncti loco consistere, illiusq; in omnibus obire munia addito Vicepræpositi titulo. Ei verò Collegiatæ cura imminet plusquam viginti millium animarum, quibus cum alij Parochi, atq; adiutores, tum is præcipuè spiritalem assiduè ministrabat alimoniam. Sacræ Cænæ mysteria vt plurimum peragebat in altari ligneo pro compiti fronte erecto, nimirum iuxta pontem macelli, alias Portę Tonsæ, vt qui domibus egredi prohibebantur, e fenestris saltem rem diuinam spectarent. Frequens eum pijssimus Archiepiscopus accersebat, eiusq; vtebatur consilio, sæpè & opera, præsertim in arduis. Magna, & mira sunt, quæ cordatus vir eo pestilenti tempore gessit, ac pertulit: horrenda quæ illi acciderunt, & quibus, misericordia eum perurgente, se ille exposuit pericula. Quare postquam Dominus afflictionem respexit Sancti Pastoris, ac populi depræcantis, miseratusq; dixit Angelo percutienti, Sufficit, contine manum tuam; beneficentissimus Pastor, vt aliquo extrinseco, ac temporali signo strenui hominis labores recognoscere,

atq;

atq; compensare videretur, mandauit clanculum ipsius mentem explorari, num sacerdotium sæculare, nempè Præpositurам prædictam libenter annueret sibi conferri, neque enim ambigebat eum capacem fore, qui circa id tempus ex eodem nostrorum cętu Dionysium de Tertijs Capriatæ, Theophilum de Varesijs Vimodroni, Ioannem de Stampis Vaueri Rectores adhibuit. Verum renuit omninò Carolus, professionis suæ statum nulla se conditione deserturum contestatus. Ciuitate purgata, periculoq; sublato, totum biennium Mediolani commoratus summa omnium veneratione colebatur, ac magna inuictę constantiæ, contemptusq; temporalium rerum opinione relicta, Patauium reuersus est. Ibi se totum ex actuosę vitę negotijs ad speculationis officia componens, super Iobi Librum commentaria perfecit luculentissima, vt nobis aliquando retulit occulatus testis, & non semel in partem aliquam eius laboris vocatus Archangelus de Oddis Patauinus, dum studijs nostris pręesset Abbas Viridarianus. Inchoauerat ea Mediolani statim, atq; Epidimia cessauit, & ex manu tractatis ęrumnis patientię documenta prętulit, & lachrymas. Cęterum operi tanto instructissimus accessit, qui solidissimarum scientiarum Theologię, Philosophię Iuris Pontificij, Mathematicarum, Historięq; omnis penetralia lustrarat, & per loca multo ante digesserat. Gręci insuper, atq; Hebraici idiomatis apprimè eruditus, Cabalistarum mysterijs, ac doctrinis incubuerat ad quamcunque permissam curiositatem, & ornatum. Talibus pręsidijs antea non modo Gymnasia Ordinis virtutibus cumularat, dum vel Philosophos, vel Theologos interpretaretur; sed & pergula ipsa commendatissima, longèq; frugifera reddidit, nominatim verò ędes Laurentianas Mediolani innumero cumulauit auditorio, dum ante contagionem ibi Ecclesiasten ageret. Obijt paulo ante Senium, & reliquit manuscripta.

Commentaria in Iob vniuersum libris nouem distincta quando quando sit proditura. Lib. jx.

C A-

CAROLVS OLIVERIVS VINCENTINVS.



ROBITAS vna, vnaq; charitas calamum inter digitos Caroli oliuerij Vincentini accomodauit no- stro prorsus hoc tempore, qui cæteroqui muneri im- paratus erat, & oneri prope impar. Quis verò ne- get egregiè actum quicquid à duabus illis virtutibus deriuatum noscitur, puros latices ab eiusmodi fonti- bus epotamus, & quæ hauserunt corda, hæc eru- ctant. Prope ad litteram hic sibi vsurpare potuit il- lud Apostoli, Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersusprincipes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cęlestibus. Quippe per quartam om- ninò sæculi partem Energumenis piam operam, plenamq; eximij laboris, ac meriti pręstans, dæmones quasi indicto bello nullibi consistere, nullosue obsessos vexare pro conatu suo passus est. Post professam Sanctissimi Pręsulis nostri Aurelij Augustini Regulam tria tantum, vel ad summum qua- tuor incoluit Cęnobia, quod per paucis nostrum contingere experientia no- scimus expugnato scilicet ab fluxu, refluxuq; humanarum actionum vnius, & eiusdem incolatus decreto. Ab montano illo celebri Diui Leonardi propè Veronam seminario ad Diomedeas transmittitur, inde post aliquam interiectionem Eugubium tenet. Incolunt Canonici nostri montem ciui- tati illi proximum, propeue superpositum, ac imminens, in quo Sanctissimi Vbaldi dudum eius Episcopi asseruatur summa veneratione corpus ossibus, neruis, carne, cute, colore, flexibilitate integrum, compaginatum, ac palpabile per ãnos fermè quingētos ab sancta eius obdormitione in Domi- no. Sacrosanctas euigilant Reliquias, famulanturq; eis iugi cultu, dum inter innumerabiles gratias, miraculaue, quę in dies agunt, pręsertim formida- biles maximè sunt dæmonibus, maximèue salutares obsessis, & vexatis; ita Deus mirabilis est in Santis suis, sicq; ad intercessionem Diuini Pastoris Vbaldi misericordiæ suæ plenitudines dispertiri dignatur. Ad Sanctas igi- tur huiusmodi ędes trãslatus Carolus cœpit in ipsos primos dies deuotio- nem, venerationemq; illam erga Diuum Præsulem, qua postmodum tanto- pere floruit, quaue tutatus, adiutusq; est ad tot egregia omninò præstanda, & absoluenda. Perpetes erant excubiæ ad sacrum tumulum, iuges præca-

tiones

tiones pro vitæ morumq; directione ad maiorem Dei gloriam obtinenda. Vna cum sacerdotali dignitate induitur ab alto animi fortitudine, atq; præstantia in exorcismorum exercitio, cum alioqui delicatiore corporis temperamento à natura factus esset. Hinc paulatim cum praxi excrescit adeo capacitas, spiritus, intelligentia; vt ardua penitus ars obuia vndiq; fiat animo salutem tot languentium anhelanti. Vix credibile est quæ pertulerit, quæ præstiterit, quot laborum myriadas lubens volens obuiarit, obierit, Perdius in eiurationibus, & exorcismis, pernox in vigilijs, & oratione, Rebellem contumaciam perditissimorum hostium, nequissimorumq; spirituum obstinatos conatus obscpiebat, retundebat, confringebat constantia maiore, & animo plusquam ferreo, vel adamantino. Octo, decemue horas continuas operi sacro plusquam sæpissimè dabat inter sudores, & erumnosas concertationes; orationibus, lectione, iussionibus, alijsq; ex arte vrgens aduersarium. Ex vniuerso propè dixerim orbe christiano, certè ex omni *vndiq; Italia*, confluunt ad pium montem vtriusque sexus exagitati, *possessiq;* à Dæmone, ab sacra exciti intercessione Vbaldi, cuius precibus Deus liberationem concedere maximè sueuit: & perpauci, ac forte nulli sunt, qui non aut incolumes ex integro, aut melius valdè habentes non retrocedant. Ille verò impensè in Sanctum deuotus, totusue in illius cultu, ac deuotione augenda, lapidem omnem mouebat, vt christiana, vereq; sacerdotali, & canonica charitate omnibus subueniret. Hinc aquæ, hinc olei speciales benedictiones, hinc ex lampade ante sacrum corpus ardente perenniter alterius olei distributi mirabiles effectus, & gratiæ iuxta exigentium pietatem, ac deuotionem. Atque ideo post annos aliquot notus ita factus est, vt in admirationem tot laborum, inq; amorem laborantis, & in præcipuam existimationem confluerent catheruatim populi: vbiq; vocatus, vbiq; permeans. Qui enim ligaturis, facturis, incantationibus, fascinationibus, maleficijs tenebantur, nec tamen Eugubium petere ex aliqua ratione valebant; præsentissimam opem in eo adinueniebant. Vmbrorum, Picenorumq: in primis oram omnem lustrabat postulatus. Insubres ipsos aliquando compræcatores habuit, & in eis proceres, ac Regulos, quorum & nos humiles epistolas, efficacioraq; officia aliquando nouimus, quibus tamen ille parum accommodauit operis, aliter fortè intus mouente, aliterq; disponēte Deo. Quare ab his similibusq; alijs inculpatæ vitæ, morumq; integritatis moti Eugubienses illum ex Senatus Consulto ciuem, patritiumue elegerūt, & crearunt, omniq; ciuitatis iure liberaliter, ac vltroneè donarunt. Quin & Congregatio in tot bonorum operum præmium, promouente maximè, & procurante Seraphino Merlino, & Hieronymo Onofrio Definitoribus, ipsum eius monasterij præpositura decorauit, alacriter ferentibus prouinciæ patribus notam virtutem adhuc in extremo homine munerari, etsi

id esset

id esset absq; exẽplo, si pręsentẽ gubernationis formam in Religione inuectã attendamus. Ab collatis prælaturæ insignibus sibi adauctos sensit stimulos ad ęmulanda adhuc meliora charismata, adq; incitatius currendum stadium inclyti operis. Eapropter nil remittens assueti instituti alliciebat, conciliabatue qua Sacramentorum administratione, qua familiaribus, pijsq; allocutionibus, ac salutaribus monitis, & cohortatione quot quot deuotio, & pietas socios dabat miseris ab diabolica rabie vexatis. Elisabellam Brancaleonam de Ansideis lectissimam fœminam, & Perusinarum matronarum decus pręcipuam Sacri Templi, Canonięq; adiutricem in primis habuit, beneficiorum collatorum nomine prę cęteris commendatam, cuius in Deum, inq; Diuum Vbaldum pietas eximia, singularisq; deuotio externo signorum testimonio comprobata æternum posteris cordi esse debet ad preces ex animi gratitudine rependendas. Hæc filium flore ætatis conspicuum, & virtutibus viro patritio dignis inclytum, sed maleficio exitioso vexatum comitata, cum ita disponente Deo illum ibi ad meliorem vitam euocatum tumularit; id concepit in Diuum Vbaldum pietatis, inq; Carolum animi propensi, vt & per annos plures ad sacram ædem se dederit peregrinam, & sequestrem in pias exercitatione, ac meditationes, & templũ erecto altari dignis ornamentis, sacrariumq; pretiosa suppellectile ditarit, domumue amplam hospitam Perusij Patribus apertam iusserit. Huius adiutrice manu animatus Carolus, & Sactissimi Vbaldi Vitam, ac Miracula, & Baculum Dæmonum composita euulgauit. Qua in re satis liquido constat charitatem operari omnia. Non is ille erat, cuius e penu promi posse quidpiam tale crederetur. Si quidem vir bonus, & innocens non ea litterarum suppellectile instructus erat, quæ in gemmas erumpere posset; cum vix superficialiter libasset aliquid doctrinarum philosophicarum sub Ludouico Pauesio Neapolitano quandiù Tremitanos Scopulos incoluit; cætera vero pertæsus tanquam inflantia, & arrida spiritui, vt opinabatur, reliquisset. Verum is fuit ardor deuotionis in Diuum, & charitatis in populos; vt non pœnitendè exarauerit supradicta. Insuper diuturniore praxi, & experientia exorcisticam edoctus valuit commendabiliter de ea scribere post laudatos Viadanam, Valerium, Polidorum, Hieronymum Mengum, Zachariam Vicecomitem, & alios. Sub temporum vicissitudines varias gubernationis cymbam enauigauit nunc fauorabilibus auris carabata inflantibus, nunc aduerso austro iactatus. Quartum tamen eius Canoniæ clauo præfuit. Vidit Principis Vrbinatum Friderici Vbaldi natiuitatem populorum precibus, ac voto à Numine obtentam intercessore Vbaldo, in cuius diem solemnem incidit; vidit & eius occasum post nuptias, & gnatum, in ætatis flore, & in eius occasu vidit quoq; principatus interritum, ditione scilicet ad Apostolicam Sedem deuoluente post Francisci Mariæ Ducis obitum. Non semel adie-

rat

rat Sereniſſimum hunc ſenem, docueratue de placitis, ac pactionibus per antecessores Regulos cum congregatióne initis ad montanæ illius Canoniæ ſuſtentationem. Verum longæuus ille ſuper terram, vixq; ſe ipſum ſuſtinens, inter tot aduerſa, rem integram, vt & inueniebatur, reliquit, ſubſidio tantum charitatiuo permiſſo, & quingentis monetæ ſcutis ex vltima voluntate legatis. In tam diuerſis verò rerum humanarum motibus ſemper ſui ſimilis apparuit, nec animi pace denudatur. Ad ſubueniendum pauperi Monaſterio curat ex aurea lampade Eugubinorum voto tot ſtabilia bona emere: in emptionis conſumatione fato cædit per acutam, & ſero cognitam, ac obuiatam febrim vixdum quinquagenarius, quo tempore opportunior loco fuiſſet vir ieiunij, pudicitiæq; cultor eximius. Succeſſorem dedimus ab generalibus comitijs Hortenſium Paganum Cæſænatem. ſuperſunt ergo eius calami.

Vita, Acta, & Miracula Diui Vbaldi Eugubini Epiſcopi Canonici Regularis Italicè conſcripta. Ad Vexilliferum, & conſules Eugubinos. Peruſij, & Eugubij apud Marcum Antonium de Triangolis Anno 1623. Lib. 1.

Gratiæ ab eodem Diuo Vbaldo illius intercesſionem ſupplicantibus factæ. Ad Alexandrum de Monte Epiſcopum Eugubinum. Lib. 1.

Item edidit eiuſdem Diui Vbaldi Vitam latinè à Beato Thebaldo eius in Epiſcopatu ſucceſſore ſcriptam neque antea editam. Ad Sanctiſsimum Dominum Noſtrum Vrbanum Octauum. Peruſij apud hæredes Marci Naccarini Anno 1623. Lib. 1.

Item Baculus dæmonum coniurationes malignorum ſpirituum. Ad Iſabellam Brancaleonam de Anſideis. Peruſij apud Marcum Naccarinum Anno 1618. Lib. 1.

Valentini Paſqualis Vtinenſis.

LVcifer Empireo conturbans omnia Cælo
Sublimi ſimilem cum ſtudet eſſe Deo,
Ingenti præceps tenebroſa in Tartara motu
Detruſus ſummò tunc fuit ille polo;
Mox eſt inſidias auſus mortalibus ægris
Tendere, & imperijs ſubdere velle ſuis.
Hunc ruere in puteos, alium decurrere in ignes
Cogit, & inuitum plura nefanda loqui.
Liuentes oculos torquet (mirabile viſu)
Flammaſq; horribili ſpirat ab ore Sathan.

Z *Hinc*

Hinc vlulat, mugit, ſtridet, dat ſibila, latrat,
Vexantur varijs corpora læſa malis.
In genus humanum tandem ſæuire profanis
Deſine ſupplicijs, dæmon inique tuis.
En venit ſacra præſtans Oliuerius in arte,
Qui tua perfringet cornua, tela, minas.
Sic tua diuina, ſic ars deluditur arte,
In pœnam veniunt ſic benefacta tibi.
Humana illabens poſthac in corpore diſces
Improbe te miris inſinuare modis.
Cum dabis huic pœnas; tu tu mergeris in altà
Tartara; vt emergas, non ſinat, inde, Deus.



CA-

CAROLVS PECORARIVS PAPIENSIS





SED ò calami,ò quæ manuum director in pio ſcriptore maximè Deorum Deus, quid ita fert ſermonum internorum agitatio? Quid hæc mentis vis enthea? Profectò vt tuus inclitus iſte Eccleſiaſtes Carolus Pecorarius quantus quantus fuerit bene prodatur;ſi non incaleſcunt ingenij vires,inirritum lineæ ſignarentur. Qui enim adeo efferuere ſueuit dum concionaretur, vt non in ſudores modo, fermæ ex vſu, diffluerct (quod quam plurimis alijs commune eſt) ſed & aliquando capillitio toto mundari illi contigerit ex æſtus nimietate; vtiq; & flammulas aliquas in ſui ſcriptore deriuare honeſtum eſt, vt de meliore nota appareat. Et quidem vnus ille euentus aliquid ſupra praxim prædicantium ita loqui creditum fuit; vt & Medicorum etiam admirationem primum elicere;deinde & exercere ſtudia potuerit. Quo fieret, vt ab intimis ad extima tantopere fereretur eſtuans talis ea ebullitio, quæ & venas excurrens, & ſpiritus agens ac humores; capillos, piloſq; omnes, de natiua exturbaret ſede, radicibus fortè, vel exſiccatis, vel corroſis; dum interim ipſe, cæteroqui ſanus, vegetuſq; omnimodè perſeueraret, ac cerneretur. Neque id viro optimo accidit circa ſenectam; ſed in ipſis fermè iuuentæ,concionumq; ianuis,itaut ad decentiorem dicentis proſpectum populis exibendum capillo aſcitio (quem Parucam Galli dicunt,apud quos frequens illius vſus eſt) nuditatem operire coactus fuerit. Hoc autem adiumenti genus eò magis exigebatur in eo, qui ſuopte natura infra mediocrem corporis ſtaturam ſortitus, non multam ab aſpectus præſentia cõmendationem ſortiebatur.Porrò quidnam caluitium, depilatioq; tanta inclamarent diuerſimodè fuit interprætatum, vt diuerſi ſunt hominum ſenſus. Pulchrè Tertullianus Scorp. cap. p. Tot venena quot ingenia; tot pernices, quod ſpecies: tot dolores, quot colores; Et tamen vnus omnium violentiæ geſtus, de cauda nocere. Is Papiam, antiquitus Ticinum patriam habuit,ciuitatem apud Inſubres prçſtãtiſſimam, & in ea nobilibus ortus eſt natalibus; ex familia nempè de Pecoraria, quæ ante annos quadringentos ſiue ibi,ſiue Placentiæ dederat Iacobum de Pecoraria Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem verè Eminentiſſimum profeſſione prius Ciſtercienſem Monacum,Sanctimonia vitæ, morum integrita-

te, rerum vſu admirabilem, & pluribus Apoſtolicis Legationibus ſub Gregorio Nono ſanctiſſimè functum. Parum tamen antiqui, auitiq; ſplendoris familia tunc, cum ortus eſt, repręſentabat, ſiue ex longa temporum ſerie, ſiue ex fortunarum, & originis interciſione. Cum primum terminos benè poſitæ, optimeq; inſtructæ pueritiæ prætergreſſum ſe vidit, collectis ſarcinis humaniorum literarum, quas ex bonis ſibi parauerat præceptoribus, Canonicorum Regularium Dogma ſibi inſequendum, futurę vitæ Leſbiam, elegit. Tyrocinia poſuit pinguia ſpiritus apud Mediolanenſes noſtros, de quorum maioris Pręlati manibus Rochettum imperfectum improfeſſorum teſſeram, illudq; idem perfectum in votorum nuncupatione ſuſcepit. Adoleuit poſt hęc inter gymnaſticos maiorum diſciplinarum labores: & quoniam incidit in bona tempora, optimam egit nauigationem, clauum gubernantibus Seraphino Verdellio Cremenſi, & Conſtantino Faſolo Laudenſi ſucceſſiuè. Ij enim ſummopere, vt par eſt, de Congregationis vniuerſitatibus ſolliciti, Ticinenſem potiſſimum & merito, & numero tunc cæteris inſigniorem, nullis omninò admiſſis ferè ſtudentium permutationibus ad frugem perfectiſſimam perduxere. Florebat Carolus viuidi ingenij laude præ cęteris comprofitentibus, apud quorum alteros ſiue ſolidior cognitio, ſiue ſolertior induſtria, ſiue tolerantior conſtantia prępollebant, vt nempè diuerſorum diuerſa ſunt talenta. Porrò dos ea viuida illum per lata variarum ſcientiarum prata manuducebat, vt hinc inde decerperet ad corollas intexendas non violas, non lilia, vel roſas; ſed gemmeos generis vniuerſi ſplendores. Corollas autèm quare non dixerim ſiue conciones eius, ſiue cętera publica, priuataq; colloquia, in quibus rerum egregiarum varietas ita concinabatur, vt feliciter vnus prę cęteris, aptèq: dicere etiam ex tempore cenſeretur? Teſtata eſt primum texturam dictionis eius deſcriptio euentuum quorumdam penè tragicorum inter Cęlaureos Canonicos, & Eremitas ob iura tutanda emerſorum, quam nondum licentiatus ad Elogij huius Scriptorem tunc temporis Theologię Cathedram ad Sanctum Petrum de Pado Cremonę verſantem tranſmiſit, & per quamplurimorum manus commeauit, in qua ex vngue leo dignoſcebatur futurus. Pars non minima contentorum in ea narratione ipſemet erat, qui tametſi corporis viribus non ſatis pręualeret, ſecundum quas plurima executa fuere zelo quidem, ſed indiſcreto hinc inde; animoſitate tamen, & iurium praxi, de quorum tuitione agebatur, vnus cęterorum anteſignanus inter eos iuuenes haberi poterat. Vt primum orbitam ſtudiorum aſſuetam expleuit, vna cum ceteris condiſcipulis Doctorea redimitur. Sed quoniam Leuitico tantum caractere erat inſignitus, Prędicatorei muneris exercitio ad Sacerdotium vſq; receptum interdicitur. Impellebat propenſum maximè genium, ſtimulos addebat ſiue conaſſumptorum ſtadium ingreſſum, hinc, atq; hinc ſuggeſti-

geſtibus conceſsis, ſiue melior agendi cum populis charitas, vt in ſibi credita operaretur talenta; verum potior obedientia quam victimę, cordis, mentiſq; holocauſtum agebat Deo ad Prelatorum præſcripta. Ij autem ſcholam logicalem illum habere iubent ad Canoniam Sanctę Marię de Caſoreto iunioribus primos tyrocinij confines egresſis, vt videlicet aliquid operaretur Diaconus legibus non repugnans: & anno in illud munus expleto, ad Sanctum Georgium de Brinate Ariſtotelem de Phiſico auditu interpretari iubetur Sacerdos initiatus. Philoſophica tractabat de cathedra nil commiſſæ ſibi prouinciæ omittens; ſed de cella conciones meditabatur, parabatq; multus ſuggeſtum, vt inſtructior eo accederet, quò intimè ſe rapi ſentiebat. Innoxij mores eſcam apparabant orationi, quæ conuiua eſſet ſcientiæ, atq; meditationis in extendendis quibuſcunq; lucubrationibus: quo fiebat vt mens nouellos ſemper deſuper immiſſos reciperet radios. Baſilius Serenius vir præclarus doctrina, & ſpiritu, qui Caſoretanam, & Brinacenſem eas Prælaturas ſuccesſiuè gerebat, animos benè currenti adauget, cuius adoleſcentiæ pridem non leuia ſubſidia addiderat. Huius etiam prece, ac interceſsionibus apud Maſſam Generalem, & Dugnanum Definitorem dimitti ab ſchola habenda, licet ægrè, obtinuit. Verbi ennunciationem grandi ſolertia quidem, ſed maiore animarum zelo incepit, quæ dotes eo magis apparebant conſpicuæ, quo magis ab iuuene proficiſcebantur. Placebat eloquentia, placebat & actionis ardore, qui in flammas tanto erumpebat excelſius, quanto penitima charitas magis vrgebat. Intra triennij, vel quadriennij ſpacium cæpit inter præcipuos Eccleſiaſtes Congregationis adnumerari, etiam ijs comparatus, qui & ętate, & prædicationis exercitio illum ſatis anteibant. Poſt hæc notior factus, Italia potiora templa patuere diſſerenti. Ex Mortarienſi Leuitæ Laurentio dicato ad Virginem de Anima in Vrbe, quindecim egit quadrageſimas admirabiles, & fructu, & concurſu: apud Venetos ad Sanctum Raphaelem, apud Modoetienſes, Papienſes, & Mantuanos in Cathedralibus, apud Lucenſea ad Sanctum Frigidianum, apud Piſanos ad Conuentum Illuſtriſſimorum Equitum, in Vineis Genuæ, in Diuorum Laurentij Venetijs, atq; Florentiæ, & Stephani Mediolani, nec non in Maioribus Caſalis Montisferracis, atq; Papiæ iterum, & in Archiepiſcopali Neapolitana. Ad manus eſſent plurima ſingillatim referre, quæ præcipuis hiſce in locis illi obtigere illuſtria, & animorum à morbis curatorum lethalibus, & ſummæ approbationis teſtimonia, & ſuauiſſimæ eloquentiæ præconia. Sed coarctamur ab anguſta terminorum ſcriptitationis huius breuitate. Id ſat erit tetigiſſe: Cum ſemel, & iterum in patriæ ſummo templo quadrageſimarit frugifer valde, & valide commendatus; ex hoc vno vt plurimum inſueto, & virtus eius, & conciuium probitas egregiè prælucent. Laborum huiuſmodi partem

tem maiorem peregerat, cum à nouemuis Definitoribus in portionem gubernatiuæ folicitudinis introducitur Abbas Mantuanæ Canoniæ Sancti Viti datus, vt præfulgeret etiam dignitate qui prębat merito: & per pręmia virtutis promotę iuniores adifcerent dandas efse manus certamini, de quo folo corona omnis in Congregatione depēdet. Mens tamen eius ex vfu in ftudia alterius generis enutrita vix nouis fe prębebat accomodam exercendis: eo vel maximè quoniam cum per crudele eius Ciuitatis excidium à Germana feritate perpetratum valdè plurima efsent perpefsa damna duo inibi fita nobilia Canonicorum Regularium Collegia, altero fcilicet penitus ęquato folo,altero vix fubfiftente,& extremos quodammodo anhelitus fpirante im parem fe ipfe arbitrabatur tot reparandis ęrumnis:& obtundebatur viuidum alioqui eius ingenium in actuofę vitę fluctibus, aciemque remittebat quam maximè. Abfoluto triennio vtcunque, de farcina huiufmodi remittitur totus priori vitę, & laboribus verbi, quos licet haud intermififset per fumma ieiunia; per anni tamen, & aduentus fpacia fe ab illis feiungere fuerat plenè coactus. Expleto vbertim quindenni munere annunciandi Euangelij penes pręclaras Ciuitates,fibi honorarium concedi per fummum Congregationis tribunal poftulauit, quod iura noftra Priuilegium dicunt, continentque Pręlaturam Titularem perpetuam nulli actuali adminiftrationi adnexam, nec non & alia quędam valdè digna emeritis militię noftrę infignioribus militibus concedenda. Verumenimuerò temporum conditio infœlix Rempublicam Chriftianam in genere, & Canonicam noftram fpecificè quafsans eius poftulata in irritum adduxit, Michaele Angelo Parpalione Nouarienfi Abbate Pacis, & totius Ordinis Procuratore Generali contranitente, cuius zelus erat in id vnum, vt Monafteria ab ęris alieni fiue contracti, fiue contrahendi tabulis fubleuarentur, qui & validè Francifco Protectori Barberino inftillauerat, non modo non permittendum vltra huiufmodi remunerationis genus, fed et in ordinem redigendos efse iam antea Priuilegiatos, quod et exequi, quantum in eo fuit, Vifitator factus tentauit. Qui tamen Caroli dotibus non leuiter alioqui deferebat, vt denuo Abbas Sancti Epiphanij afsumeretur curauit, fatagens, vt de infigni fpecula prælucerет inter penates proprios, quibus vt erat ornamento, ita et vt fubfidio foret, peroptabat, adminiftrationis talento. Sed vt aliter fieret defuper datum erat. Nam ab Vrbe Roma reuerfus in Patriam poft paucos menfes viam vniuerfę carnis ingreditur graui totius Ciuitatis męrore. Vir longiore vita dignus, quod ipfe ante paucos annos officium perfolueras, Marco Antonio Gentili Generali ibidem vita functo in die Apoftoli Thomę natali; perhabitam in eius funere nobilem orationem; illud idem ipfe recipit à Patre N. Clerico Bernabita, qui illum laudauit ad exequias. Quanta fuerit vis eloquentię eius adhuc peruincunt, & per-

& peruincent in sæcula quæ supersunt Lucubrationes, paucę quidem, sed admirabiles. Cum verò nil latinè cuderit ex multis, quæ ad perfectum maturarat, hoc loci alteram eius reddemus epistolam, quam ad nos ab Vrbe transmisit kalendis Septembribus ante annum, quo vita excessit, vt amici dulcissimi memoriæ claræ, modestiæq; eximiæ locum hunc non extra scenam demus. Sic autem se habet. Non modico semper flagraui desiderio Lucubrationes qualescunque meas aurium tuarum iudicio exponere, vt inde censuras acciperem,vbi semper omnigenam eruditionem sum veneratus. Nunquam annuit votis meis fortuna, vt salua magnitudine tua te descendere ad curas meas deprecarer. Solemne mihi siquidem fuisset debilitates meas a te fulciri: quis enim melius posset vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Titillauit me aliquando, nescio an sana libido labores meos prælo committere Plinij potissimum vallicatus verbis Caninio suo dicentis, Quia negatur nobis diù viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. At vereor, ne quod floribus hortorum Adonidis, qui vna die nato celerime perirent, hoc ipsum scripterijs meis eueniat: vnde potius piscarijs, & fartoribus chartas præparem, quam argumentum aliquod existentiæ meæ posteris dimittam: idcirco sub eruditas forfices tuas deducti labores mei, mihi æquè iucunda foret & incidentis, & comprobantis auctoritas. Cum autem hinc Ariminum vsque aduenerit fidus, idemq; amicus lator, nescio qualem Diui Thomæ Aquinatis Panegiricum tibi remitto, enixè orans, vt à ferijs musis tuis semihoram subcędendo tuo velut struthiocameli oculo, calamoq; vt Vrsæ linguam illum & aspicere, & corrigere non dedigneris. In quo vtinam ordo aliquis, & transitus figurę à te spectaretur: nam inuenire præclarè, & enunciare magnificè, quod ait Plinius, etiam barbari solent; sed disponere aptè, & figuratè vix paucis cōceditur. Tuum igitur suffragium, quod tanquam Iouis, & Mineruæ inuiolatum, & sapiens æstimaui semper, opperior. Vale kal. Sept. MDCXLIII. Romæ. Cæterum supersunt eius ingenij monumenta.

Oratio Panegirica Sancti Caroli Borromæi habita Mediolani in Archiepiscopali in die illius Festi Anno 1629. Ad Illustrissimum, & Excellentissimum D. Ambrosium Spinulam Marchionem, & Gubernatorem. Ibid. apud Antonium Mariam Paganum.

Ianus Sacer Oratio panegirica in laudem S. Ianuarij Episcopi, & Martyris in Metropolitana Neapoli in eius festiuitate Anno 1637. Ad Eminentiss. Franciscum Cardinalem Archiepiscopum Boncompagnum. Neapoli apud Robertum Mollum.

Oratio Panegirica in laudem B. Philippi Benitij Ordinis Seruorum habita Romæ in Ecclesia S. Marcelli in eius festiuitate. Ad Eminētiss. & Reuerēdiss. Io. Bapt. Cardinalem Paleotum. Romæ apud Vitalem Mascardum.

CELSVS DVGNANVS
MEDIOLANENSIS.





Quo ipsi nos ius Canoniæ, nominisq; donum recepimus,tunc de summa specula Congregationi vigilantē Celsū Dugnanum hoc loci repositum volumus, tam accepti beneficij titulo, quam ex instituti nostri præscripto, atq; ratione. Congruit autem id tanto fortius quanto illustrius ipse præ cæteris ęui sui Concanonicis effulsit corporis, animiq; donis non vulgaribus, sed inter paucos omninò per superum liberalitatem dispertitis: & dignus est, vt posteritati super hæc etiam papiro viuat, qui posteritatem tot virtutum exemplis edocuit, & indesinentibus acclamationibus per omnium ora volitans ex traditione nusquam interibit. Ab sacris aquis eius, qui in Redemptorem Dominum Iordanis vndam effudit, Prçeursoris Baptistæ nomen tulit, eut rectè in nuncupatoria Absalonis Abbatis scripsit Serenius; licet aliud Orator in eius funere tetigerit perperam edoctus. Quippe Ioanni Baptistæ Fidelissimo Medicæ artis,pluriumq; scientiarum, & linguarum peritia insigni retulisse eodem se nomine vocatum in sæculo dum Visitator Pistorij ægrotaret, testes auriti sumus. Matutinus vigilauit in sui custodiam, inq; Domini famulatum, qui fermè puer, hoc est tertiumdecimum annum vixdum agens ad eius exemplum, cuius & appellatione lætabatur vocari, antra si minus deserti, saltem religionis petijt, vt ab aurora diem vitę integrum sacraret Deo. Patuit autem accessus, præter vsum, imbecillę ętatae, cum per experimenta plura spiritus eius ætatem excedere peruicisset, Clemente Dugnano Patruo facem præferente, qui, quoniam inter gnauos illos enumerabatur, super quorum fida administratione Congregatio velut super politico cardine agebat vertiginem, sicut permouit exemplo vitę nepotem ad eiusdem vocationis semitam proterendam;ita quoque peruicit collegas ad suscipiendam alacrem innocentiam verbis illis Saluatoris, Sinite paruulos venire ad me, pro concione adhibitis.Danielem illum vocauere qui eum Ordini per linei suppari impositionem adscripsere: atq; id illud est,super quo prælaudatus orator cecidit. Verum nonnullis superuenientibus post tempus aliquod Celsus nuncupatur siue ad suscitandam in ea natione alterius Celsi memoriam, qui ante annos quinque Prior Criptanus apud Neapolitanos decesserat, siue qualibet alia causa. Iacobus Ma-

bus Maria ille ita ex ingenio commemorat. Enixè sibi Danielis nomen, quo fuerat suis à maioribus nuncupatus, postulat Celsi nomine commutari: quasi dicere vellet. Quid mihi cum Daniele, qui candido adscriptus Canonicorum Lateranensium Ordini, non inter frementium victurus sum ora leonum, sed mortales inter Angelos? Non ego Daniel, qui impijssimam subij tirannici Regis seruitutem, sed Christi iugum suaue, & onus leue. Appelletur Celsus, Celsus vocetur, quia in excelsis magnarum alarum aquila positurus est nidum suum, eamq; assequetur scientiarum omnium celsitudinem, vt ad ipsam nullus, & si leuissima instructus ingenij penna, nunquam potuerit assurgere. Et quidem fœlici penitus cum præsagie non vsitata nominis commutatio facta est: nam ad omnem virtutum celsitudinem labore improbo, & natura obsecundante euexere virum tempora. Suauissimum dicendi genus, vel ab ipsis natalibus sortitum declarabant pubertatis anni, cum scilicet perpauca per ætatem noscens, *illa* tamen eo exprimebat verborum numero, vt ad aures permulcendas iam plenè instructus videretur. Gaspar de Lignanis & ipse Mediolanensis ex sublimiore subsellio iura Ordini reddens subiecit illum tyrocinio seuerissimo, vt ab initio statim asperitatibus perferendis assuesceret, per quarum vehiculum in veræ virtutis Capitolium triumphaturus ascenderet. Laus exculti iuuenis, & in abdita naturalium, supernaturalium, diuinarum scientiarum introducti integra remanet Seuerino Quarterio Mediolanensi, Aloysio Belacato Brixiensi, & Iosepho Vercellensi. Quoniam & si operam ipse pluribus adhuc audiendis impenderit; ij tamen & primam, & supremam manum operi imposuerunt. Per tria Generalia Capitula facultas ei facta prędicandi vim, roburq; obtinuit, siue quoniam ita vsus tunc temporis requireret; siue quoniam grandem oratorem non minor discussio decebat, siue tandem quoniam id discriminis intercederet inter confirmatos, & non confirmatos concionatores, quod assueuit in Vniuersitatibus laicorum inter Doctores, ac Licentiatos. Ab synodo anni septuagesimi septimi superioris primum dictus est Prædicator cum Valeriano Zampetrio Imolense, Thoma Garzonio Bagnacaballo, Ioanne Baptista Guarino Cremonense, Leonardo, & Francisco Maria Giraldis à Mondulfo, alijsq; quadraginta minoris notæ. Cum secundum iuit in suffragia additi sunt commilitones Valerianus Coleonius Bergomensis, Theodosius Rouescala Papiensis, & alij decem & septem, iterum super incudem recussi præter nouiter electos. Ab tertio scrutinio in alterum annum dilato sub Generali Riua adnectuntur Alexander à Turre Cremensis, Ioseph Viuolus, & Gabriel Pascolus Rauennates, Marcus Antonius Oliua Genuensis, atq; alij viginti septem

supra quindecim nouiter electos. Non absumpsit autem per socordiam annos illos tres expectabundus donec maturesceret plenum ius ad suggestum; sed ab ipsa statim priore declamatione declamator sacram scenam ascendit. Carolus Borromæus æneniauit eum apostolico officio in æde Scalensi. Quanta ad insigne coeunt efformandum exordium. Ab Archiepiscopo, & Cardinali, & illo omnium opinione sanctissimo, non adhuc inauguratus presbyteratu, in patria, in Templo percelebri, Virgini Matri Aduocatę sacro, eligitur panis euangelici dispensator. Quis scalæ tantæ primum gradum non agnoscat eorum, qui secuti sunt genitorem? & per eam Angelos ascendentes, & descendentes, summitatiq; innixum Numen athletæ præmium, & spectatorem? Vtique omen coroborauit euentus. Binas ibi habuit quadragesimas, quæ res ab incipiente in non leue experimentum exacta fuit, & in non minus vtilem cessit exercitationem. Conciliabat ætas auditorem, quem rapiebat facundia ornata sine fuco, solida sine asperitate, magis rationum aculeo, quam increpationum flagro expugnans errantes, disrumpens errata. Porrò increpationibus efficacissimis reliquit posteriores senij annos, tum scilicet cum venerandus spectabili canitie loquebatur, tanquam auctoritatem habens amandata ditiore suppellectile, & opinione eximiæ virtutis per toties emensam Italiam vsquequaq; comparata. Annus tertius inchoati laboris Pistoriensibus positus est in ædibus Humilitatis Virgineæ confluentibus post Ciuitatem totam, conterminis quoque præpotentium Oppidorum. Florentinorum etiam, Lucensiumq; aliqui ex præclarioribus nomine tenus exciti eousq; aliquando curiosè petexerunt, vt de exorientis facundię luce Insubra auris, mentisq; oculo decernerent. Hoc pacto hominum studia, quę in solius vitę perennis subsidium recipienda essent, distrahunt in aurę sibilum tenuis. Sed cordatè secundum Deum agenti omnia cooperantur in bonum. Nam post factum periculum dignus dicitur qui ab crucifixo Andrea ad vsque mactatos Innocentes Florentinę nobilitati, populoq; Euangelium elucidet ex Leuitę Laurentij insigniore suggestu. Nec integrum fuit officio pręstito refferre pedem, qui in ipsa stadij emensuratione iubetur arenam proterere ab Circumciso Iesu ad vsque Purificatam Mariam: sed & exacta concione Magorum intercedunt Principes apud Ordinis Moderatorem, vt alio in eius locum substituto Cremonensibus Patribus, demum ad vsq; festa Paschalia campum teneat, & candentem amodo laminam animorum in meliores formas accommodet. Nimij profectò essemus, si vniuersa singillatim prosequeremur, quę gessit Orator eximius per annos fermè quinquaginta habitæ concionis. Compendium sit. Omnium omninò Religiosorum Dogma-

Dogmatum pręcones perpaucos fortè æquales, maiores certè nullos audiuisse Italiam nostram. Ab summis hisce Templis intonuit, ab Papiensi, Pisano, Casalensi, Rauennate, Regiensi, Cremonensi, Bergomensi, Alexandrinoq; vt interim taceam Archiepiscopales Ecclesias Neapolitanam, Genuensem, Mediolanensemue, in quibus exercuit omnes adeo eloquentiæ vires, vt nil vltra melius audiri posse profiterentur hominum confluentia millia. Lucensium ad Diui Frigdiani, Mantuanorum ad Virginis, Martyrisq; Barbaræ, Venetorum ad Duodecim Apostolici Collegij, Bononiensium ad Antistitis Petronij oppleuit aures, & pectora. Vrbium Vrbem, atq; Religionis Magistram nunquid remisit vacuam, aut suo fraudauit fęnore? Romanis primum anima fuit, spiritusq; animæ, quod Germanorum Templum est; vt vna omnes Orbis vniuersi Antistites, ac Proceres ibi degentes, & eò præstolantes, eademq, exagerata, & exorata charitas verè faceret esse Germanos. Secundum verò in Principis Apostolorum Principe *Vaticana Basilica* Summi Ecclesiastis partes impleuit; vtq; nonnihil adderetur singularis singularitati concionum eius, suggestum veteris eius structuræ vltimus ascendit, vt & merito in hoc quoq; dici posset, Opus finem coronare, optimiq; rationem habere. Summus ipse Hierarcha Clemens, quiete Pontificio concionatori dicta, non semel ab templo ad aulam auocatum audiuit. Transfretauit aliquando in Sciciliam, vt animos re ipsa pasceret, prout aures, opinionemq; fama pauerat Messanensium. Plurimam coronam latura iuditium curiositas manu quasi duxit ad Matris Ecclesiæ, quam dicunt, magnificam verè aream opplendam die primo cinerum capiti impositorum. Verum qui concursus mirus ante concionem Ciuitati habebatur ipsi, nullus post hac apparuit, cum frequentissimam Vrbem penè destituerent omnes omnis ordinis ciues ad Clepsydræ illius spacium, quo is orabat, vt ab ore suauissimo penderent dicentis; utq; imis pręcordijs reciperent immissa. Fructus par usquequaque diffusus est, isq; maximè emicuit in maiore hebdomada per largitiones pias extra omnem libram ad egenos, carceratos, orphanos, destitutos, captiuos fouendos, reducendos, ac redimendos. Post alia, atq;alia, cum iam iam pararet regressum ex insula, per nouam honoris speciem fit ei facultas, ut in aliam quadragesimam mittat ex Ordine quem parem ferendo oneri iudicet: non enim potis tam affecta Ciuitas alia promptiore uia mederi desiderio, quo abeuntem salutariter deperibat. Demum oppigneratam fidem ipse exegit per Eugenium Donosanam Carauagginum transmissum, atq; egregiè locum implentem. Sed inter tot, tantaue nil æquè fulget, atque id quod penes Sabaudię Regulum Carolum Emanuelem egit penè imparatus. Seraphinum Collinum Venetum Concionatorem pridem electum ab Mantuanis præstolabatur circa postremas bacanalium ferias Serenissimus ille, cum ex inopinato Taurinum

fermè attingentem sistit occasio, quecunque illa tandem. Quare ad Petri Francisci Maletti interpellationem succedit Celsus Mediolano accitus ab Visitationibus. Valuit porrò apud Principem omnicapacem quanri uix omnes simul apud eum exacti præcones. Minor horula illa erat, quam terrebat uerbi fidelis auditor nunc patulus, atq; totius aulæ, populiq; spectaculum, nunc semotus, & sequester solo filiorum stipatus consortio. Minor inquam horula erat, si illis conferatur, quas absumpsit allocutione priuata per aliquot uices. Ipse aliquando scisitantibus protulit, aliqua se pro genio desiderasse suo in ijs, quos pertractarat, concionatoribus: Dugnano Mediolanensi nihil defuisse ad uotum. Qua uerò instructus erat dexteritate, prudentiaq; Celsus ad omne genus rerum permaximè adiutus fuit stans super uias suas, & ingerens bona quidem, sed magè bono modo. Hippolitum Cacciam Nouariensem probum sacerdotem, quem socium induxerat, narrantem audiuimus, ab solitudine, secessuq; pręsidia illum multa tulisse, cum non omnium horarum vir esse vellet, sed & hoc vtique bono modo. Vigent adhuc, per futuraq; vigebunt tempora in augusto Diuę Virginis de Passione templo sacris appensa altaribus, sacrasq; ornantia aras in trophęi modum, quę idem Serenissimus ad eum Mediolanum vsq; transmisit donaria, Regię munificentię largitoris, summęq; virtutis largitarij tesserę non amissibiles, argentea candelabra, aureus calix & patena, vasa poculorum subgestoria cum vrceolis, atq; catino, quibus & Principes quoq; Viragines sua et ipsę addidere munera gemmas perquam insignes: omnia liberaliter ab ipso collata in amplificationem diuini cultus, sacrarumq: ędium apparatum. Extremos demum apud conciues officij conatus adhibuit cum septem verba declamaret, quę moriens ab cruce Redemptor vltima pronunciauit. Concionis innumerabiles lachrymę. dolores, amores, irę ab eius pendebant arbitrio, vel cum languentis Dei suspiraret affectus, vel cum ob scelera lutei figmenti transfixum lugeret, vel cum e fragrantissimo diuini pectoris vbere mellitissimum beneficiorum lac exprimeret, vel cum in vitia accerrimos distringeret declamationis aculeos. Tunc, si unquam maximè, deletis superstitionibus, amandatis criminibus, copiosos fidelium manipulos, quorum animas inimicus homo in seminata perfidiæ zizania penè suffocarat, in Patris familiæ horreum congregauit. Augustissimi Templi vni parietes vix capiebant numerum patritiorum, ac procerum simul de industria certantium super tumultuante populo, vt propiores suggestui occuparent sedes. Senatus ipse non semel dimittebatur infectus, vt Patres tanti Patrem tantum dicentem non omitterent. Quinquies ille quidem in patria dixerat per solemne maius ieiunium totum; & adhuc tamen esuriebant eius verba ciues pariter, & exteri, quæ & sapidiora videbantur mentis palato, quo antiquiora defluebant, delibantes illi sensa non voces.

In ictis

In ictis enim purus, candidusq; per iam factum habitum nil studij volebat, procul ab cincinnis, coma, & fuco: in illis autem euiscerabat adeo se, vt pro heroico reciperetur omne quicquid proferret. Iam verò quantus in Republica administranda fuerit inspiciamus. Annum agebat ætatis vigesimum octauum, cum itum est in suffragia eius primum conferendi magistratus. Præcocius quidem agebatur, laudabilium saltem consuetudinum repugnante tenore; sed cum ab inspectione donorum eximiorum, senilisq; iam iam prudentiæ erumperet maturitas vndiq; & disciplinæ feruentioris feuerissimum exemplar se præberet, dictæ sunt fermè pares sententiæ, & candelabro præfixus est dignitatis. Cādelabro illi præfixus est, super quo per annos penè quinquaginta resplenduit omnibus, qui in domo Lateranensi erant lumine diuite, indeficienti, amplo & perenni: atq; ideo aliquādo circa posteriores senij illius annos audiebatur per prouinciarū Canonicos vagās Patris Æterni nomenclatio in eum iocosa, lętaue, ad insinuandam fasciā eius circularē, nec interruptā durationē. Reperijt quidem ad ingressum in Cōgregatione potestatem minorum magistratuum vt plurimum triennem, maiorum vero annuam, Consulatus, inquam, Censuræue; sed triennio post quam ad ministerij partem ascendit, confuso ordine politico, vidit in prorogatione fascium mutata dignitatum nomina, imperiaq; dilata ad perenne uitæ Prælati cuiusq: curriculum. Quin & in eadem Prælatorum naui inuentus, illud idem mare enauigauit fœliciter per annos unum supra uiginti. Cum uerò, Seraphino Merlino præsertim enitente, perpetuitas illa sublata potestatis est, estq; ad pristinum tenorem redditum triennalis Prælationis; Celsum non contigit audire, sed proferre iussa, quoniam in sequenti conuentu dictus est supremus Moderator (Is fuit annus tertius huius ad quem tendimus centenarij) & in ressignatione muneris præfectus est Abbas suis Mediolanensibus. Interea temporis decernitur benè functis magistratu prorogari debere prouinciam, & hoc ad excitandam sedulitatem, charitatemq; administrantium, dum minus solertes in ordinem redigerentur. Hinc consequenter factum est, ut publicam nunquam ille personam exueritt atq; in hoc sensu optimè de eo dictum fuit. Enimuero licet à senioribus inuiolabili legum tenore sancitum esset, ne cuilibet religioso concederetur gaudere principatu nisi trium annorum spacio, quibus transactis suos alterius imperio submitteret fasces, disceretq; parendo benè imperare; ab hac tamen lege unanimi Patres consensu excipiendam esse Celsi uirtutem putauerunt. Et iure meritò: Quid enim irrepręhensibilis homo legibus subiaceret, qui non tam legum seueritate, quam morum integritate, non tam uerbo, quam exemplo cunctis præibat ad ueram iustitiæ formam? Quid alterius subijceretur imperio, qui expræssis suæ modestiæ uestigijs semper

calca-

calcauit insolentiam suis in occulis abiectissimus? Occidant, occidant alia Sydera, quæ aliquibus notata maculis, ut fulgeant, aliena indigent luce: at sol perpetuæ lucis parens in Cælo semper ducat astrorum choros, cum cæteris ab astris haud opus habeat illustrari. Præfuit Abbatiæ Pistoriensi, Pisanæ, & Casoretanæ annos duodecim, quaternis vnicuiq; attributis: Mediolanensem per annos viginti vno minus, & præposituram Brinatensem per biennium gubernauit. Quo item tempore in Æthruria detinebatur, prouinciæ eius Commissarium egit ad Marci Antonij Columnij Protectoris sensum quidem, sed Nouemuiris eligentibus. Censoream dignitatem Tertium tulit, Rouescala, Merlino, Viuolo supremis Moderatoribus. Clauo summo Præstes vigilauit per triennium eidem Merlino successor, à quo postmodum per diuersa studia iuit in ressignatione imperij, dum hic in Columbinum Aduocatum Generalatus sarcinam declinandam satius iudicaret, ille in Petrum Bonsignorium magè feliciter. Fouit autem Canonias suæ curæ commissas insigniter auctoritate, exemplo, dexteritate. Præter illa quæ disciplinæ iura tangebant illibatissima semper tam in se ipso, quam in alijs; splendorem auxit religiosæ politiæ, extimiue cultus omni prorsus conamine, & ab omni procul hypocrisi. In Passionis ędibus laborauit præ cæteris, quas nouo, & elegantissimo decorauit atrio à fundamentis excito, lucupletauit bibliotheca, auxit sexaginta marmoreis magnis columnis ad viridarij topiarium sustinendum, suntq; magnificentię vestigia non pressa leuiter ad exigui temporis commendationem, sed fixa ad memoriam eius vrbis sempiternam. Cum Visitatoris munere secundum fungeretur Colonia Canonica deducta est ad vsque ripas Larij lacus in Oppido Minaciensi eius potissimum industria, & dexteritate. Cinthius enim de Caluis patritius Nouocomensis cum illo serius agens, bonorum suorum, coniugisq; Catharinæ largitionem transegit pro monasterio Ordinis intra idem Oppidum construendo ad animas fidelium oræ illius omni ope iuuandus, & ad sibi ipsis tantam mercedem in ærarijs æternitatis reponendam. Quoniam verò pleraq; pium opus & diuertere, & nullum reddere coniurauerant; mirum est quanti Celsus laborarit, quamq; prudenter machinam gubernarit pedetentim inambulans, & re ipsa monasterij Passionis sufficiens quicquid inane apparebat, donec & Ecclesia in Diui Caroli honorem erecta est, & Prepositurę titulo per Congregationem attributo, Prelatus cum conuentu transmissus est. Certè in Actis Capitularibus anni 1615. ad libros, quos Rubeos appellant, ita exaratum legimus Rauennę sub die quartadecima Maij. Demum decretum fuit, vt à Capitulo Generali facultas Reuerendissimo Definitorio tribuatur erigendi in Titulum Regularem, & nostrę Congregationi incorporandi Ecclesiam Sancti Caroli Menasij pro natione Mediolanensi, cui peculiariter donata fuerant bona ibi existen-

existentia: & insuper creandi Superiorem Prętatum, ac administratorem dictę Ecclesię, & bonorum, qui sicut cęteri Pręlati vocem actiuam, & passiuam in Capitulis Generalibus habeat, gaudeatq; omnibus pręeminentijs, prerogatiuis, antelationibus, & iurisdictionibus consuetis. Sub die verò secunda Maij anni 1616. Ferrarię ita sancitum fuit. Cum superioribus annis Ecclesia Sancti Caroli Menasij, cum domo, ac quibusdam bonis in territorio Menasij à Domino Cinthio de Caluis donatis Congregationi nostrę vnita fuerit hac conditione, vt redditus dictorum bonorum implicentur, ac in vtile reducantur, donec integrè ex eis scuta quatuor centum singulo anno percipiantur: vel Monasterium Sanctę Marię Passionis Mediolani de suis proprijs redditibus ad summam dictorum scutorum quatuor centum suppleat pro alendis Canonicis, & Sacerdotibus iuxta intentionem donantis ibidem pro Dei famulatu residere debentibus, vt latius in instrumento donationis videre est. Ideo Reuerendissimus Abbas Generalis, & Definitores consenserunt, & concesserunt Reuerendissimo Patri Domino Celso Mediolanensi Abbati Sanctæ Mariæ Passionis eo sic instante, vt de Capituli sui assensu, & redditibus ipsius Monasterij Sanctæ Mariæ Passionis prædictam summam scutorum quatuorcentum suppleat, Ecclesiæq; & domui supradictæ Menasij dictas pecunias applicet pro alendis Canonicis, qui ibidem commorabuntur: & vt lites quam celerrimè finiantur, valeat prædictus Abbas Sanctæ Mariæ Passionis obligare bona dicti Monasterij sui pro soluendis debitis à Domino Cinthio relictis, ad id similiter Capituli sui assensu accedente. Decreueruntq; Ecclesiam prædictam Sancti Caroli Præpositura titulo decorare, prout præsenti titulo instituunt, & decorant: declarantq; supradictę Ecclesiæ Præpositum per ipsos eligendum gaudere voce actiua, & passiua in Capitulo Generali, omnibusq; alijs iurisdictionibus, auctoritatibus, & priuilegijs, quibus cæteri nostri Prælati gaudere solent. His alijsq; præmunitus donis, atq; promeritis decessit tantus vir anno vigesimo octauo superius transacto, cum bonum adhuc, florensq; senium diuturniorem polliceretur vitam annos natus plusquam septuaginta quinque, successore in officio Visitationis per Breue Pontificium Anselmo Semprerio ex Abbate Tremitano. Sublatus est tali omnium ordinum Ciuitatis Mediolanensis męrore, qui non esset assuetus dari viro cænobium professo, parentantibus illi procerum quamplurimis, innumeroq; populo. Laudatus est pro concione à Iacobo Maria ab Ecclesia ex clericis Regularibus Sancti Pauli oratore percelebri. Sobolem reliquit post se ex Mediolanensibus suis Ordinem professis numero claram, & sicut multiplicauit gentem, sic & speramus magnificasse lętitiam. Contemporaneos penè habuit Riccardum Crispum, Constantium Landrianum, Petrum de Magistris, Cyprianum Bisnatum, Basilium Serenium, Ludouicum Magentam, & aliquanto iu-

to iuniores Archangelum Campatium, Tiburtium Bossum, Ascaniumq; Ordeum viros diuerso titulo nostris laribus notos, quibus & præfuisse inter varia Reipublicæ nutantia munia non infima laus est. Supersunt ex eius penu

Sermones quinquaginta de septem Verbis Domini in Cruce, septem pro quolibet verbo, & vltimus pro omnium coronide, qui asseruantur cum alijs pluribus in Canonia Mediolanensi, quosq; propediem edendos confidimus.



CEL-

CELSVS FALEONVS BONONIENSIS.





AD easdem aras Deo, Virginiq; Matri sacras in Archipræsbiteratu Belliano adolescentes quatuor e sæculi faucibus subducti lineis Canonicalibus redimuntur vno eodemq; die Apostolorum Petri, & Pauli gloriosæ dormitioni solemni præpridie kal. iulias anni centesimi quarti ab sesquimillesimo, Ricardus Fabrettus, & Celsus Faleonus Bononienses; Ioannes Baptista Ceresinus, & is ille, qui hæc per Superum misericordiam commemorat, Cæsenates. Grandæuus Petrus Bonsignorius ea tunc præfectura fungens filios ex sacro ministerio adoptat præsente adhuc, instanteq: Aurelio Riccio Imolense Visitatore; adeo vt iuuet omninò memoria pias illas primitias refricare in quasdam ceu grates accepti beneficij. Porrò dispar eorum exitus in paribus vitæ regularis natalibus extitit, alijs alio per genium, electionem, & infallibilem prouidentiam addictis. Vnus Faleonus studia enixè secutus est, in illisq; abdi se pertulit, quorum contemplatione parum propitia compensaret syderum dona in ijs, quę actuosam respiciunt, vel ciuili administrationi suffragantur. Licet enim eis impar non esset, & inesset animo capaci habitudo digna, cuius ope coniectari posset bonam sui rationem redditurum in omnibus; retrograda tamen plura habuit, quæ aut non perperam sperantem abiecerunt, aut repressserunt à fiducia optati euentus concipienda. Non communis vocatio eius extitit, qui vnica proles mascula parentibus erat satis pro conditione instructis, & qui aliter de ipso disposuissent alacrius. Ab scholis verò pijssimæ Societatis Iesu ad Diuæ Syracusanæ elicuit vna cum humanioribus literis priora sensa salutis intra Religionem tutius querendæ. Elegantia morum, & corporis interioris elegantiæ exterius vadimonium, nec fallax, pręceptores obtinuit, vt ei suaderent, ponerentq; in votis Societatem; sed aliud loquebatur ad cor eius Deus salutarium nostrorum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Sub Herculis Mamellini primum, dehinc & sub Theodosij disciplina cęlestia irrigua hausit, quibus floreret verę, solideq; virtuti: atq; quoniam illi pręferebant facem vitę integritate supra quam explicari queat lucidissimam, non obnubilabat in eo annorum paucitas, quin exempla tenerioribus pręcordijs insiderent, & insigerentur, à quorum cultura

tura amputabantur sensim, & sine sensu quę minus fuissent è dogmate, si in vlteriora tempora processissent. Visitata Virgo ab Cognata Elisabeth excepit eius, ttiumq; sociorum solemnia vota post assuerum anni curriculum inter lachrymas vtriusq; parentis nimia dilectione diffluentis, sub quorum prouocationibus, & acriore pugna, vt ad priorem reuerteretur Ægyptum, rupe qualibet firmior illuxit. Ab exitu consumati sacrificij, & obsignati cum Deo, & Congregatione contractus in patriam regreditur ex Pręlarorum condicto, vt Montanæ Canonię sequens tyrocinium poneret, disciplinarumq;stadium adoriretur. Ex Bartholomęi Giroldi Prioris interpretatione argumentandi artem, quam parua Logicalia dicunt, edidicit, excoluitq; & aliquando Petrum ipsum Bonsignorium Abbatem profectum eius, & condiscipulorum enixè zelantem audiuit Porfirium interpretantem. Quis verò non obstupuisset tam grandem magistrum ad tam exilia descendentem omnibus omnia factum, vt omnes lucrifaceret? aut quis adeo stolidus tanta luce pręambula tenebras sophismatum, nebulasq; dialecticorum turbinum non diluisset? Post hęc Bonsignorio ad Generalatum assumpto Faleonius in portuense deducitur Lyceum philosophica prosecururus auditor Augustini Venturę Astensis inter eius scientię professores valdè clari; atque hinc demum transmittitur Patauium, vbi per annos sex prędicatoream cudit cum Philosophis, Theologis, ac Iuris Canonici professoribus. Aristotelem interpretabatur ad eius accessum Paulus Bellonus, Magistrum Gabriel Pennottus, Sanctiones Pontificum Marcus Antonius Ottelius: sed in horum locum postea successere Octauius Liuellus, & Michael Angelus Parpalioneus ex nostris. Qui tunc melius audiebant ex auditoribus admittebant numero Faleonum reciprocantem certamina scholastica, & de ingenij obolo nihil deperdentem, vt denarius eius ę qui ponderis, ac valoris ęstimaretur. Ea propter in Comitijs renunciati Generalis Maletti stat pro dignitate Ordinis vna cum Celso Gratiolo Ancouitano, & Calixto Firmano ad cathedrę tutellam propositis thesibus aduersus eruditos impugnatores in pręclara Portuensi Basilica. Facultate tum demum insignitur interpretandarum scientiarum, & annunciandi Euangelij; sed ex adhuc imberbi vultu pertimescens affuturum plus admirationis, quam auctoritatis apud populos, diuertit non ineptè gymnasio habendo ad Sanctam Crucem Cæsenatem ab ipsa Perhiermenia, Prioribusq; Resolutorijs exordia sumens, quæ & anno sequenti apud Pistorienses prosecutus est. Hoc idem antea præstiterat dimissus ab Dieta Vicentina cum multo pluribus, quam per seueriora iura liceret. Per biennium enim apud Bugellam, & apud Regium Lepidi duodenis profitentibus Aristotelem fuerat interpretatus. Cessissent vtiq; labores in bonum, si prudenter inchoatis perseuerantiæ donum adiecisset; sed siue suo, siue alieno lapsu ad alia digredi

malluit

maluit. Pomeridianas conciones annuas in Montana Basilica habuit, vt & alias in Reatina, atq; Imolensi Matricibus vbiq; gratus. Oras Insubram, atq; Pedemontanam per aliquot annos incoluit, habuitq; regionis Patres recepτores fauorabiles, quibus vicissim posuit non inutilem, nec indecoram operam nunc Vicarius in Sancti Iusti Præpositura apud Secusinos, nunc Rector Pontesturanis in Montesferrato. Concionibus valuit in gente docili, præsertim verò in ciuibus, & cum finitimis Secusij: quin & aliquando adauctus est merito conciliatorum cum Ecclesia hæreticorum, qui ex conterminis vallibus Ciuitatem conuenientes ad annonam, & nundinas nacta occasione irrepebant alloquenti catholicos. Vt autem veritatis splendor lucidissimus est, verbumq: Dei nunquam frustra exit, aliqui se facilè deceptos ab impijs administris agnoscebant, mendatijsq: pluribus circumuentam eorum facilitatem ab impurissima scoria transfugarum, aliqui non sine disputatione nodos definiebant priuatim doctorem adeuntes, qui tali catechismo cumulabat dicta, diluebatq: dubia, vt manum veritati darent, atque eorum dracmam in Domini gazophilacio ille conferret. Illinc profectus Spoletanis Canonicis Diui Martyris Ansani Prior datur cum annexa animarum cura, quam exercuit ad plenum nobilis paræciæ exemplum omnium horarum adeuntibus ingenijs factus magister, & consultor. Plus semper negotij habuit, quacunq: tandem ex causa, ab ijs, qui secum dulces capiebant cibos, & cum quibus in domo Dei ambulabat cum consensu, quam ab exteris. Repedauit demum ad Bononiensia Monasteria suis quoq: operam impensurus, & domesticis sanguinis opem allaturus, qualem ab religioso expectare liceret. Bellianum præposuit cæteris tanquam ab omni strepitu magè remotum, atque ideo aptius studiorum laboribus, & eò maximè quod delectaret piam animam idem ille locus, in quo se primum Deo manciparat, & à cuius quasi parietibus aura salutaris efflaret omnem sanctitatis suspirandæ, & anhelandæ memoriam expergiſſens. Non sine præmonente intrinsecus numine domicilium huiusmodi electum videri potuit, cum postea vndique conflagrante Ciuitate, agroq: Bononiensi ob pestis flammea iacula, atq: omnibus præsentissimo mortis horrore, terroreq: perculsis, Castrum, Monasteriumq: illud illibatum ad certissimas Virginis Matris preces seruatum est. Ibi sequentia scripsit

Irim Sacram de Mariæ Virginis Sanctiss. laudibus italicè. Ad Ludouicum Bonfiliolum vtriusq; Signaturæ Referendarium, & Bononiensis Ecclesiæ Canonicum, ac Generalem Visitatorem. Bononiæ apud Clementem Ferronium anno Domini 1631. Lib. I.

Prospectiuarum Historicarum Sanctæ Ecclesiæ Bononiensis, & Sacrorum eius Antistitum. Lib. viij.

CELSVS MAPHEVS VERONENSIS.



ERTIVS ex nobili Mapheorum ſtipite Lateranenſibus Reformatis adhæſit poſt ſeniores Paulum, atq; Timothæum Celſus, vt ſi aliquando de antiquorum more tribus veluti Gratijs nobis litandum per allegoriam eſſet; illi tanquam Euphroſini offerremus coronata dona. Cæteris quidem tempore poſtremus; ſed merito, atq; virtutibus nihilo diſpar florentem iuuentam cum illis præſefert in nepotum grata memoria; & ſi extremo ſenio ęquè, ac alij duo, atq; præ illis prægraſſatus exceſſerit. Decet enim Gratias iuuenta florere, atq; pares choros, choreaſq; caſtas ducere. Morum ſinceritas, haudq; fucata virtutum probitas nuditatis cuiuſpiam vicem repræſentant, in qua lacteum puritatis candorem, ardentemq; charitatis purpuram admireris. Pariformis in Reipublicæ adminiſtratione methodus, & quaſi per traditionem ſucceſſiuè demandata, manuum viciſſim annexarum cathenatos nodos exhibent. Habes Gratias Venere non terreſtri, & impura, ſed cæleſti, atq; diuina, Lateranenſi Congregatione genitus. Habebis & Parcas non crudeles, ſed mitiſſimas Clotho, Lacheſin, & Atropon, ſi ad Platonis in Decimo de Republica figurationem, ſuſum compoſueris adamantinum Ordinem Canonicum eſſe, Neceſſitatis Deam Eccleſiam Sanctam Chriſti ſponſam, inter cuius genua ſuſum repoſitum agnoſcas; quem dum Parcæ iſtæ incontaminato labore voluunt, Syrenum puriſſimarum voces, Scriptorum nempe, ſuauiſſima modulatione concinentes obaudiuntur. Vtinam inter iſtas, & gututi noſtro piè ſtridulo locus aſſignetur. Fruitionis exordia auræ huius Celſo Veronæ contigere de Anno quintodecimo poſt elapſum milleſimum quingenteſimum Orbis Redempti, ſub illuſtris nobilitatis prærogatiua, ſecundum quam præuia diſpoſitione ab plebeis abdicaretur operibus, qui ad magnificè pertractandum Euangelium per ſupernam conſtitutionem eligebatur. Dum vagiret infans inter faſcias, & cunæ lallatus, vagiebat & exordia ſuæ Reformationis Frigdionaria Canonicorum Congregatio, quæ illi in matrem, atq; ſponſam ab ſuperno cohalitore enutriebatur. Vagiebat, inquam, ſub longiore infantia, quæ ætate æuiterna victura ſolidabatur, dum non adhuc Synodorum Generalium firmiores cibos mandaret; ſed tantum lac puriſ-

ſimum

ſimum directionis Priorum Frigdionariorum cæteris Moderatoribus localibus Prælatorum ebiberet. Ea propter diſpari diſciplina, ſed pari progreſſione vtriq; percurrere vſq;ad annum trigeſimum octauum illius ſæculi, qui Congregationi erat initiationis reformatoriæ trigeſimus ſeptimus, Celſo uerò ætatis vigeſimus tertius; tum enim ab ea in filium adoptatus eſt, Oroſio de Oxio Mediolanenſi, qui eorum dierum Rector Generalis imperitabat, adoptionem firmante. Diſpar diſciplina, ſub qua creuerant, contractum haud impediuit. Nam & ſi Celſus in ſæculo dies abſumere inter equeſtria ex natalium conditione cogeretur firmè, atq; proinde laxiores ſemitas proterreret; tamen ſuoptè genio Religioni propenſus multi locum dedit in animo vtriq; tempori belli, atq; pacis accommodis. Atq; hinc pares illorum progreſſiones obluxere, dum Congregatio multiplicata per Canonicos, dilatata per Canonias in poſtremè obtento Patauino Collegio Diui Præcurſoris de Viridario ſeptemdecim ſtationibus agmina firmaſſe inueniretur, Cælum vim patiens, violentiſq; peruium expugnatura; Celſus verò in Rethorum, Poetarum, & Dialecticorum officinis multiplici, & egregio mercimonio inſtructus, haud iniquam, & abſonam ſibi redderet adoptionem. Clementina Synodus apud Venetos coacta fiendæ filiationi aſſenſum præbuit, relatore communium vtriuſq; partis deſideriorum Timotheo Mapheo Canoniæ Montanę Veronenſi tum temporis Præfecto. Hic enim vt erat inſigniter animatus in omnem Congregationis progreſſionem, quam laborioſo quoquo ſudore in Dei gloriam moliretur, præſertim circa annunciationem Euangelij in populos; iuuenem ſibi conſanguinitate coniunctiſsimum, pluribus corporis dotibus florentem, potioribuſq; ſtudijs per animi qualitates animatum cernens, nouis ſui dogmatis nexibus colligandum duxit. Haud opis fuit ſuaſionibus rem vrgere. Eſcam namq; diſpoſitam ſalutaris ignis inuenit, quæ in flammas ſtatim crumperet: & ſi quid humoris adhuc in ea exſiccata per leuem ſpiritus auram ſęculo vigeret, ille omninò per candidas, piaſq; lachrymas gemaret, fumaretq; eſca poratione per chara,cordataq; ſuſpiria ad ſolam ipſam ingrediendi Ordinis propoſitionem. Præſſerat diù hoc idem operis Celſus alto ſub pectore, qui domeſtica exempla, & fermè Penatum propria Pauli, atque Timothæi inter ſumma animi gaudia obſeruaſſet, quanti animarum lucra curarent, quanto virtutum prorogargaro ſuauitatem efflarent, quamq; eximiè ob ſacrum declamationis munus commendarentur. Verum propalam ſe gerere minus audebat, qui & patrem auerſum hæſitaret familiæ incubantem decori, & fulcimento per numerum virorũ ad omnem laudẽ ſoboleſcentium,& per ſęculi ſiue militaria ſiue togata munia:quiq;nec ſatis ſperaret Cõgregationẽ vni genti tertio ingreſſum permiſſurã, dũ ſuperſtites duo priores adhuc vigerent,& florerent. Addebat tentans aduerſarius opuſque

impe-

impediens natiuum eius ardorem, sanguinisq; vehementem ebullitionem haud esse Ordini cuiq; Ecclesiastico formatam, quorum pariformis ritus est, vnumq; ex fundamentalibus decretum, atq; vnisonans conuenientia pacatos animos, sedatosq; spiritus seeligere, & admittere, qui vel compositione animi alijs vigerent, vel frigiditate sibi ipsis tabescerent indigno marcescentes otio. Respublicas huiusmodi pacis tantummodo arte florentes in vnius aquirendi Cæli prætextu, & sub lato palio innoxij cultus Numinis exo sos semper, vel saltem suspectos spiritus efficaces habuisse, tanquam rerum semper nouarum molitores, atq; in aliorum sententia minimè conuenientes. Quare sermocinante Timotheo, Religionemq; proponente Cælum sibi aperiri visum est, atq; ita serenari mentem, vt profectò intelligeret Numen adesse, & summo misericordiæ eius fauore ad electorum cohortes, si perseuerantia in bono adsit, postulari. Contigit eadem memoranda die nostro indumento obtegi, qua humo obtectus est Sanctissimus ille Reformationis Promotor, & Parens Leo de Carate. Quasi prouida Superum miseratio ad vnius abreptionem ex humanæ carnis conditione morti obnoxia, alius superinduceretur tantas vices expleturus: atq: dum ille metam contingeret, brauiumq; acciperet, iste stadium cursor teneret emensurus ad idem. Profectò idem fermè temporis momentum duplicem dedit natiuitatem, dum vtrosq; peperit illum Cælo, hunc Ordini, vt ille prece protector esset in termino, hic opere actor in via, amboq; pariter sanctos profectus promouerent inuisibiliter vnus, visibiliter alter: & qui prior Leo decedebat ex charitate ambustus in nidulo suo, quasi Fęnix sub isto posteriore iuuenesceret, atq; vt palma multiplicaret dies. Exuuias innocentes Cæsenatibus ille reliquit in pignora gloriæ stola superuestitus; hic Veronensibus sagrum sæculi dimisit, vt prætextam Religionis induceret, clauum aliquando, trabeamq; superinducturus. Prima rudimenta subijt in eodem Montano patriæ Cęnobio sub domestica ciuium Concanonicorum disciplina dum militaris furor repentè excitus sæuiret in Vrbem, de illius imperio decertantibus Vicecomite, atq; Veneto. Paulo post in Viridariano Lycęo Timotheo auditor datus est Theologos, atq; Philosophos interpretanti. Sexennis omnem traductum humorem ad radices firmandas transmisit, in arborem formandus ad quam aues Cęli confugerent; ideoq; sub silentio palam sterilitatem promebat virescentibus tantummodo folijs, atq: corticce, & ad summum apparentibus quandoq: flosculis, quos pruina præcox non decoqueret. Sed cum ineunte anno septimo sui stipendij ab Simone Aliprando Generali inter Doctores (quos vetere nobis, & remissione, vocabulo Prædicatores ab potiore illorum officio nostri apellant) adscriptus est, atq: relatus, veteranorum militiam, atq: virtutem expressit. Non de more rerum omnium aut lentè, aut debiliter se pulpito encæniari permisit.

San-

Sanctorum Duodecim Apostolorum Ecclesiam cum primis apud Venetos Patres celebrem prima aggressione tenuit, tanto vtiq: nisu in ea quadragesimatus, vt inde Murales, Obsidionales, Rostratasq: corollas reportarit, qui & Principum Nauarcorum nonnullos palam deficientes ad gremium publicę pœnitentię retulerit, & vallo muliebrium pomparum superato, per exageratum, & exprobratum luxum diabolicam obsidionem ab inclyta Ciuitate soluerit, atq: fugauerit ea beneficij perennitate, qua postea fulsit ex parte aliarum exemplar, reuocatis ad viridem obseruantiam antiquioribus Senatus consultis. Annus ille exorsę eius prædicationis, atq: assecutę doctorę Annalibus splenduit inter feliciores Ordini locandus, & enumerandus. Canonicos nostros in pacificam possessionem Patriarchij Sacratissimi Lateranensis antiquę Auorum hæreditatis repositos post innumeras profligatas contradictiones vidit per æternæ memoriæ dignissimum Eugenium Quartum Ecclesię Sanctę Principem, Christi Saluatoris Vicarium, expedito etiam bulliplumbio, quod est Regale, & sacrosanctum irrefragabile decretum, ab Purpuratorum Patrum Collegio subscriptum in Senatus consulti formam. Abbatiam Calenensem inter Apulos insignem quondam diœcesis Sypontinæ Congregationi vnitam agnouit: adeoq: exuberarunt in eo amica bona, vt factus Ordo sibi ipsi incapax coactus fuerit reijcere Monasterium Sancti Florentij intra Perusiæ mœnia ab ciuibus oblatum, atq: Abbatiale Cænobium Diui Columbani propè Bobiensem Ciuitatem inter Insubres. Confluere porrò videbantur tot fauorabilia bonę progressionis pignora, velut omen speciosum quoddam eorum euentuum, qui sub viri promoti, & maiores prouincias tum primum aggredientis gubernio maiore fieri debebant. Ab tanto huiusmodi prædicatoreorum exordiorum crepundio animatus, latius in ipsa experientia recognoscens, quæ talenta fuerint à superno Patrefamilias sibi partita, fideiq; demandata suæ; vt in eis operaretur omnimodè omnem ferè Italiam successoribus annis lustrauit indefesso laterum robore, lati pectoris sonitu, ac solida sonoraq: voce vitia cuiuscunq: ordinis insectatus. Spiritus Dei, manusq: excelsa operanti aderat euidenter, siue vitam eius ad virtutum exemplar componens, siue aliorum, & in his potentum maxime etiam si acriter obiurgatorum, animos capiens, & concilians. Sub initijs satis illi beneuolentiæ comparauit, & optimæ expectationis magni Timothæi clara,& vndiq: vigens,florensq:memoria. Dum enim Patrem Mapheum Canonicum Regularem ressonarent hominum ora: vtiq; Angelicam tubam illam suspirabant, aut non absimilem fore iuniorem istum sperabant, & expectabant. Euentuum claræ accessiones ab se solo pendere, & ab proprij tantummodo nominis aquisita diffusione docuerunt. Annuos labores dedit Quartum Venetis sui, Tertium Ianuensibus, ac Bononiensibus. Quadragesimari vero pluries in eodem

dem loco nequiuit,hinc inde distractus ab diuerso cõquirentium Procerum studio. Vna ipsa Vrbs Orbis Domina, Fideiq: domicilium terna Quadragenaria curricula sibi reposita voluit vno id demandante Summo Sacrorum Antistite. Decennis iam in opere salutem animarum vrgebat,cum in Congressu Ferrariensi renunciato Generali Rectore Timotheo consanguineo, ac præceptore Primum, Collega illi adiungitur ad Censoream assumptus facultatem vna cum Aurelio Placentino, Tito Nouello Ferrariense, & Ioanne Baptista Lucense. Ab sextodecimo vixdum anno illum Congregatio possidebat, cum tantam sui ipsius partem illius fidei committendam est rata, qui triennali tantummodo administratione gubernationis iecisset tyrocinia. Sed quæ Mater alma coronabat retributionibus huiusmodi veram virtutem, fructusq; veræ vitæ gignentem haud respiciendos arbitrabatur dies nimium quandoq: vel seros, vel præcoces. Neophita Visitatione tum primum ille Congregationem vniuersam adiuit lubens: opportunè factum prædicans vt eodem Magistro,& duce methodum religiosi gubernij etiam adiecta praxi addisceret, quo in scholasticis vtcunq; profecisset vsum esse gloriabatur. Tenuit vtiq; quod sperabat, sed per amaritudinem animi. Nam prorogato adhuc in annum omnibus imperio in eos difficultatum nodos inciderunt, quos neque vngue, neque dentibus soluere, neq; in morem Gordij veteris gladio prudentiæ partiri quiuerunt, quod fata illum ex chalybe, vel adamante nessent in stamina, constipassentq; aduersus incisionem amuletum. Nicolao etenim Quinto Pontifice è viuis sublato, qui Eugenianam Constitutionem de Patriarchij Lateranensis per nostros possessione adhuc titubante firmauerat, Calixtus Tertius Borgia Valentinus Hispanus subrogatus, vt rem gratam gereret Romanorum nonnullis, in speciem seditionis componendę. Statuta per Sanctos immediatè prædecessores abrogauit, & per vim nequissimam sedeuacante eiectos innocenter ab improbis externos ab declarata iam hæreditate fecit, restitutis in eadem Ecclesia sęcularibus Canonicis. Et quamuis illum facti pœnitere cogerentur actus sequentes, vt idemmet se facturum aperuit; non tamen ad priores terminos rem tantam restituit ad paucos dies vita superstite. Iactis ergo administrandę Reipublicę fundamentis inter egregias prudentissimorum virorum consultationes, praxes, & monita, quam superstruxerit deinde ęternitati molem Posteri vidimus, & admiramur. Tenuit raro inter nostros homines successu Supremam Ordinis Præfecturam Octauum interiectis semper inter læta tristibus. Anno sexagesimo tertio illius sęculi Primum Rector Generalis acclamatus fuit in postrema resignatione Aurelij Placentini apud Rauennates in Portuensi Collegio, Octauum verò in Synodo Placentina substitutus Archangelo Vicentino. In diuturno illo triginta annorum spacio Sexdecim Canonijs dilatatam hinc inde Congregationem vidit

vidit, & qui incrementa ſpiritualium illius bonorum ſolertisſimè apud ſubiectos perurgebat exemplo innocentisſime vitæ prælucens, & anteambulus ad laborioſa, & ſeueriora diſciplinę; cum paucis etiam proceribus temporales accretiones curabat, vt meritò, atq; numero dilatati, potiora animabus ſubſidia, inſigniorefq; ſuppetię adminiſtrarentur tam ex pulpitò, quam ab exedra auriculari. Prior eius Præfectura gemellum enixa eſt partum. Apud Piſas Ætrurię Canoniam Sancti Michaelis Diſcalceatorum nuncupatam cedente Ioanne de Alcis commendatario Abbate, intercedentibusq; pro Ordine Magnificis Mediceis, atq; templum à fundamentis in nouam, & ampliorem formam reficientibus. Intra mœnia Firmanę Ciuitatis in Piceno Collegium Sanctę Catharinę, & Sancti Marci de Riuocellis antiquum Canonicorum Regularium hoc ipſa ciuium pietate curante. Regienſe Monaſterium Diuę Virgini Gratiarum dicatum ſub eius ſecundo Rectoratu noſtris ceſsit in perenne monumentum eius virtutis, & auctoritatis. Nam cum illud à fundamentis excitaſſet magnificè vnà cum adiacente Eccleſia Philippus de Zobolis nobilis Regienſis Epiſcopus Comaclenſis, & Abbas Sancti Proſperi in eadem Ciuitate Commendatarius, illudq; locupletaſset ſuppellectile opportuna ſacrorum voluminum, vaſorum, & veſtium; de perpetuo illi attribuendo ſeruitio grauiter excogitare cępit. Præpoſuit autem quibuſcunq; conſilijs noſtri Dogmatis accesſionem. Cum nanq; diuturniore indagine, acrioreq; ac intimiore ſcrutinio ſatis obſeruaſſet viam laudabilem, innoxiamq; ſociorum conuerſationem inter quęcunq; mixtæ vitæ exercitia; decreuit omninò vtiq; locum in perpetuam illorum poſſeſſionem transferre, & elargiri, plenè ſibi ſuadens inter quæcunq; Regularia inſtituta nullum planius extare, aut frugiferum magis populo, aut peruium magis nobilitati diuino ſeruitio ſtrictius adigendæ. Verum quoniam ad ſuſtinendos Canonicos ex prouentibus Proſperianæ ſibi commendatæ Abbatiæ florenos ducentos auri in tot bonis immobilibus aſſignare volebat, idq; exequi nequibat abſq; Apoſtolico beneplacito; quamuis pluries Beatam Sedem ſupplex in id exoraſſet, nuſquam tamen, vt ſibi præſtaretur aſſenſus obtinuit. Adhibuit hinc comprecatores primum Ciues ipſos, atq; deinde interceſſorem Ferrarienſem Ateſtinum Regulum Ciuitatis Dominum; ſed incaſſum vtrunq: tentatum eſt, nihil eorum approbante Paulo Secundo ſeueriore Pontifice. Vni eloquentiæ Maphei Rectoris, & optimę opinioni, quam de virtutibus eius Summus Hierarcha conſeruabat ab biſſo vſque, Cardineaq; purpura, expugnatio hæc reſſeruabatur. Hic enim cum poſt aſſumptionem ſuam Romam adijſſet, Pontificijſq; ſtetiſſet pedibus emergentia, pleraq; officij peracturus, inter cætera propoſita, negotium etiam Regienſe commemorauit. Super quo cum ſibi fuiſſet differendi facultas facta, molliter primum pertentans auerſam, acriter deinde perurgens

gens inclinantem Summi Principis voluntatem; tandem sibi, negotioq; cõciliatam omninò reddidit. Quare præstito præter spem omnem assensu, obtinuit etiam sibi dari executoriales ad Bononiensium tum temporis Præsidem Anconitanum Episcopum, cuius ministerio in exoptatam diu hinc inde possessionem imiteremur. Cum sextũ quoq; præsideret, primitus adita possessio est Collegij Mediolanensis Sanctæ Mariæ de Passione, quod Daniel de Biraghis Patritius Mediolanensis, & Prothonotarius Apostolicus à fundamentis excitauerat in suo fundo, & viridario, atq: dotauerat. Neq; debilitas redituum satis vtiq: tenuium, piam Generalis mentem excussit ab adeundo loco, cuius cordi altius impresa esset Ordinis per angustias propagatio, in qua iuuandorum proximorũ vtcunque spes affulgeret, quam præpinguis quælibet in aquisitis pedum fixio immobilis. Exilia enim rerum quarũcunq; exordia esse tenebat ab expertis, ab lectis. His consimilia, pleraq; produxere viri solertissimi, pariterq; pijssimi tot vicibus repetitæ cæteros supra quosq; prælationes. Et quæ sub auspicijs eius terminari nequibant, successorum prudentiæ, & auctoritati sic reseruabat absoluenda, confectis semper rerum quarumcunq: libellis, & commentarijs; vt nihilo clarius aduersantia elucidari, tolli, fugari, retundiq; posse appareret, quam per exactas eius instructiones, solidaue consilia. Quid verò non acuisset ad omnem perfectionem plusquam quinquagenaria Reipublicæ gubernatio, dum nullibi quiescere absque præfectura alicuius Canoniæ in annis Generalatuum intermedijs permissus est. Neque ideo ab declamationibus habendis per quamcunque occasionem sibi clementer indulsit, donec Quintùm clauo præfectus est. Tum enim senio prægrauante ferè septuagenarius, supremam ex pulpito benedictionem Cæsenatibus nostris, quibus euanzelizabat, impertijt. Ex perseueranti autem labore illo apud omnes populos conspicuo fulgebat nomine inter paucos ex primis Ecclesiastum exactissimorum enumeratus. Ab Summis Sacrorum Regibus sæpè ad venerandas Infulas admittendas inuitatus liberaliter, & magnificè, se Ordini sic alligasse voto solemni asserebat, vt Episcopari nequiret ex voluntate, nisi per summam Congregationis iniuriam, per inexplicabileq: animi nephas. Solutioribus, & expeditioribus diuinos Ecclesiarum fasces committendos. Neque tamen per vim imperij cogendas esse voluntates, vt tanto subirent oneri: quippe quæ ex secreto cordium, ex genij propensione, ex intimaq: vocatione non illucescente plenius sibi ipsis înotescerẽt, quam alijs. Ab Innocẽtio Octauo ad domestica colloquia admittebatur tã auidè, tamq: frequẽter, vt in veneranda eius canitie seriò ratiocinante super propositis, plurimum sibi animum aperiri, & subleuari profiteretur. Mulam ab eodem ad peragendas visitationes plus ingestam, quam dono acceptam, expleto munere restituit: haud vltra sibi necessariam fore asserens, qui

impe-

imperio magis aquieuisset, benignitatiq; indulsisset, quo suo ipsius commodo. Ternis generalibus fluctibus, potentissimisq; procellis agitata est Congregationis nauicula eo viuente, & ex parte ad clauum sedente; per quas ferè naufraga extremam subijt aleam. Primum cum ex Laterano portu per scelestissimos Boreas, inflatissimosq; Euros ad certam naufragij perditionem terno impetu pellimur; atq; bina nauigatione ab auris cælestibus, placidisq; Zefiris Condulmerijs, & Balbis reducimur, repetitaq; statione firmamur. Ad cuius demum tempestatis superandos anfractus, & vortices Sixtus Quartus de Ruuere sartatecta decernens rationes, iura, immunitates, fauores, gratias, priuilegia, nomen, atq; titulum Congregationi in perpetuum; possessionem ipsam, actualeq; diuinorum in eodem Patriarchio ministerium, & exercitium, sæcularibus Canonicis relinquendum, ab illisq; retinendum statuit: mare magnum nostris concedit, Ecclesiamq; almæ Virginis de Pace ab se constructam largitur, aliaue permulta dolorem iustum lenientia beneficia confert eodem Celso Tertium Ordini Rectorante. Secunda generalis nutatio acta est ab feruido impetu nonnullorum ex venerabili Heremitano Instituto scriptorum, Ordini Canonico acriter insidiantium, super assertionibus præsertim duabus vniuersam machinam erigentibus, Diuum Patrem Augustinum Heremitarum institutorem extitisse, Sermonesq; ad fratres in heremo conscripsisse. Aduersus hos autem nauticam paginam sic extendit, tractauit, elucidauitq; Celsus, & cum eo alij non nulli nostri Dogmatis; vt non modo Cymba portum salutis tenuerit, sed etiam Sixto ipso Pontifice decernente alienas iconographias ignis iudiciarius ambusserit, syrtesq; ac scopulos in nauigatione supernatantes cauendos ostenderit. De hoc autem latius in Eusebio Corrado, Dominico Taruisino, & Augustino de Nouis. Tertia demum concertatio excita est ab zelo Benedictinensium Monachorum Congregationis Cassinensis, qui omni conamine nitebantur obtinere, Monastico suo Ordini primum locum inter cæteros quoq; cætus religiosos Militantis Ecclesiæ, & signanter super Lateranensium Canonicorum Congregationem omni iure deberi. Quo in religiosæ dignitatis discrimine sedando, sæpius inita fœdera inter vtrunq; exermem ferro, sed calamo armarum exercitum, sæpius excogitatæ vtrinq; communis quietis conditiones ad omnia submouenda scandala, vt ex epistolis Matthæi Bossi ad eundem Celsum, & alios datis eleganter liquet. Verum cum tandem Monachi ipsi nullo pacto flecti potuissent, vt à lite cæpta desisterent, sed in id tandem mentem firmassent, se paruifacturos superarentur ne, an superarent ipsi, neque prouocaturos ab ea vnquam sententia, quæ prima manasset; sed tamen sibi ipsis opportunum omninò videri, vt demum iure discuteretur (sententia enim per omne futurum tempus, vtrisq; Ordinibus pareret quietem, & pacem) ad extrema perurgenda ventum est.

Quare per multā auri copiam adeuntes Monachi Iurisconsultorum opem, ab nonnullis Italicorum Gymnasiorum Collegijs Responsa, Consiliaq; obtinuere stylo conscripta acerbo nimis, liuorisq; pleno, quæ cum impressoria arte in multorum manibus essent euulgata, inculpatę tutelæ munere responsionem ab nostris calamis extorsere, adeò vt in latiorem flammam ignis excreuerit. Vnus ipse Celsus inter alios, vt zelabatur præ cæteris materna iura, luculentum opus composuit sex libris distinctum, quod & AntiMonastichon attitulauit, in quo controuersiæ statum, meritumq; ita digessit, vt aduersariorum certè obturaret ora. Pręstat refferre ex integro iudicium, quod de illo tulit Matthæus Bossus in Epistola 223. ad Augustinum in hæc verba. Post consultationem non paruam inter huius nostræ Prouincię Patres, ex quorundam sententia Celsus noster non indiligenter rimatus est quicquid contra nos pro Patribus Monachis togata quædam Consultorum Collegia commentata fuere. Qui& adiecit animum contra rescribere, & refellere multa, quæ illi insigni mendacio, aut vafra calliditate sunt commentati. Operi nomen AntiMonastichon dabitur. Qui mirum est quam repente, sciteq; uerum à profunditate omni eruerit, & quanta quidem luce, & copia sacrorum Canonum, Historiarum, Priuilegiorum, & totius deniq; Iuris, Scripturæq; Diuinæ dignitatem nostram illustret, & tueatur. Quæ inuenta subtiliter, & abundè collecta Calchographis tradere cum meditari mihi uideretur, illum hortatus sum impressionem tardare, quoad tecum posit de re ista tanta conferre, cuius callenti, acerrimoq; iudicio uigilata hæc lucubratio & surgat, & publicum petat ualidior, atq; limatior, uel prætermittatur omninò. De me uerò hoc tibi testor, grauiori uix ullo mœrore potuisse cruciari, atq; disrumpi: quippe quod cum ijs rixari cogamur, quos semper coluimus, ueneratiq; sumus, & inter quos paruo ego neque studio pacem seui, Romæ pręsertim, ibi tractans publica nostra negotia. Sed commune malum, quod serpit vbiq; liuor, atq; ambitio sopitum diù rursus excitauit incendium, quantum neque vllæ etiam sanctorum hominum lachrymæ possint extinguere. Indignum, & turpe (vt sæpe videtur) iniuriam ferre, sic quoq; est ignominiosum referre. Quare quoquo me verto, doleo, confundor, erubesco, quod inter tam claros Christi discipulos, & humilioris vitæ professores tanta sit orta de prælatione contentio. Hæc quidem ille. Sed quia Sacratissimo Pio Quarto controuersia ab Cælo dirimenda reseruabatur; ideo in plusquam septuagenarias moras per interiectos diuersos obices protracta est. Interim Celsus vltimum de anno nonagesimo septimo illius sæculi functus adhuc munere visitandi, vel inuitus Congregationem vix nonagenario minor, decrepitatis tamen, quin, & senectæ vitiorum penè ignarus tertio Anno post sæcularem Millesimum Quingentesimum spiritum innocentem, & operosum Creatori Deo reddi-

dit

dit Veronæ inter Ciuium, Concanonicorumq; lachrymas, & suspiria. Beneficia plurima quibuscunq; particularibus à se moderatis Canonijs contulit, præter superius enarrata Ordini vniuerso præstita. Rem quidem Cæsenatem egregiè promouit, vt clarè colligitur ex Libris computorum, & Rationum illius temporis. Veronæ verò inter cętera adhuc supersunt picturę in atrio id ipsum eximiè contestantes. Decem & septem Canonijs constabat Congregatio cum illi nomen dedit, quinquaginta octo cum excessit. Habemus autem ex eius ærario.

Apologiam pro Ordine Canonico aduersus Libros Ambrosij de Chora Eremitani, asserentis Eremitanos fuisse à D. P. Augustino institutos. Item aduersus sermones ad Eremitas falsò eidem D. Patri attributos. Directa est Apologia Quatuor Illustrissimis Cardinalibus Neapolitano, Vlissiponensi, Senensi, & Sancti Georgij; Edita Brixiæ apud Bernardinū de Misintis anno 1502. lib. 1.

De Differentijs, & Congruentijs Canonicorum Regularium, & Secularium, ad Cardinales Neapolitanum, Senensem, Alexandrinum, & Sanctæ Crucis. Veronæ apud Lucam Antonium Florentinum anno 1503. Lib. 1.

Monumentum Compendiosum pro confessionibus Cardinalium, reliquorumq; Prælatorum, præter communes confessionum regulas. Ad Cardinalem B. Zeno Tituli Sanctæ Mariæ in Porticu. Venetijs apud Petrum Bergomensem Calcographum Anno 1498. Lib. 1.

Quomodo Apostoli, & Clerici primitiuæ Ecclesiæ erant Regulares, viuebantq; in communi, & vota perfectæ vitæ emittebant. Ad Cardinalem S. Marci. Venetijs vt supra de Anno 1498. Lib. 1.

Disuasoriam ad Principes ne census Ecclesiasticos vsurpent. Lib. 1.

An Aliqua Respublica possit conducere Iudæos ad fænerandum sine pœna. Lib. 1.

AntiMonastichon aduersus consulta, & responsa nonnullorum Collegiorum, & Iureconsultorum Primatum deferentia ad Monachos Benedictinos Congregationis Casinatis. Lib. vj.

De Interdicto Tractatus. Ad Dominos Canonicos Cathedralis Veronensis. Lib. 1.

Vitam Sanctæ Tuscanæ Viduæ, quæ edita est in Volumine de Antiquis Monumentis Sanctorum Veronen. collecto per Raphaelem Bagatam, & Baptistam Peretum, Venetijs apud Andream Bocchinum Anno 1576. Lib. 1.

CEL-

CELSVS MANCINVS RAVENNAS.



IBI fulgeat sempiterna pax Venerande Senex, nostrarumq; Regionum splendidissimum lumen. Lux perpetua, ex immo corde repeto, luceat tibi, Reuerendissime Celse, in ęternis beatorum sedibus ad immarcescibile, (quod speramus) solius & solidę glorię sorsum admisso. Anima, inquam, illa quæ inter homines tantis corruscauit virtutum, scientiarumq; radijs, præfulgeat vna Summi Numinis largitate inter Angelos immortalibus illis fulgoribus, qui ex diuino immarcessibiles fluunt intuitu. Requies sit manibus (si antiquo more fari licet) & casto cineri parentalium noua solutio. Lectorem benignum appello cum schedulam istam ex penitimiore impetu sic incęperim. Ipso nanque Iudice reum me postulassem, quod amori ęquissimo pauculis hisce abruptis verbis non respondissem. Nemo certè viro isto ex nostris vagauit latius per vniuersas doctrinarum sectas, nemo famosa Enciclopedia emicuit gloriosius, Ingenium sortitus ad omnia paratissimum; robusto animi decreto, firmissima membrorum compage, diligentiam propè insuperabilem in studijs consectatus est. Castris nostris se adiunxit ad Tyrocinium quidem spiritus, & adformationem nostri hominis; sed literarię palestrę dux potius versatissimus, quam veteranus miles. Placuit tamen genio semper auido ex Gymnasijs adhuc nostris apis ingeniosa nouos fauos componere, nouas merces recens nauigator cõportare in Portu. Cum in ingressu grandior esset, abruptis scilicet adolescẽtię feruidę vinculis, negotio facili is euasit ad *Lateranensia* instituta qualis efformabatur. Vnde transmissus Patauij anno sexagesimo quinto illius sęculi, post quadrienne curriculum ad ducentas quinquaginta assertiones publicè sustentauit, quas & Archangelo Bossio Bononiensi Summo Præfecto nuncupauit. Quare laurea obtenta ad Philosophiam profitendam Superiorum decreto assumptus amplè oneri satisfecit cũsumato (quod aiunt) curriculo duplici naturalis doctrinæ ad Aristotelis semper textum, & ordinem; at non semper ad Aristotelis aures, qui securitate fortis animi se vinculo obstrinxisset insolubilis decreti non sectas profiteri iuratus in verbo; sed veritatem elucidare apertus in sensu. Mutata de hinc Cathedra Theologiam exponere perexit. Quare per Generalem Conuentum anni

octuagesimi octaui sub Generali Becio honestatur nobili priuilegio Lectoribus, & Prædicatoribus primi nominis concedi solito, quoniam per annos seprendecim in Vniuersitatibus Congregationis scholasticas disciplinas exposuisset. Biennio post Ferrariam adire compellitur. Quo loci non iam intra priuatos lares; at in publicam lucem euocatus, Moralem Philosophiam in ea Vniuersitate explicare opportunum habuit, Alphonso Regulo Gymnasij eius prouectore summo curante. Coronabatur illustri auditorio quotidiè, confluentibus non modo iunioribus scientiam adiscentibus, sed ex ipsa Ducali Aula Proceribus, qui impensè explicationis eius modum probarent, & curiositatem scelectarum pro lectionibus materierum auidissimè exciperent. Interea, vt lapidem lapidi adnecteret, opus quod Rauennæ nocturnis vigilijs texuerat nouitate subiecti illustre; collimauit, & expoliuit, De Somnijs, & Synesi per somnia, De risu, ac Ridiculis, & de Synaugia Platonica ad Franciscum Mariam Ruuereum Vrbinatum Regulum. Item ad Lucretiam Feretriam Ducissam aliud composuit materna lingua prænominatum, Agonotheta christianus; quibus & latè fudit, & altè fodit nominis famam, & summi scientifici opinionem iam genitam, iam adultam, iam virilem ex alijs pridem euulgatis lucubrationibus Carolo Emanueli Alobrogum, & Subalpinorum Regulo dicatis. In eis nanq; De hominis cognitione, quæ naturali solo lumine expiscari potest differens, Peripateticum nullum Dogma, obirerq; nullum Platonicum ad rem sui faciens intactum reliquit. Romanæ Pacis Canoniæ assignatus ab Ascanio Martinengo Generali, opportunus fuit inter alios laudatę eruditionis Canonicos extemporariæ illi lustrationi, quam Clemens ipse Pontifex tum loco habuit, cum Regulares omnes per statos sibi dies præsens, & exactus cognoscere voluit. Vnde & illud emolumenti nobis affulsit, vt Sanctę Marię de Pace Canonicos sibi præ omnibus satisfecisse felici testimonio Beatus ipse Pater, prædicaret. Innotuit item Summo Hierarcæ ex occasione erigendi montem nouennalem, quo sexaginta millia numum aureorum per duodecim Congregationes Sanctæ Sedi soluta sunt in subsidium belli aduersum infideles. Tum nanq; per Papale diploma nomine omnium vna cũ generali Quęstore Apostolico (Thesaurarium nominant) & Marco Antonio Rozzio Oliuetano ipse deputatus est ad distributionem, & reliqua peragenda. Interea loci, & temporis elaborauit spissum volumen De Iuribus Principatuum, quod omnem doctrinæ viri opinionem coronauit. In illo nouem libris distributo materiam omnis curiositatis magistram amplexatus effudit quicquid ex Moralibus, Politicis, Theologicis, Legalibus, Historicis preciosi dabatur inueniri viro acutissimo æquè, ac profundissimo. Orsus nanq; ex radice disseruit de Necessitate, Ortuq; Principatuum, de Iure Regnorum (Hispani, & Itali appellant Rationem Status) de Dominio,

Vsu,

Vsu, Vsufructus. Item sedulò egit aduersus Ambrosium Catharinum, Dominicum à Soto, Iacobum Sanderum, atq; alios recentiores doctissimos, ad asserendam Summi Pontificis Potestatem duplicem à Christo Domino acceptam. Dehinc de Militia, & Bello iusto, ac de alijs, quibus felicitas Principum statui possit. Opus nuncupauit Cinthio Aldobrandino Summi Pontificis ex sorore nepoti. Ad Episcopatum Alexani inter Salentinos vocatus, subortum murmur super antiquiore difficultate pridem per Leonem Decimum terminata, An teneretur aliquo indicio professionem regularem prodere in Episcopalibus indumentis, sedauit allegatione per quam luculenta. Vixit in Episcopatu ad viginti annos Sponsæ suæ mirè proficuus moribus, calamo, lingua, ædificijs Episcopij, ornamentis Ecclesiæ, eleemosinis pauperum, alijsq; pijs operibus. Scripsit in ea dignitate nil de priori genere vitę intermittens super Duodecimum Primæ Philosophię. Fato cędit Anno 1618. in sua Sede. Sequentia sunt quę edidit.

De cognitione hominis, quæ lumine naturali haberi potest. Venetijs apud Franciscum Senensem 1587. *Lib.* iij.
Agonotheta Christianus Italicè Il Padrino Christiano. Ferrariæ apud Victorium Baldinum 1592. *Lib.* iij.
De Somnijs, ac Synesi per somnia. Ferrariæ 1591. *Lib.* I.
De Risu, ac Ridiculis. Ferrariæ apud Baldinum 1591. *Lib.* I.
De Synaugia Platonica. Ferrariæ apud Baldinum 1591. *Lib.* I.
De Iuribus Principatuum. Romæ apud Gulielmum Faciottum 1596. *Lib.* jx.
Commentarius in Duodecimum Metaphisicæ. Romæ apud Gulielmum Faciottum 1606. *Lib.* I.

Iulij Morisij Rauennatis.

Somnia, nec risus pariet tibi, somnia quamuis
Et risus dictans, scriptor vbiq; notet.
Est Celsus, qui excelsa facit, qui mira reponit
Mentibus, & nostrum corda per ampla trahit.
Perlege, ne cesses, donas, mihi crede sopori
Finem, nec rides, si tibi scire libet.

CEL-

CELSVS ROSINVS CÆSENAS.





XIVI (vt vetus habet Paroemia) de paupere regno; sed eo satis superq; claro per serenissimos fulgores vnius diuinissimi athletæ, & assertoris Sacrosanctæ Fidei Petri Martyris ex Prædicatorum Instituto, quem de Rosinorum Familia victimam Christo Deo iam ante annos prope quadringentos inter Comum, Mediolanumq; dedicatum fuisse compertum est. Dominici, & Veronicæ (quorum benedicta sëp memoria sit) filius, tertio lustro septimum addideram ætatis mensem, cum per summam Numinis pietatem (eo non solum vocante, sed & viam complanante) Laterano implantatus sum Regularis Canonicus, Beatissima misericordiarum, Cæliq; Regina Virgine, & Seraphico Francisco intercedentibus. Innotuit autem intercessio per euidentissima signa, dum ad eam implantationem procurandam, nemine hominum excitante, administri fuere Alexander Manzonius Iuris vtriusq: Doctor Cæsenas, & Octauianus Strambiatus Rauennas, ille Sanctissimi sodalitij eiusdem Sacratissimę Deiparę, quod de Confalone dicunt, Prior, iste Minorum conuentualium insignis Theologus, & Patauinę Vniuersitatis postmodum Metaphisicus per quam egregiè notus. Coalescebam quippe puer parentum pietate magistra in clientellam tui patrocinij, ò superdiuina Dei Parens, ò Francisce misericors: & inter cordigeros, inter Marianos Sodales Sacciferos vestris frequens aris vestra interpellabam auxilia, nil tamen sollicitus de agendę vitę eligendo genere. Atque ò vtinam respondeant vltima primis, velitq: me idem benignissimum Numen, ijsdem interpellantibus vna cum Sanctissimo Legislatore Aurelio Augustino, de Militantis Laterano ad Vaticana Triumphantis, aperiente Bariona Clauigero, iterum implantatum, & saluum. Certè tantis muneribus, quibus & innumera successere per immensam liberalis Dei omnifusionem, respondens nequiter, & nusquam gratè: alius futurus eligebar, & alius fuisse agnosco, fateor, ac perhorresco. Gymnasia adibam pręceptoribus Vincëtio Sbrighio, Hieronymoq: Aldino, viris probitate, Sacerdotio, & humaniorum literarum professione notis: post quos & Thomam Curlarium, & Guilelmum Burrighellum Rauenuates Sacrę Theologię Doctores, Sacerdotesq: illas easdem literas profitentes insigni-

ter audiui: quorum postremus nostratibus adhuc superest ferox senio, & fortis genio: alter verò aliquanto post in Clericorum, quos Bernabitas dicunt, institutum receptus, Dathus nomine innocentisfimę vitæ, & pręstantis doctrinę testimonio apud Bononienses commendatus, longam, mitemq; ętatem in subsellijs auricularis sacramenti impensè pro ficuus absumit. Magistratu proprio sex virorum bimestris auctoritatis gubernatur Cęsenatum vrbs, quos Ecclesiasticæ libertatis Conseruatores appellat: atq; dum sibi dant vices adinuicem renunciatis resfignati per vexilli depositionem, & afsumptionem in aula publici Palatij; munus suscipientibus breui Oratione latini idiomatis gratulatur ex publico Gymnasio adolescentulus alter, & alter itidem munere functis, politicaue aliqua attingunt, & prælibant, quæ gubernationem, ac publicam vtilitatem promouere posfint, per pręceptorem quidem ad verbum pręinstructi. Mos iste antiquus gentis est, vt scilicet Ciuium liberos per munia huiusmodi à primis vsq; literarum rudimentis assuefaciat, & oratorię hypocrisi, & virtutibus amplexandis, certiorq; exinde reddatur, numne publica humaniorum disciplina ritè exerceatur, ac cum profectu: nec desunt publicę illicia munificentię tam suggestum exercentibus, quam confluenti ad aures præbendas eruditę multitudini. Erat quartus annus ab orbe redempto supra sextum decimum centenarium, cum ipse, qui alias pluries recitantis officio in actione illa fueram functus, Butrighello Doctore iubente, non de vocis ministerio tantum, sed & de propriæ mentis penu vtrasq; illas Orationes vtriq; Magistratui insignia assumenti, & deponenti habeo sub mensis Maij kalendis. Id tunc breuiter à me pertactum sub dicendi initia, ex rei nouitate approbationem, & ex successu plausum communem cum inuenisset; exciuit corda Aurelij Riccij Imolensis, & Bartholomæi Garzonij Bagnacaballensis (hic Abbas Sanctæ Crucis, ille totius Ordinis Visitator) rem narrantibus supradictis Strambiato, & Manzonio, vt de me Congregationi aggregando insisterent apud Butrighellum, qui post biduum obtulerat condiscipulos Sebastianum Massam, & Dominicum Ceresinum examinandos pro admissione ad habitum, die scilicet salutiferæ Crucis inuentę solemni, cum Ciuitas vniuersa ad Abbatialem eius tituli insignem Basilicam confluerct. In præceptoris & ipse eram comitatu, sed cum alijs nonnullis adolescentulis, quorum de religione afsumenda nihil intererat, in templo opperiebar duorum illorum regresfum, qui ad interiora conclauia Gulielmo duce introducti examini subeundo se offerebant. Ab illis abstinent pertentandis Antistites duo, & de Rosino interrogant, deq; genio illius, eumq; solum sistendum iucundè compellant tanquam opportunè aptum rei, de qua agebatur. Accersor hinc, & de religione ineunda interpellor; in neutram partem propellente voluntate, responsionibus

vtor

vtor ambiguis parentum animos, consilia, directionem sustinens, & perquisiturus. Humanissimi inuitatores & altera die per Adeodatum Manzonium Oeconomum genitoris studium prouocant pro filio aggregando; à quo nil obtinent præter liberam libero electionem, pro qua & liberaliter stantes, omni illam religiosa suppellectile iuuant. O quam suauis est, Domine, spiritus tuus: ò quam mitibus auris illaberis animæ: ò quantis immensæ charitatis beneficijs ad te filios aggregas Adæ. Aduocor post paucos dies sistendus Celso Dugnano Mediolanensi Abbati Generali ad Ariminensem Dictam properanti, à quo benignè primum, & deinceps ab eodem Procerum Conuentu conscribor. Sub vesperum peruigilij nascentis Baptistæ Præcursoris domesticis vale dicere iubeor à parentibus benedicendus, noctem daturus apud hospitantes Canonicos, vt audito Sacro ad Auroram solemnissimæ diei Bononiam versus conrenderemus. Est Cruciensis Canonia ex numero designatarum pro tyrocinio gerendo in Congregatione ab Clementis Octaui sanctione, & ad eam diriguntur hinc inde probandi adolescentes; sed qui dixit Abrahæ, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; præluxit etiam patribus, vt idem de me statuerent: atq; ideo ad Bellianum Sanctissimæ Virginis secessum xv. lapide à Bononia in montibus ad eandem tyronum probationis annuæ tesseram pontificiè designatum ordinor. Aurelius Riccius Visitator præmemoratus suo benignissimo ductu illuc me adesse voluit. Petrus Bonsignorius Bononiensis Archipræsbiter tũ & ipse iter Ordinis primarios Difinitores ad Aram maximã Diuinæ Matris prouolutum Canonicum solemniter me creat quarto loco, rationem ætatis sequutus, post Ricardum Fabretum, & Celsum Faleonium Bononienses,& Ioannem Baptistam Ceresinum Conciuem. Celsus ex Roberto ab Ara ad suggestum aduocor, latinèq; dico de sumpti vitę generis instituto, ad quod agendum præmonuerat me Antistes Riccius. Aguntur hæc pridie kal. Iulias Sacratissimorum Apostolorum Petri, & Pauli martyrio die perquam solemni, vt iugis hinc memoria in nos assumptæ militiæ vigeret. Ad recursum accedentis Marię domum Zacharię, & visitantis Elisabeth Ordinem ibi post annum tres ex quatuor, vel & ex octo commilitonibus profitemur, pijssima, solemniaq; vota excipiente Hercule Mamellino Archiprębsitero omnimodę probitatis viro, qui viam regularis innocentię magister, tametsi grandeuus, & pluries pręlatura functus, per duodenos pręmonstrarat exactos menses. Exordia hęc Canonici spiritus singillatim prompsi, Quia opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est, quod docuit Raphael Archangelus vtriq; Tobię: atq; ideo qui me contingitis, vna mecum, Benedicite Deum Cęli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, qui fecit nobiscum misericordiam suam. Iam professa militia, Bononiensi Montanæ adscribor, principia positurus principijs Dia-

lectiçe, quę Bartholomęo Giroldio Priore commonstranre processere. Duobus huiusmodi annis apud Felsineos positis, per triennium addicor Cęlaureę Academię Ticinensi ab Bonsignorio Patre in Generalem assumpto. Si ingenij horrea capacitatem exhibuissent, vberrimę messui operabar sub ductoribus, & doctoribus Ioanne Francisco Massa Papiense, Michaele Angelo Parpalioneo Nouariense, Camillo Allegrino Bergomate, hoc Metaphisicalia, illis Naturalia profitentibus, nec non & sub Penotto, & Ottello vtroque Gabriele,Pontificium ius altero,altero Sacrã Theologiã exponentibus. Nec saturabatur animus domesticis, qui & Anotomicorum ad vnguem, Laurentio Lazaro in ea vniuersitate artem Chirurgam, & Canonicalia priuatim Cæsari Agostio Iuris vtriusq; Doctori profitentibus, auidum se, curiosumq; exhibuit auditorem: vt priorum auscultatione foueret, & iuuaret philosophicam intelligentiam librorum de Anima, quos domi interpretabamur; posteriorum verò propriæ promoueret munera vocationis. Patauino deinceps Viridario Diuini Præcursoris transducor, vt per triennium aliud subsellia teneam eorundem Penotti, & Parpalionis ordinariè, & extra ordinem Honorati Roberti, atq; Octauij Liuelli, Spheram ille, hic Decretalia exponentium. Hinc submoneor ad profitendam Dialecticam ad id instructo agmine nouo ad Sanctam Crucem in patria, successor cathedræ Ioannis Mariæ Collutij Firmani ingeniorum Lateranensium tunc temporis monstri, cuius & vicibus post annum substituor ad Aristotelis Philosophica interpretanda in Portuensi Rauennatum. Exordior Magisterij munia Diaconus præcedens Doctoratus lauream, cuius decore honestatum me Comitia Rauennaria Generalis Maletti Vercellensis voluerunt, & decreuerunt. Decennalibus vigilijs prouinciam gero Cæsenæ, Rauennæ, Cremonæ Philosophos primum, Theologos deinceps efformans efformatus & ipse, qui eadem, & multo plura addiscerem, quam docerem, quia (vt commune fert adagium) Fabricando fabri fimus. Iubeor deinceps Regulari ingredientium disciplinæ, moribusq; tyrocinij præire, & præesse, atq; Prioratus sarcinę dare colla: quo & tempore Theologiæ profitendæ in Vniuersitate patria ab Senatu eligor successor Bartholomæi Giangiorgij Seruitæ inter suos ad Prouincialatum Terræ Sanctæ assumpti. Quod verò ab Reformatione Frigdionaria facultatem rarò facere Prælati Canonicis assueuerint assumendarum cathedrarum sub laicorum dispositione, ac iuribus (siue ad æqualitatem in Congregatione seruandam, siue humilitatis prouehendæ studio, dum scientia inflat, quod charitas ædificat, siue tandem quocunque alio vel spiritus,vel politici moderaminis respectu) hinc tum accidit, vt à nonnullis, qui pro Gymnasij Reformatoribus se gerebant, electio mea naufragium pati visa fuerit, quorum conatus extemporaria reiectione elisi: stetitq; pro iustitia, & veritate Eminentissimus Riuarola

rola Legatus, Illustrissimusq; Comes Carolus Tibertus Vexillifer cum reliquo Magistratu, quibus legitimè innotuere tria hæc, me & Doctorem, & Doctorea redimitum, & Senatum Lateranensem Doctorea redimendi idoneos suos ius, potestatemq; habere: remq; totam fauorabilibus firmauere decretis, spectabilissimoq; concursu ad exordia, atq; inde ad reliquos conuenere procursus Sacram Scientiam de subsellio profitentes religiosi. Dimoueor post biennem Prioratum, Genuæ idem officium expleturus, ita Iacobo Sera Cardinali Protectore ad sugestionem Hieronymi Onufrij Fanensis Definitoris, & Abbatis Ferrariæ annuente. Post hæc à Cremonensi Padana schola ad Venetas pomeridianas Conciones habendas auocor; & inde ad Abbatiam Cesenatem post biennium, anno vigesimo secundo currentis sæculi, cuius adiui sellam die secunda missi super Apostolos Diuini Pneumatis. Suggestum sella amandauit. Forosillanis, Vicouentijs, Ianuensibus, Cremonensibus, Venetis Quadragesimas, Aduentus, Annualia vsque tum posueram; sed dum pastoris munia pro modulo obire conor, cogor vale dicere verbo populis habendo. Felices vtiq; terq; quaterq; felices, qui vtriq; prouinciæ facere satis legitimè possunt. Certè talenta pro cuiusq; captu, virtuteq; dispertiuntur. Dedit onus, & honos onera, deinceps Abbas Sancti Bartholomæi de Pistorio, atq; iterum ad Sanctam Crucem, item & Visitator ex Ordinis Concilio Bononię ad Montanam Euangelistę Ioannis habito, nec non & Generalis Commissarius per vniuersam ditionem Ecclesiasticam Epidimiæ morbo ad Insubriæ angulum Policarpum Capellum Abbatem Generalem recludente. Ex nouemuiris iunior, gestorum Apostolicus Scriba, triennium solumodo iuri dicundo ex solio Definitorij consedi. Quæ postmodum Reipublicæ per annos quindecim ab nouatoribus contigere, alij prosequentur. Studium ipse posui Abbatialibus præfecturis concreditis, quod potui, summum; nec irrito prorsus, inaniq; labore: censebit id perita posteritas. Faxit Deus vt ad vitam proficiat sempiternam. Edita vsq; adhuc sunt

Orationum Latinarum volumen vnum, De Furoris amatorij, vel de Sciendi desiderij laudibus in auspicijs studiorum Patriæ Vniuersitatis: De Dialecticæ laudibus: De Sacræ Theologiæ laudibus Cesenæ, & Rauennæ in exordijs Interpretationis earundem scientiarum: De Christi in humanum genus amore Rauennæ pro lotione pedum in Cæna Domini. Quod rectè vnum caput Reipublicæ præsidens eligatur in Comitijs Generalibus Ordinis post electionem Reuerendissimi Maletti. Cesenæ, & Rauennæ apud Petrum de Paulis Anno 1614. Lib. 1.

Galaxia exposita, seu Lactei Circuli Origines inuestigatæ Elogia viginti super Stemmate Academiæ Offuscatorum. Galaxia ex Hercule: ex Mercurio: ex Ope: ex Ioue: ex Amore: ex Hebe: ex Harmione monili: ex Prometheo: ex

Phæ-

Phætonte: ex Argo: ex Pana: ex Bacco: ex Cymbalo in Stymphalidas: ex Phaneta: ex Ganimede: ex Stellarũ minutie: Via Deorum: Domus Heroum: Initium Imperij Deorum: ex Hymeneo. Cæsenæ apud Nerium Anno 1646. *Lib.* I.

Interpositiones Academicæ Elogia varia habita in eadem Academia, Annus: Dies natalis: Theophilus prænoscens: Donum: Liuor reiectus: Senæ Academia: Dis profligatus: Brẽnus rediuiuus: Iason: Linea: Hercules ad vbera: Flos: Flagrum stelluligerum: Moyses: Perses: Rosa ab Hierico: Angelus: Lux: Dioscuri: Stigmata: Triptolemus: Obstetrix. Cæsenæ apud Nerium Anno 1647. *Lib.* I.

Lyceum Lateranense Illustrium Scriptorum Sacri Apostolici Ordinis Canonicorum Regularium Saluatoris Lateranensis Elogia Libri viginti cum Fastis Generalitijs. Cæsenæ apud Nerium. *Lib.* xx.

Idillias Sacra, Sacra Idilia Italico carmine super præcipua vitæ Christi Dei Mysteria numero duodecim, cum Iconibus. Venetijs apud Io. Baptistam Ciottum Anno 1620. *Lib.* I.

Sacrum Museum Poeticum super Sanctos præcipua, & communiore deuotione cultos Italico carmine, libri duo, primus continens Sonetta, secundus Madrigalia, vt dicunt. Venetijs apud Euangelistam Deuchinum Anno 1620. *Lib.* ij.

Sacri Musei Poetici pars tertia, seu liber tertius continens Odas Italicas, quas Cantiones vocant. Venetijs apud eundem. Anno eodem. *Lib.* I.

Galeria Sanctarum Virginum carmine italico, quod Madrigalia appellant, cum Iconibus, seu effigiebus earum æreis. Venetijs apud Iustum Sadelerium, & Marcum Ginamum anno 1622. *Lib.* I.

Additamenta Distinctionum, Appendices, & Correctiones ad Distinctiones Doctoris Distinctionum Archangeli de Rubeis Episcopi Caleni Canonici Reg. Lateranensis super quatuor libros Sententiarum. Venetijs apud Ioan. Guerilium Anno 1621. *Lib.* jv.

Quę cũdi possunt iam penè perfectionem attingentia, sunt.

Idilliadis Sacræ pars Secunda italico carmine super præcipua Vitæ Beatissimæ Virginis Matris mysteria numero decem. *Lib.* I.

Idilliadis Sacræ pars Tertia De Septem Sacramentis, eorumq; institutione, & vsu. *Lib.* I.

Idilliadis Sacræ pars Quarta De Sãctis quibusdã præcipuis numero decem *Lib.* I.

Odissea Moralis continens Odas italicas numero viginti. *Lib.* I.

Annalia Canonicorum Sylua summariam materiam attingens rerum, quæ in vniuerso Ordine Clericorum Canonicorum Regularium acciderunt, sub singulo quolibet anno fusim exarandam per libros sexaginta quinque, annorum vigintiquinque pro singulo libro, volumina nouem ab eius origine vsq; annum 1630.

Limi-

Limitator, seu Glossarium vniuersale omnium ferè magis vulgatarum propositionum tum Aristotelis, tum Auerrois. *Libri* XX.

Musæum autem Peripateticum, seu Libros viginti de Vitis Philosophorum Peripateticorum, qui ab Aristotele eorum Principe ad nostra vsq; hæc tempora insigniores extiterunt silentio obuoluam, de cuius infelici deprædatione, vel tumulo apud Germanos ex infelicioribus direptionibus apud gentes illas actis flere magis lubet, quam loqui (si tamen à genitore filijs huiusmodi lachrymarum imbre parentare licet) casum euulgauit vir inclytus Honoratus Montecaluus in suo libro De vitis Trium Barbarorum insignium Philosophorum ibi videat.

Demum hic pro coronide ad enumerandum quoq; Lyceum istud liceat adiecisse, quod filij voce alibi expressit clarissimus vir Fabius Pacius Vicentinus rem adornans non absimilem.

Ad Ordinis Prælatos, & Concanonicos.

QVO me vestrarum rapiunt insignia laudum,
Quo splendor vocat, & nulli non cognita virtus.
Huc feror ô summi Proceres, quibus æqua tueri
Iura datum est, atque ancipiti fas pendere lance.
Si vos Matris amor, si vos reuerentia legum
Sacra tenet, pulchrasq; animum versatis in artes
Nos Celsi fructus, interq; negotia curis
Otia parta meis, generoso pectore læti
Excipite, exiguum mihi non sudore peractum
Exiguo fœtum, vestrisq; fouere parate
Auspicijs, tanto vt perfusus lumine terras
Spernat, & ætherei conscendens ardua Cæli
Aeternum vestro referat de nomine nomen.

CEL-

CELSVS SERAPHINVS
NVVOLONVS
MANTVANVS.





IC, qui vno in nomine binos repræſentat huiuſce ęui clariſſimos Reipublicæ Canonicæ viros Celſum Duganum, & Seraphinum Merlinum, Mantuæ honeſto loco natus, cum primum tabulario Canonicorum adſcribi obtinuit, futurarum progreſſionum excitauit conceptiones; vt tali prorſus nomenclatione dignus cenſeretur ad innouandam Patrum glorioſorum memoriam in filios: patrum non functorum fato, ſed adhuc ſuperſtitum, vt & ipſe præ oculis exemplaria haberet imitatione digniſſima, & illis illicia obtingerent ad iuuentutem huiuſcę protegendam. Profectò expectationem illuſiſſet neutiquam, ſi comite vita quæ ſerio ordiri valuit, maturata quoq; textura quiuiſſet perficere. Ab primis rudimentis nouæ vitæ ſenium induit relegata adoleſcentia, in cuius ſinum nec quieſcere, nec viuere eum, qui clauſtra ſibi ſepoſuiſſet, agnoſcebat. Hinc licet ſuſtinerent directores, ne aut triſti mærore conficeretur, aut melancolico tabeſceret humore, vt pote aduerſarijs acribus recenter viam Religionis terrenti; habitum tamen contraxit longe diſparem, & naturali propenſioni, & anteactarum exercitationum ſtudio. Contulit quidem ſpeculationi, & Gymnaſiorum laboribus taciturnitas, atque mos ille ſequeſter quandiu diſciplinarum ſtadium athleta deſudauit; ſed cum dimiſſo Ticino operam poſiturus prædicationi alio deflexit mentem, & incolatum; longè varia paſſus eſt emergentia. Ab Dieta Ferrarienſi anni vigeſimi tertij currentis ſæculi laurea donatur vna cum Odoardo Riſio, Carolo Pecorario, Proſpero Faraudo, Gregorio Brunello & alijs vndecim probæ omninò fæcundæq; ſcholæ alumnis, qui dum varias aggrediuntur prouincias, vt operarentur in aſſecuto talento; & Celſum quoq; Seraphinum ad idem prouocant. Diſpar corporum habitudo diſparem quoq; electionem induxit, cum ij diſciplinis e Gymnaſio exponendis, ij ſacræ ſe prædicationi componunt, accingunt, dedunt: neutri Celſus Seraphinus dat nomen gracilis voce, gracilior viribus per ipſam etiam mæſtitudinem elanguibus. Scriptioni manum, & animum adiecit magni ſtaminis textor, quod non ſemel nobis ipſe narrauit.

narrauit. Patriarchas, Iudices, Duces, Reges, claras quoq; nomine mulieres, Prophętas, Apostolos Elogijs singulis decoraturus ab sacro codice præcipuè nominatos: non in eam formam quidem, quam nos in isto opere cudimus, sed in arctiorem, & ingeniosiorem illam, cui antiquitas, & aliqui ex neotericis inhæserunt. Sed opus & longam diem exigebat, & non omnem horam, sed illam tantum, qua alacritas animi florentem faceret, aculeatamq; ac stabilem characteris normam. Auctor verò nec diuturna vsus est aura, nec bonam valetudinem vixit, & illam per actuosæ vitæ distractam anfractus. Quare concepit quidem opus, parturijt verò minimè. Prælusit quippè nonnulla à nobis & aliquando visa: sed quę potius in experimentum tenderent partis, quam in legitimam totius fęturam. Nam per Comitia Placentina anni vigesimi quarti assumptus Marcus Antonius Manettus Massa Florentinus ad Congregationem summo loco moderandam, dimisso post tempus aliquot Petro Pellizzonio Opitergino, Celsum Seraphinum sibi à secretis Congregationis adsciuit, iuuenem quidem tanto oneri ferendo: at cęteroqui futurum adepta negotiorum experientia parem, pręsertim sub eo Generali, qui & solertia, & ingenio acri polleret in gubernando. Officium difficile, totumq: requirens hominem abegit ab eo priora scriptionis cogitata, aut saltem seposuit ad opportuniores horas, vt putabat, quę aduenerunt nunquam. Quippe exercetur per totum illud tempus, & multiplicis laboris, negotijq: mole, & valetudinis aduersę lento impetu, à quo nec atterritur, nec fert plenè curas, vt talem ministrum opporteret. Eà propter in ressignatione Manetti & ipse in ordinem redigi obtinet sub quærendę sanitatis pretextu: tametsi Ioseph Viuolus Generalis electus in illum non modicè propenderet. Quot menses sub fascibus supremi magistratus ille vixit, planè totos iste purgationibus contriuit certo cum beneficio, & haud dubia spe recuperandę omninò salutis. Sed ex Mutinensi liberiore aliquo conuictu reuocatus ad pristinos conscribendarum epistolarum labores ab Lauro Astulpho in locum demortui Viuoli per vnicum annum subrogato, non modo non in integram sanitatem pristinam restituitur, sed post paucos menses oneri succumbit. Si quidem debellabatur multo maiore copia rerum sub viro facili, & nihil per se ipsum decernente, quam sub vivido illo prioris Generalis genio, qui solus sarcinæ sufficiebat ab nullius siue nutu, siue directione pendens. Decessit Arimini circa Nonas Iulias, & nos ipsi manum supposuimus in eo ad tumulum ferendo, vix trigenarius. Edidit

In Funere Protectoris Alexandri Cardinalis Vrsini Orationem Italicam. Bononiæ apud Hieronymum Mascar. Anno 1627.

CÆSAR BATTALEA MEDIOLANENSIS.



PLVRIES plurimum cōscripsit quidem militem aclebus Laterani Celsus Dugnanus inter illius duces clari omninò nominis; vt pluries extitit nunc Censor, nunc Generalis. Verum delectus nullus inter Mediolanenses suos eo gloriosior fuit, quo velut pentagona quapiam figura castra muniuit, Cæsare Battalea, Philippo Picinellio, Petro Casate, Ludouico Melzio, & Ignatio Airoldio. Quinque etenim isti flore ingressæ adolescentiæ nobiles vno eodem tempore ab illo assumpti, & ad aram maximam Diuę Virginis de Passione clericali clamide de manu Gabriellis Cittadini accepta, in viros processere siue innocentia vitæ, siue temporalium administratione, siue doctrinarum splendoribus, quorum imitetur vestigia amica posteritas. Sed angulum Battaleæ hoc loci inspiciamus tantummodo, qui se se primus sub serie nostra nostro se se offert calamo, & vsq; modo dignitatum antestat etiam fulgoribus. Hic post emissa in manibus eiusdem Dugnani vota, bienni tyrocinio ad plenam efformatus Canonicę vitæ formam Padani Clauigeri subsellijs assignatur Cremonę, vt Philosophica profitentem Gregorium Tabernam Mortariensem auscultet. Erat Taberna super Magisterij exordia felicius inchoata per magnos alacritatis stimulos: quippe qui prouinciam toto cordis hiatu ingressus (ad quam penitissima genij propensione se inclinari sentiebat) auditores ad apicem vsq; decoręe efformare pro posse inclytos statuerat. Quare nactus scholam culturæ non solum idoneam, sed & anxiam validè, atq; progressus suspirantem, ingenij viscera tota in illam effudit, solertia penè incomparabili dies, noctesue eandem incudem percutiens, & qui nil vltra quæreret, nisi scholasticas doctrinam, exercitationem, & olfactus; quin incomptior ipse morum, vel simplicior, atq; Canonicę cuiuspiam Eutrapeliæ contemptor, sui asseclas, & cultores praxi, & assuetudine insensibiliter in idem adduxisset, si natiuę propensiones, & primitus ebibita ciuiliora non reclamassent. Quadriennes labores & Cęsarem, & condiscipulos ad Philosophię stadium explendum, & ad inchoandam Sacram Scientiam deportauere in incolatu illo, quem ceteroqui improbabilem reddebant assueta, àer, potus, & conuersatio. Dein eosdem labores vlterius ponere super Bono-

Bononiensibus Euangelistę Ioannis subsellijs iubentur; atque ne pręiudicati quodammodo accederent noui accolę, dum vel aliam viam, vel per alia principia, & semitas incedere sub alio Theologo cogerentur, Tabernam ipsum simul translatum audiunt. Toto Orbe celebris illa Vniuersitas admirata est, ex vno Canonicorum Lateranensium manipulo aggredi Sacrę Scientiæ penitimiora, inaccessiora, aggredi, superari, penetrari tam felicibus ausis; vt pleniores, ac plenissimæ tot Regularium Cohortes intra ambitum eius amplæ Ciuitatis proprijs in tentorijs, vel magè stationibus; merentes, ad doctrinalis militiæ munia subeunda, pauculos illos non modò comilitones haberent, sed & prouocatores, rotarios, vellites, antesignanos: qui scilicet intra eorum septa siue in templis, siue in sacrarijs, vel in triclinijs, vel in conclauibus, vel in Gymnasijs, & aduersariorum partes in disputationibus agerent aggrediendo, & illos itidem similiter velut hostes in Montano paterentur secessu ad intellectualis pugnæ exercitationem, ad vnicæ, & almæ veritatis inuestigationem pleno semper cum Doctorum plurimè conuenientium plausu, atq; approbatione. Cursu intra menses triginta sex absoluto, Generalia superuenere Comitia, ad Placentinam quidem Ciuitatem indicta, sed quæ, non nisi disponentibus Superis, apud Felsineos habere necessum fuit ob epidimiæ morbum Insubriam, aliasq; Italiæ oras depopulantem. In horum conspectu, gremioq; edidere docti iuuenes indeptæ scientiæ documenta præstantissima, facta cuiq; volenti potestate palestram versandi per proposita Theoremata ex neotericorum Theologizantium, & Philosophantium speculationibus subtilioribus. Digna profectò tanti theatri virtus. Nos, qui ex ea synodo Visitatoris munere fungi cæpimus, exultantes super præsenti Reipublicæ bono, de successuris melioribus haud perperam spes optimas concepimus, præsertim de Petro Casate & Cęsare hoc Battalea, ad quorũ cathedras tũc maximè apparuit, num ex profundo enatarent; cum præ alijs antagonistam Fortinum Lucensem ex pręclara Seruorum Religione Regentẽ, publici Gymnasij Theologũ, concionatoremq; celeberrimũ plusquã vno die acrius semper disputationem perurgentem plenissimis remisere satisfactum responsionibus. Doctoream omnes iure assecuti dispertiuntur hinc inde ad operandum, vinea vinitoresq; simul. Et Casatus quidem illuxit, sed in fulgetri modum ob breuitatem vitę, prout placuit ei, qui solus nouit numerum annorum cuiusq; suorum plasmatum. Cæsar Philosophiæ interpretandæ ad Diuam Virginem de Casoreto apud suos Mediolanenses mittitur in cuiusdam quasi prælũdij modum qui ad maiora Gymnasia sustinenda maturus sine præcocitate per maiores censeretur. Atq; ita disponebatur apud homines Theologicam cathedram in alma Portuensi Rauennate ei moderandam decernentes dietali sanctione, cum desuper aliud pan

geretur decretum,quo ex priuata luce,tametsi clara, scholasticæ profitendæ ad suggestuum gloriam, & populorum commoda postularetur. Ex interdicto nanq; comercio ob adhuc grassantem luem, Bononiæ subsistere cogitur, atq; rationem studiorum permutare. Qui enim vsq; tum purus vixerat Philosophus, vt ipsemet aliquando de se dixit, hoc est nihil præter mera scholæ speculabilia curans; vt tempori, occasioniue inseruiret, mitioribus studijs quasi ex transena quadam pervolutandis se dedit. Sed qui horas æstatis illudere arbitratus est; non fallere, sed falli sustinuit suo, aliorumq; bono. A pomeridiano pulpito eiusdem Euangelistæ Ioannis incœpit pio populo frangere Euangelij panem; vt non casu, sed prouidente Numine factum videretur, ab illius Basilica, subq; illius tutela verbi fundendi auspicatum exordia, qui fluenta eiusdem Euangelij de ipso Dominici pectoris fonte potauit, quiue Theologorum apex primus intonuit, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hinc experimento probans rem sibi non ex voto solum, sed & cædere supra votum; ex vocante esse duxit subdere colla iugo, nouellæq; se sarcinæ dedere gestatorem. Mediolanensem Passionem, Aphranam Brixiensem Ordinis Ecclesias successiuè eodem ministerio coluit gratiosus, beneq; auditus. Fuere hæc fluminis sanctæ prædicationis, aquarumue verbi ceu tentamenta quædam ad transuadandum, per quæ animatus, & probè instructus se permisit totum prouidenti, maximeq; miseranti Deo: gressibus tamen adhuc gradus fecit suis progrediendo. Binas, easq; sequentes quadragenas primas Piccighitono Oppido, arci, fortalitioq; valdè noti nominis, & quondam Francisci Valesij Gallorum Regis carcere nobili, habuit, quas ideo socias, iunctasq; esse fecit, quidem vt populo illi, clero; post primam, secundam efflagitanti faceret satis, sed multo magè etiam vt probaret, num sibi sufficeret dicendorum, & copia, & vbertate. Atque in hanc formam tertio loco concionem tenuit Cremonę ad Diuę Agathę, & deinceps Bergomi ad Sancti Alexandri, Nouarięq; ad Diui Gaudentij. Quatuor hebdomadas ante Natiuitatem Mutinensibus in Cathedrali, Venetis ad Zacharię, Bergomatibus ad Alexandri, Cararienfibus ad Andreæ ædes sanctissimas, atq; præclaras posuit, sex verò Resurgenti Christo præambulas dedit, & Venetijs ad Sācti Siluestri, & Mirādulę ad Picos Principes, & Lucensibus ad Diui Frigdiani, Porrò quantus quantus staret, atq; probaretur istis, inde arguent sæcula, quod quaternis cursibus stadium illud tenuit, bis quidem per omnes festos decimi mensis, bisq; per iuges luces bacanalia sequentes mortificandis destinatas sensibus. Vna enim hæc prouincia non omni committenda humero est, siue quod animi nouarum auidi rerum audiendarum saturentur ab vnius semper ore pendere, siue quod nequeat vnus nisi summè doctus, & eloquens quaterni conflictus acie dimicare.

micare. Cum de templo Disciplinę (nominant) Parmenses loquenti aures illi pręberent, attentissimas vnus adfuisse Regulus assiduus, absq; eo, quod nec per vnam diem, vt ad alterum diuerteret concionantem, exorari permiserit, summę approbationis argumentum extitit, eo vel maxime quoniam Odoardus viuidissimi supramodum, ad omniaq; promptissimi ingenij Princeps, eloquentię omnis arcana possidens sedere iudex poterat, cęteroqui parum patiens, maleq; suetus horam vnam vni dare dicenti. Tum verò multo gloriosius triumphauit eius virtus, cum Regium Lepidi de principe Basilica vertens verbi vomere quadragesimali, Ciuitatem tanto ardore, totq; nisibus in messes cælicas, & immarcescibiles roborauit, vt illa grati animi repensura specimen aliquod, ciuem eum suum facto decreto, datoq; priuilegio dixerit, curans Ciuitate lepida, & regia curatam Ciuitatem æternis leporibus redundantem, æternumq; regiam pro sui modulo compensare, Coniunxit & Coccapanis Episcopus eidem virtuti propria velut attestata, seu verius, illam sibi copulatam voluit, qui Theologi Episcopalis illum nomine, ac ministerio vtendum declarauit: cum eo discutiens quę ardua diœceseos in dies euenirent, & illius doctrinam quasi apertum, ad omnemq; casum paratum librum sub aure, subque intellectu tenens. Aperuit illi hęc operatrix virtus aditum ad pręmia: pręmia generis eius, quę ad vlteriora promerenda vestibula sunt, & aditus. Iam enim & notior factus, & gratior Francisco Duci, Abbatiales infulas Sanctę Marię Gratiarum obuias habuit, censentibus Nouemuiris ex Definitorij cortina, Ciuitate illum Regiensi donatum, aptam relationem ad id aquisijsse muneris eò loci. Gesserat autem antea Prioris claustralis magistratum necessariò pręambulum per tres annos Cremonę ad Sanctum Petrum inter austeriores Regularis vitę obseruantias, quas semper ibidem floruisse nostris compertum est. Non refregere regiminis habenæ sanctæ prædicationis stamina, sed illas moderando, horum quoq; prosecutus texturam est, ad vtrunq; paratus, & plenè sufficiens. Probauit exitus acta, atq; ideo post expletum ibi triennium Theodoro Fantono viro claro Visitatore referente, per prælatitiam confirmationem ad Abbatiam Casoretanam transfertur moderandam, quod paucis, & ijs de regimine acto benemeritis, communicari sueuit. Habet præ manibus præclarum opus panegiricorum in Sanctos quoscunq; Canonicorum Regularium, quorum officia à Congregatione Lateranensi quot annis celebrantur numero trigintasex: Edidit autem

Sacram Phari Turrim Panegyris pro Diua Catharina Virgine, & Martyre habitus Brixiæ in Academia Errantium. Brixiæ apud Ant. Rizzandum. 1641.

Exem.

Exemplar, et Diadema Principis, concio habita ad Serenißimam Rempublicam Lucensem in quarto sabbato Quadragesimæ. Lucæ apud Baltassarum indicis anno 1640.

Archimedem Sacrum. Concio habita ad eandem eodem sabbato anno 1647. Lucæ apud eundem.



CÆSAR

CÆSAR CALDERARIVS VICENTINVS.



EXTVLIT quidem Cæsarem Calderatium ad hominum famam facundia verè catholica, sed ad Beatorum gloriam (vt credere pium est) inculpatæ vitæ decus. Cum ex Gymnasijs Congregationis optimā sibi suppellectilem doctrinarum comparasset à natura factus ad eloquentiam, e suggestu populis, eam cæpit dispensare ore liberalissimo adhuc iunior, & vixdū Leuitico ornatus charactere. Conciliabat dicenti gratiam flos ætatis immaturæ, neque existimationem abradebat nondum suffusus in genis virilitatis decor. Sufficiebat nanq; prò arabone meliore morum candorem, & strictioris in victu disciplinæ normam. Primis concionum annis Romano theatro admirationem excitauit, & quo loci prouectiores Oratores vixdum nomen sustinent, & consumati plusquam sæpè auctoritate cadunt, ipse fundamenta iecit futuri prouectus eximia specimina, & radices fixit nunquam intermoriturae lauri. Illustribus orto Vicentię natalibus omnia fiebant ad ingressum prædicationis peruia, & plausu excipiebatur non modico. Sustinebat verò ille personam, & comparatum dotibus (vt ipse dicebat) non suis nomen numerato virtutum denario populis, & principibus viris vsq; ad admirationem. Maximè id enituit cum ad Melitenses Equites Hierosolymitanos curante fratre tali militiæ illustri loco adscripto adnauigauit. Non satis ob oculos mentis subijcere potest inanis calami breuis iste tractus animatas, aculeatas, ad viuum penetrantes, & ex viuo procedentes veri Ecclesiastis fruges. Præcursorem Baptistam & illorum, & suæ Religionis Tutelarem Patronum asperitate vitæ, & prædicationis libertate repræsentauit, doctrina meliflua, & extemporaria Augustinum vtriusq; cœtus Legislatorem Sanctissimum. Digresso inde ianuas ad suggestus suos aperuit magna Neapolis, quæ fæcundata cælesti rore verbi Dei fluente ex clara nube illius eloquentiæ, feracem se præstitit super quascunq; alias Ciuitates. Semel in summo templo Quadragesimales habuit conciones, semel & iterum ad Ædes Diuæ Annunciatæ notissimas. Quin custodes sacri loci mella hominis degustati, annuos duplices labores sibi, & populo expresserunt: ex quibus ille postea occasionem nactus est egregios eos conceptus digerendi, quos super psalmum Dauidis quinquage-

quagesimum summa literatorum approbatione Orbis excepit per Typographos. Celebrant Neapolitani ex antiqua consuetudine Magni Iobælei solemnitatem anno semper sequente ad generalem Vniuersalis Ecclesiæ Romanæ Iobęleum. Siquidem ex inueterata maiorum traditione profitentur Petrum Antiochia Romam proficiscentem, Neapoliq; appulsum, ibi inter cętera reliquisse sacratissimam sui memoriam Altare, super quo adorandũ missę sacrificiũ habuit. Hoc cum apud Regulares Canonicos Lateranenses asseruetur in templo eidem Christi Vicario dicato sub nuncupatione ad Aram; ibidem etiam prædictum Iobæleum summa frequentia, ritu magnifico & venerabili agitur, aperta ad id præ alijs ceremonijs Porta illa, quam Sanctam dicunt, & ad similem tantummodo finem custodiunt, ad imitationem Romanæ Ecclesiæ rem per summos Pontifices permittere consuescentis. Quare cum anno septuagesimo sexto eius sæculi id institutum præstaretur; Cæsar ex templaribus rostris per quadragenarios maioris abstinentiæ dies populum suo amore, suaq; delectatione docuit, tanto maiore cum fructu quanto maior erat & frequens populus, & feruens deuotio, ille ab exteris auctus, hæc ab præsentanea occasione. Cuius ideę fuerint, quamue formam induerint illę tum conciones, quasi ex digito colligi potest ex sola illa, quam sub titulo Triumphi Crucis diu post Cæsaris obitum ad vitam lectionis publicæ eduxit Paulus Siluius Neapolitanus. Vtinam tanti viri integros haberemus labores, ne verius proloquar, Thesauros, quos nobis nescio quodnam mortale fatum inuidit, & absumpsit. Diem clausit non plane senex sed plenus meritis in eadem Ciuitate Neapolitana eodem anno, quo nos vitæ huius ærumnosę, & labilis limina attigimus 1588. Sunt itaq; illius ędite Lucubrationes

Explanatio Italica in psalmum quinquagesimum, sub Titulo, Conceptus Scripturales super Miserere. Venetijs apud Io: Baptistam Bonfadium 1587. *Lib.* 1.

Explanatio in Canticum B.V. Magnificat. sub Titulo Italicè Conceptus scripturales super Magnificat Editi Venetijs apud *Lib.* 1.

Tropheum Sanctissimæ Crucis. Neapoli apud Iacobum Carlinum 1611. *Lib.* 1.

C Y-

CYPRIANVS GIAMBELLVS VERONENSIS.





VIS ex longa ſucceſſorum faragine non admiretur altè excultam animi peregregiè compoſiti quietem ab Cypriano Giambello Veronenſe inter actuoſos illos rerum anfractus, qui Canonicam vitam Marthæ æquè, ac Mariæ obſequijs dicatam obruere ceu ex inſtituto ſolent? Quis non reuerearur venerandos canos viri in placidiſſima ſenectute vacui curis, fœlicisq; ad arbitrium? Nam cùm iuuenem præclarum primi honores vltro in Congregatione occurrerent,& ſumma ei omnia præcociter etiam deſtinaret amicorum opinio; plurimorum caſibus motus quaſi in portu naufragatorum, quàm miſerum eſſet inter ambitioſa vota etiam in Religionibus ſe immiſcere, ac pendere; reſpexit ad animi libertatem, & ſeceſſurus ad genium, elegit ab omni prorſus ſe regimine, ac prælatione deijcere, vniuerſamq; præ foribus exiſtentem adminiſtrationem abdicare, vt ſoli ſibi ſufficeret, atq; in vno hoc ſenſu ſeneſceret. Adeò propterea ſucceſſit comparatus in caſus, ſeu ipſe, ſeu amici laborarent, vt omnium victor conſtantiſſima hilaritate diſcederet, nil metuens vices periclitantis dignitatis, aut voluptatum fugitiuos, & mutabiles vultus, quarum commoda ſponte neſciret. Sed quanquam minimo contentus viuere eſſet cordi; tamen & quæſito labore fatigari ſtatuit, compertis otij malis; quo vires non fruſtra humano datę generi ſoluuntur, & fit ſenſim deſiderium vitiorum. Itaque quicquid temporis à Numinis curis eſſet vacuum, deſtinatis officijs colere, ac partiri. Quo plus ingenio, & animi luce valeret, maiorem partem horarum adſcripſit abſumendam in contemplatione ſublimium rerum, quas deinde ſubijceret oculis, & velut ex alto deduceret ad vſum mortalium ſibi ſufficiens, & alios iuuaturus. Aderat literarum copia non vulgaris, acre acumen, ac celere, quæ omnia vitæ integritas honeſtaret in iucundiſſimo iuuene. Quippe impenderat ita tum vſq; exactos dies ſiue in ſagulo laicali ſęcularibus curis addictus, ſiue ſub linea lacinia Religioni ſtipendia meritus; vt neutiquam grande opus remaneret decipulas ponere otioſæ quieti, & fallere ſolitudinem inertem. Sub leui onere Regularis Inſtituti à Duodecimo inſudabat anno in arenario Academiarum Ordinis exercitus

 ad lau-

ad lauream pugil nobilis, meritòq; redimitus: successerat insuper Canonicis eruditę isagogię adolescens, elegantium literarum, morumq; similium merce onustus: cum sequester mansurus Sanctorum Quadraginta domum Taruisinam sibi exorauit mensis iam acto decreto peraccōmodam, quę nec ciuitatis vacaret commodo intra mœnia, nec frequentioribus pateret rumoribus propè mœnia. Saluberrimus aer, structura inter magnificentiam, ęgestatemq; media, latè patentes horti, quos irrigua clara humectarent, breuia latè virgulta ab fructetis decenter disiuncta alto silentio, & immacu-lata simplicitate scatentia, omnia deniq; sic ad mundiciem facta, vt apparet fortes inhabitantium animos aspernari luxuriem, non marcida, vitiq; rerum suarum incuria iacere; suaserunt sedenti hanc cęteris preponere Canonijs, ritè & se se habentibus, non tamen omnifariè satis genio facientibus. Hìc igitur per plures annos continenter ab omni cura abdicatus studijs meruit, sacrarumq; rerum contemplationi se dedit: hic lucubrationes illas texuit, quarum infra memorabimus, & per quas contigit penes literatos quosq; commendari, & innotescere adhuc latentem: Hìc se ornauit in superos suo tempore recipiendus. Nouit tantummodo extra latebras tunc fieri, cùm agendum publicè esset quidpiam dignum luce. Nulla sensit viarum incommoda, non aduersarias credidit cultæ quieti longas peregrinationes, quæ illum quolibet anno reponebant insignioribus in templis concionatorem: non vernum tempus, non multa comercia deturbabant interiorem animi solitudinem, facto sibi in angulo cordis secessu, quo mediante, & ciuem se, & anachoretam excolleret per summi ieiunij quadragenariam stationem. Hinc Mantuanos ad Sanctum Andream. Papienses ad Archangelum Michaelem, Placentinos ad Diuum Patrem, Patauinos in summo templo, Brixienses in Diuæ Afræ, & alios alibi docuit. Semel atq; iterum placuit conciuibus Veronensibus orator, iterum, atq; tertio Taruisinis, quorum non explebatur satietas præbendi viro aures, etiamsi adijcerentur quadragesimæ omnes anni solemnitates, quas sermonibus in cathedrali excolebat. Venetum quoq; populum ex quatuor diuersis suggestibus continenter instruxit, inter potiores illos enumeratus, à quo proscriberentur vitia constantibus ausis, non suauiarentur aures. Insubres hęc ciuilis solitudinis, vel solitariæ ciuilitatis officia ad senium non suo prolapsus tempore, ne & illud vaniter territum sustineret, decessit de Venetorum finibus, Ariminensibus conuicturus, apud quos quadragesimari in Principe Basilica deberet: Rauennatibus quoq; positurus sequentis anni labores Archiepiscopo euocante. Verùm fata diem eius maturasse visa sunt, siue enim non feret nouam regionem inueterata consuetudo in naturam conuersa, siue exanthlati labores collimassent interiora virium, siue potionibus recenter inuectis non adigeretur stomachus, longo huius deliquio lapsus ad debilio-

debiliora, ac deteriora, debitum naturæ soluit inter alacritates, & consolationes conscientiæ, ita paratus, ac si non lętho perpetuo, sed temporaneo somno se componeret, quod vtique & lachrymas astantium fratrum expressit, & sequendam qualem ille subierat solitudinem impressit. Nonnulla edidit sub Academico nomine Bramosi Sollicitè, quę erat Congregatio Patriciorum Taruisinorum, quę hic non adnectimus, post hęc eius sunt,

Diameron in quo de Natura, & Qualitate Somniorum disseruit.

Item de perfectione, atq; Excellentia Humanæ Amicitiæ, Italicè, & in Dialogi formam. Ad Alexandrum Andreatium Episcopum Mantuanum. Venetijs apud Georgium Angelerium 1589. *Lib.* 2.

Tractatum de Anima Quatuor Libris distinctum ad Curiolanum Garzatorem Episcopum Oßerri, & Nuncium Apostolicum in Germania. Taruisij apud Dominicum Amicum 1594. *Lib.* jv.

Lectiones in Orationem Dominicam habitas Taruisij in Cathedrali, Ad Franciscum Cornelium Episcopum Taruisinum. Venetijs apud hæredes Melchioris Seßæ Anno 1593. *Lib.* 1.

Tractatum de Fortitudine Amoris, & Mortis habitum Brixiæ in Academia Rapitorum, ad Franciscum Gambaram Comitem. Brixiæ Apud Policretum Turlinum 1595. *Lib.* 1.

Tractatum de Docta Ignorantia habitum in Academia Sollicitorum Taruisij ad Curiolanum Garzatorem. Taruisij Anno 1591. *apud Dominicum Amicum. Lib.* 1.

Tractatum de maioritate Viri, vel Mulieris ad Antonium Thomasium Canonicum, & Vicarium Taruisinæ Ecclesiæ. Ibid. 1589. *apud Angelum Mazzolenum.*

Hyppoliti Capilluti Archidiaconi Mantuani.

ACcipe, nec tibi me mendacia fingere credas,
Quæ sunt eximijs sensibus orta modo.
Non te pæniteat sæclis mandaße futuris,
Aonijs Musæ quod peperere iugis;
Quo neque nos maius, neque postera perleget ætas,
Quodque dies vnquam nulla tacebit anus.
I, sequere ingenij clarißima dona, tuiq;
Pectoris, vt meritis præmia digna feras.
Hinc & Aristoteles, & qui per sæcula viuet
Longa Plato, doctis quæ explicuere notis.
Cuncta moue, tota hæc hominum in præcordia funde,
Hocq; indefeßus nobile munus obi

Et quid Crysippus sapiens, Clearchus & olim
Moralis docuit, quicquid & ipse Cato,
Quod tulit egregiæ linguæ Demostenis ardor,
Musaq; Zenonis, Socraticusq; lepos,
Quod dedit Isocrates, & quod Memphiticus Hermes
Fons, & inexaustis quod Ciceronis aquis,
Aggredere ingenti hoc dignum pietate, docensq;
Omnibus æquali pharmaca lance para.
Hos iterum reuocas dulcis ad lumina vitæ,
Dum laudes queris spargere vbiq; suas.
Nec mirum, sic te virtus, ita Pallas amicat,
Dogmate vt errantes pascere possis oues
Sed quid ego hæc passim celebri notissima fama
Describo? Et Phœbi lucidiora face?
Dum tonat in lingua sublimis gratia fandi,
Instar torrentis verba pudica fluunt.
Non vnus Maro, non vnus tibi cedit Homerus,
Laudibus en celebris deficit Ascra tuis.
Quippe vbi terra ferax docto cultore mouetur,
Exoritur cumulo fertiliore seges.
Nil igitur mirum argentum si ex igne probatum
Elicis, atq; aurum si super astra locas.
Torqueat informi cum mens depressa veterno
Lethargo, & iaceat semisepulta graui.
Esca illam pascis cælesti, & dogmate sancto,
Et pia diuino pectora amore reples.
Si qua vides hominum vexari fraude colubri
Corpora tartarei, das pia vota Deo.
Erigis elisas animi dulcedine linguæ
Collapsi vires dum super astra volas.
Multiplices ergo pellacis Errinios astus
A Christi insperso sanguine pelle grege.
Coge, animo cuius grauiora insolescere semper
Vilia deturbans pectore cuncta suo.
Ille salutiferas passim diffundere fruges,
Qui dedit in populum, me quoque pascat amor.
Det mihi & hanc animam semper pinguescere ab esca,
Quæ corpus nutrit, quæ cor in astra leuat
Pendeo ab ore tuo, ceu pendet ab vbere matris
Infans; ecquid enim dulcius esse potest?

CLE-

CLEMENS VALENTIVS PAPIENSIS.





VT quid aduersę, fauorabilisq; fortunę calamo non ignobili Clemens Valenti exaras origines, acta, terminos, qui solius aduersę sæuis iaculationibus scopus conseruaris? Ne illo mentis dirigas aciem, quo pertingere non permitteris. Vt quid vano sudore, laboreq; consumeris ad illam extollendam cæcam, velut aliquando futuram amicam, quæ diris crudeliter te deuouet? Tu modo Lynceos aperias, si licet, obtutus; vt agnoscas planè nil propitium sub sole, si labi dicas ab fortuna. Quin Orationi te vertas, illi inquam, Orationi, cuius sic agnouisti virtutes, ac merita; vt de ea speculum alienis obijcere potueris aspectibus. En ipsa te moratur, aueruncando crudeli lętho sola potens. Sed vel non in illa quanti iuuat, perseueras, vel quæ tuo capiti decreta sunt fata, te velut meliora præstolantur. Nos in immensas illas æterni luminis nebulas ad arcana hæc legenda pertingere, aciemq; figere nequimus. Pro humanitatis debito, pro fraternitatis officio non te absq; lachrymis memorabimus, dabimusq; quod è paupere valemus promptuario, vices effuso sanguini tuo guttulas attramenti aliquas. Volutabatur ab cælorum vertigine annus tertius in additamentum centuriæ salutaris sextæ, ac decimæ, cum Canonicus ordinari obtinet Clemens de Valentibus Ticinensis adolescens quarti tunc lustri limen ingressus. Apta ad normam gerendæ personæ dispositio mox subijcitur assuetę culturæ religiosi incipientis, cui respondent fructus non quasi ex sterili, sed velut ex feraci, agellone, an viridario? Potior eius portio inter quam multas humilis erat ex docibili corde mansuetudo. Cum autem coaluisset in sanctę Religionis institutis, inq; interioris vitę notione, ac praxi idonea, scientijs deportatur adipiscendis de more. Alacriter adhęsit prouincię, ad quam profitendam manuducebatur à natura, & ad quam prę luserat in sęculo sub Antonio Maria de Speltis viro formandis iuuenibus in omnem latinitatem eximio. Audierat quoq; per anni curriculum Doctorem Medam logicalia subtiliter profitenrem, nec non & Ioannem Petrum Valentium patruum Causidicum Institutiones Iustiniani priuata lectione interpretantem, atq; ideo paratior prę multis sodalibus accedebat. Vercellense, Rauennatense, Placentinum, Patauinum Gymnasia excoluit, & ab po-

ab postremi huius eximitur laboribus per Prędicatoream in Vincētino conuentu Generalis Pongoleni. Scholæ Logicali exercendę biennium dedit, verbo populis dispertiendo aliquanto prolixiora fudit tempora. Fauebant autem vtroq; modo dicenti sobrie dona, quæ innasci solent. Vocis hebetudo, aspectus pusillitas, sermonis tarditas, aut certè imprompta locutio lacunas facebant eas, quibus cum laude implendis haud se posse pertingere desperaret. Vberior erat fœlicitas in calamo, & laxior facilitas, nec prodebant ingenij principatum digiti solertiores. Quare ne litaret inuitæ Mineruæ, imperauit animo vacationes ab illis, vt hæc meliore sydere attentaret. Exijt verò imperium illud quo ad priora munera coactè in opus. Quippe charitas, & sitis vera melioris charismatis impotenter vrgebant (quod non semel ingenuè fari voluit) ne referret pędem, sed quantulus esset talis persisteret suggestui. Exijt tamen, & adfuit executio à voluntate elicita, si pauculos illos excipias conatus, quibus laborauit in rusticos suæ curæ aliquando commissos. Cum ad meditata accessit committenda scriptioni, ab bonorum omnium conciliatrice Oratione duxit exordia; siue quoniam plenior cordis fodina difflueret expeditius in rem continenter pertractatam, siue quoniam pronum arbitraretur illud suadere facilius, quod omnibus necessarium esset, quodq; omnes aliquando aggredi solerent. Hinc dedit Speculum illud de Oratione tribus libris, seu partibus distinctum, quod Carolo Cardinali Madruccio Tridentino Episcopo nuncupauit, qui Auctorem ignotum amplexatus in ipsa puritate, simplicitateq; voluit insignis liberalitatis, munificentiæq; planè regię muneribus quasi in subsidium studij, vlteriorumq; laborum cumulari. Diuertit post hęc per intellectus æstum ad alia exaranda, quæ infra reddemus, temporibus, locisq; ac viris, quibuscum agere contingeret, magè se reddens peruium, quam rebus primum inchoatis. Neapoli in Ociosorum Academicorum numerum cooptatus inseruiuit nobili consortio per virtutis speciosę semitas, sed ab Instituto tantisper dissitas. Rempublicam leuiter attigit non desiderio repugnante, sed genio in rebus actuosis inexpedito. Insulis tamen Diomedeis post actum Prioratum præfuit sub Christofaro Ticinensi Abbate vices illius gerens. Fractioris sed constantiæ in retinenda disciplina arcis, & claustri exempla commonstrata, tum præsertim, cum displosis nocte quadam nonnullis maioribus ęneis tormentis, nil statuit animaduersionis necessarię in perditum turbatorem, remoras obiecere ne ad vlteriora progrederetur. Verum pro eius honestamento pugnassent tempora, per quę experientiam concepisset exactiorem, si diuturnioris lucis vsura frui contigisset. Nam ad Sanctorum Naboris, & Felicis Oppidi Luzani datus Rector animarum ab Prępo- sito Ticinensi Cęliaurei, vt secessu illo, & se colligeret lucubrationibus perpoliendis, ac interim panem sacramētorum frangeret paruulis illis; hinc,

atq;

atq; hinc voce diffusa aliqualem pecunię summam apud eum asseruari, nocte intempesta à grassatore appetitur domi clanculum, & infœlicissimè proprio iugulatur in lectulo. Heu quam hòmo homini lupus. Cadit quinquagenarius anno trigesimo tertio mox elapso. Supersunt sequentia.

Speculum Orationis, seu de modo benè orandi libris tribus distinctum Italicè ad Carolum Madruccium Cardinalem Episcopum Tridentinum. Papiæ apud Ioannem Baptistam Rossium Anno 1619. *Lib.* iij.

De Animæ Immortalitate latinè ad Christopharum de Capitaneis Abbatem Tremitanum apud Lib. 1.

De bona malaq; Fortuna Italicè Discursus viginti. Neapoli apud Dominicum Mascaronem Anno 1624. *Lib.* 1.

Ioannis Pauli Mazzuchelli Mediolanensis.

ANte tuo potuit Virtus clarescere Valens
Nomine cunctorum, quo sonat aure valor.
Iam poterit Virtus, Nomen clarescere, & ipsum
Libris, conscripsit quos tua docta manus.

Horatij Serchij Ticinensis.

INnumeris agitur mortalis agitur vita procellis
Et syrtes scopulos, ac vada cæca timet.
Ad portum hæc præparat remis, velisq; quietem;
Sed portum raro fessa carina capit.
Tranquillos portus, optataq; littora quæris?
Dulcis vbi pax est, floret, & alma quies?
Hoc duce carpe viam, fluctus ne horresce timendos,
Nam portum capiens hoc duce tutus eris.

Donati Piperni Beneuentani.

QVAE quæ es dic? Fortunæ vox. Cur Fæmina? Nempè
Infida, & vna Dea, quæ sine lege fluit.

Cæca

Caca regis cur? Dum dono, nil Cerno. Rotundo
Marmore stas? Discas lubrica dona mea.
Palma tenet virgam, tenet at altera cornu?
Imperium virga hæc indicat, illud opes.
Regina auratis alios cur vestibus ornas?
Fortunans multos, tu sine veste manes?
Nil mirum, spolior, cunctis, cum largior omne;.
Nunc patior vinci inuicta Valente viro.



COLVMBINVS RAPARIVS CREMONENSIS.





AGNO herclè, ſingularíq; Iurium Lateranenſium commodo edidit clara Inſubrum Cremona Columbinum Raparium: vt ad rapidisſimi fluminum Eridani oras natus, neſcio quali omine benè augurato, fortis iudicij, & perfluentis eloquentiæ impetu illius aquas æmularetur,tantorum fluminum tributo ditatus, & dilatatus. Ecquid mirum ab natura rectè propenſo, ab educatione rectius dolato, ab exercitio optimè efformato tantas exactisſimi Practici opes obtigiſſe? Id ei vni (quod fortè ſi non ſoli, ſaltem cum paucis commune) datum eſt, vt longa die fruitus, veneranda ſenecta, & ex habitu nuſquàm ægro per quàm conſpicua, per omnes gradus Reipublicæ Canonicæ aſcendens,omnem cuiuſq; conditionis perſonam induerit, omnes omnium qualitates ex praxi in ſe exercita acquiſierit. Quinquies Viſitator,Tertium Generalis Rector in publici Magiſtratus vim ad omnium Italiæ Principum aures ingreſſum habuit. Bene ſonantis eloquentiæ tonitru, exactæ fulgurantis prudentiæ corruſco ſplendore nullas non nubes oppoſitas fregit, in crepitum ſoluit, in vanum aerem eliminauit. Cùm anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo ex Generali Portuenſi Synodo Primum Viſitator ſub eximio illo Ludouico Salodienſi Rectore Tyrocinium ferè luſtrandæ Congregationis egerit; fundamenta illa iecit, quæ ſuccedente die ſuis amplam parerent dignitatis molem. Siquidem ea eſt virtutis benè cognitæ vis,vt nutantibus votis robur addendo excitet ignem ex lapide quaſi per igniarium calybem repercuſſo. Ex ſuperius adnotato tempore per triginta fermè annos, vſque nempe ad ſexageſimum quartum eius ſæculi, in quo vltimum Viſitator apud Rauennates renunciatus eſt; valuit in Congregatione quod voluit, voluit quod viguit, viguit per illuſtres Prælatos quod ex honore Summi Numinis, quod ex beneficio populorum, quod ex diſciplinæ Regularis feruore, quod ex Canoniarum dignitate, & augumento erat. Hinc ſtratum ſemper ingreſſum ad ardua queq; maxima pertractanda obtinuit, ea præſertim in Aula Vrbis, quę viros ſimilis vitę profeſſos,neq; frequentes videre ad palatia probat, neq;ſolitariè moroſos admittit; vt vix medium credas inueniri,quo Cēſuratrici Magiſtræ per probatos faſtus ex prudentia graui fieri ſatis queat. Sub

 Ordi-

Ordinis Protectoribus Nicolao Flisco, Hercule, & Francisco Gonzagis, Marco q; Antonio Columna præfecturas suas egit, ex quorũ necessarijs negotiorum conferentijs quid non prudentię, quid non auctoritatis indeptus esset; dum quatuor Cardinei Senatus præcipua lumina minùs natalium, alioqui Serenissimorum, splendore, quàm doctrinarum, & virtutum radijs corruscarent? Quare oborto grauissimæ litis fluctuoso turbine, in quo de summa iactura dignitatis totius Canonici Ordinis agebatur; adiutrices manus cum pręcipuis alijs Congregationis viris ad illud reijciendum aggregauit. Ad augendum propriæ familię decus Cassinates illi illustres Regulares, qui ex Monastico ritu vexilla ferunt, & primas obtinent, plusquàm vno loco indicto conflictu iudiciario, Canonicos Lateranenses postulabant, vt iura sibi præcedentiæ Ecclesiasticæ cederent in omnibus ritibus, solemnitatibus, publicisq; actibus, eruentes omni conatu ex antiquitate originis, excellentiæ, priuilegiorum, fæcunditatis, numerositatis, vsus quotidiani iura, & rationes ad astruendum intentum. Id verò tum fortius vrsere, cum in OEcumenica totius Ecclesiæ Tridentina Synodo inter Abbates vtriusq: Ordinis de loco, vel sedendi, vel dicundæ sententiæ dissidium obortum esset, quolibet eorum curante ne præiudicium per eos repræsentatis (vt credebant) Ordinibus inferreretur. Dimicatum est propterea vtrinq; omnibus copijs, nihil intentatum illi relinquentes, quo istos de gradu deijcerent, auocante scilicet ad se vniuersum causæ statum Pio Quarto Summo Pontifice, cuius memoria felix in benedictione sit. Ex Lateranensibus, qui omnes industriæ, vigilantię, ingenij neruos intenderunt ad tuenda propria hæreditatis ornamenta: effulsere cum primis Marcus Antonius Bagarotus Placentinus, & Columbinus Raparius; ille magnificentissimis operibus, animoq: eximio, Regibus ipsis propè comparandus, iste solicitudine, & dexteritate vniuersarum dificultatum maior. Qualenam esset rei discrimen sufficiat ex hoc vno innuisse, quod nullus ferè extitit illorũ dierum Iurisperitus egregij nominis, qui pro aliqua partiũ calamum non exercerèt sub ingenio. Pridem Doctorum Collegia integra Ticinense, Patauinũq: pro Canonicis consuluere, licet postea ad Monacorũ intuitũ se retractauerint, vel, vt quidã ait, se declarauerint, quibuscũ retractationibus Ferrariense quoq: Collegiũ stetit, ac Bononiense, & cum vniuersitatibus tantis coniunxere vota, ac responsa Io: Baptista Caccialupus, Lancellotus, Decius, Cosmas Passettus, Baptista de Sancto Blasio, Ioannes Antonius Papia, duo Francisci Curtij iunior, & senior, Dominicus Picellus, Franciscus Pusterla, Bonifacius de Pichis, Stephanus Costa, Alexander de Neuo, Antonius Franciscus de Doctoribus, & Stephanus de Desiderijs: ac vt augeretur conatibus tantis numerus, adfuere item his agminibus Bartholomæus de Aquis Fratrũ Hæremitarũ Generalis Prior, Vrbanus Abbas, & Bruno Monacus, atq: Antonius de Cocchis, Guido de Are-

de Aretio, Bulgarinus de Bulgarinis, Bartholomæus Socinus, Ioannes Campeggius, & Rolandus Curtius. Pro vltimis verò aggressionibus iurgiosè quasi Goliath adparuit Antonius Massa Gallesius, & honestissimo more Marcus Antonius Burghesius, atq; Honofrius Camaianus. Pro Canonico autem Primatu exerere gladium iuris, ac rationũ sub initijs Carolus Ruynius, Christophorus Albarisius, & Antonius Corsettus ex præuio lumine operũ Augustini de Nouis, Eusebij Coradi, & Dominici Taruisini Canonicorum. Ad posteriores tãdem vrgentiores actus Scipio Lãcellotus, Iacobus Portius Imola, Pyrrus Tharrus, Vincentius Parentius, atq; Agabitus de Magistris. Commissa itaq; causa Ioanni Michaeli Saraceno, Bernardino Scoto, & Io: Baptistæ Cicadæ Cardinalibus Eminentissimis ex Pij rescripto, ac postmodum ad se illã reuocãte pro iudicio finali, referentibus, & subscribentibus vnanimi voto ijsdem Cardinalibus ipse Sũmus Pontifex secũdũ istos solemniter litem dedit, Pontificio diplomate decernens, Canonicorum Regularium Ordini Principem locum, gradumq; ac dignitate ampliorem suo ipsorum proprio, ac legitimo iure præ Monachorũ Cassinensiũ Ordine vsq:quaq: deberi. Quare cum in causa tam longa, tam multiplici, tam diuturna multa à multis scripta fuerint; ne tantarum rerum monumenta delitescerent, Columbinus exacto consilio ea in vnum compegit, & bona fide, suo quæq; loco singula edidit, vt videlicet eius diligentiæ Posteri debeamus splendidissimã lucem, quæ alioqui apud Libelliones inter Protocolla perpetuo delituisset. Obijt ad Apostolorũ Principem de Pado Septuagenario maior. Post Acta Capitularia anni 1569. his verbis adnotatur viri præclari obitus. Pridie kalendas Aprilis Anno salutis nostræ 1570. Bononię in Monasterio nostro Sancti Ioannis in Monte, Paschalibus ferijs nondum sacris persolutis non sine maximo animi nostri mœrore, totiusq; Reipublicæ nostræ graui iactura, luctuq; inenarrabili, literis Reuerendi in Christo Patris Domini Calixti Vicentini Visitatoris certiores facti sumus, Reuerendum Patrem Dominum Columbinum Cremonensem Visitatorem Collegam nostrum Cremonæ in Monasterio Sancti Petri de Pado Sanctissimè ex hac mortali vita migrasse, virum sanè egregium, Prudentia, Grauitate, Benignitate, Modestia, Sanctitate, Pietate, omniq: virtutum genere exornatum. Quem & præcipua quadam sui ipsius facilitate, morumq; venustate, & gratia, studioq; iuuandi in bonos omnes de nostra Congregatione optimè meritũ, omnibus denique dignitatum gradibus per quadraginta, & eo amplius annos innocentissimè perfunctũ, & nunquam satis laudatum, meritò Patrũ, Patriæq; Patrem appellare possumus, & volumus. Successoris autem electio vsq; ad Patrum Maiorum proximum aduentum ad Capitulum Generale honestis de causis tunc adiudicata est.

Allegationes Diuersorũ Doctissimorum Iure Consultorum in causa præcedentiæ Canonicorum, ac Monacorũ Cremonæ apud Vincentium Comitem Anno 1567.

CONSTANTIVS APPLANVS MEDIOLANENSIS.





B præclarisſimo Applanorum ſtipite illo, à quo dudum prodiere, qui iura antiquæ, nouæq; Populoniæ ad Tirheni maris oras dedere Reguli, originem quoq; ſuam apud Mediolanenſes duxit Conſtantius is, cuius memoriæ pauculos hoſce attramenti litamus latices. Vocationis viri primordia inter nubeculas obruit antiquitas. Coniectari nobis ius remanet, fortè prædiſpoſitum extitiſſe ab Franciſci de Applanis Mediolanenſis virtutibus, cuius apud monumenta Canonica inſignis eſt memoria, tanquam is, qui inter Quartumuiros Viſitatores adſcribitur de anno ſeptuageſimo nono poſt milleſimum quadringenteſimum ab Comitijs Ferrariæ congregatis, & cui nec longè abeſt à vero, quod ſanguinis fuerit obſtrictus neceſſitudine. Reliquum verò vitæ genus, & inde ſecuta bona non eadem premuntur obſcuritate. Quis enim ſolem ita velo tegat, vt non aliquando luminis atomi, vel corpuſcula carptim elabantur? Qui primas Ordinis Canonici decucurrit inoffenſo pede dignitates, primis quoque eluxit virtutibus, & anteambulo merito omnium ita ſibi allexit amorem, venerationemq;, vt ab Sanctiſsimo ipſo Chriſti Vicario teſtimonium probitatis inuenerit. In eas Congregatio inciderat calamitates, afflictionesq; per illa tempora, quarum maioribus ſubſuiſſe haud quaquàm vltra contigit. Nullo enim filiorum, alumnorumue ſuorum prouocante vitio, nullaq; extimulante culpa, ſed ſola impotentia, ſolaue acerbitate Romanorum quorundam prętexentium ſibi, filijſq; ſuis iura, ac bona tolli, & occupari à peregrina catherua hominum puri canonis, rudis collobij, craſſæq; pannoſitatis cultorum; per uim pulſa, expoliataq; remanſerat ab antiqua illa, & ſemel iterum, ac tertio reſtituta Patriarchij Lateranenſis poſſeſsione. Interregnum namq; illud, etiam ſi breue dierum treſdecim, demortui Pauli Secundi anxiè ab ſeditioſis, & præpotentibus aliquibus expectatum id audaciæ corda induerat, idq; facinoris perpetrandi animos addiderat. Neque temeratoribus Quartus Sixtus mox coronatus murum ſacræ poteſtatis oppoſuit, ita nempe iniquæ ætatis conditione ferente. Quin ab maximè diſtento in latiora bellorum Chriſtianæ Reipublicæ compeſcenda ſtatutum emanauit, vt de cætero Sacroſancta ea Eccleſiarum omnium mater per

ter per sæculares Canonicos regeretur, ac gubernaretur; ne ex procaci perditorum perduellium nequitia in maiora res laberetur incommoda imparato, & tunc suis non satis innixo temporalibus viribus. Hinc sanctè Cōgregatio suarum esse partium rata secundum Deum iuribus insistere suis, ne inepta, aut assentiens tantam deserere amissionem videretur: inter supremas rerum omnium difficultates Generalem Ordinis Procuratorem in Vrbe detinet, qui omni quo impensius valeret officio, sedulitate, diligentia Sanctissimo Apostolico suggereret pro opportunitate, etiam ad modum stipis obuiatę, quam acerbè, quam enormiter læderetur, maiorumq: suorum legitima hęreditate expoliata relinqueretur. Iustis querelis, meritisue quærimonijs nunquam faciles aures non accommodauit Sixtus, cuius immò pectore satis infixum esset offensionis facinus, & in cętum innocentem, & in sanctam maiestatem admissum: & sæpius restitutionis in integrum pollicitamenta inculcauit cordata. Sed cum prudens tollerantia aliud suaderet, læsos quocunq: alio conamine fouet, & quouis alio fauore compensat. Declarat ante omnia nos per vim Laterano reiectos, ac pulsos. Deinde Summi Dei Saluatoris Lateranensis Titulum, & Nomen Congregationi ab Eugenio Sanctissimo, Maximoq: Prædecessore inditum, nec non iura, immunitates, gratias, priuilegia, ac indulta tam per eundem, quam per alios Romanos Pontifices concessa confirmat, ac roborat per bina diplomata anno primo, & sexto sui Pontificatus data. Præterea Abbatiales Titulos à maioribus nostris auctoritate Apostolica immutatos ad populorum instantiam instaurat, erigit, & ad pristinum statum, ac dignitatem reducit anno nono. Nouariense insuper, Astense, Alexandrinum, Bergomense, Cornelianense, Laudense, Cretanum, Cæsenatense octo Collegia Canonico Dogmati adiudicata, & adiecta idem amplè contestantur. Cum tamen adhuc isthæc minora censeret optimus Pontifex damno illato; Almę Virginis Deiparæ à se constructam media ipsa in Vrbe Ecclesiam à nostris possidendam præcipit. Insignem Basilicam ab compositis ab se Italorum Principum dissidijs, abq; extinctis bellorum flammis Sanctæ Mariæ de Pace votum absoluens attitulauit, prædignis prærogatiuis exornauit, primūq; in illa Præpositum Constantium imperio suo ordinauit. Oratoris Applanus munere fungebatur per eos dies pro Congregatione penes Sanctissimum, & in ferenda prouincia labores absumpserat pene Herculeos, dexteritate præsertim agendorum, innocentia morum, suauitate sermonis, soliditateq; doctrinæ apud doctissimum Pontificem commendatus, & notus. Ea propter in Literis Institutionis de ipso ita pro loquitur. Ita quod liceat dilecto filio Constantio de Mediolano eiusdem Congregationis Canonico, & pro ea in Romana curia Procuratori Generali, & quem ex nunc motu, scientia; & potestate prædictis in Prepositum templi, ac Monasterij vsq; ad futurum

rum Capitulum Generale per prędictam Congregationem celebrandum deputamus, ad hoc ne interim Templum, & Monasterium in temporalibus, & spiritualibus aliquod patiatur detrimentum, firma spe, fiduciaq; conceptis, quod per ipsius Constantij laudabilia merita, & studium fructuosum, Templum, & Monasterium in eisdem spiritualibus, & temporalibus plurima suscipiet incrementa, per se, vel alium, seu alios, Templi, & Monasterij, Ecclesięq; olim Sancti Andreę, iuriumq; & pertinentiarum prędictorum, corporalem possessionem propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, ac inibi habitare, & ressidere, dicti Cardinalis, seu cuiuslibet alterius licentia super hoc minimè requisita. Quin ad augendum loci, personęq; ac successorum decus, sic statuit, Ipseq; Prępositus dictę Prępositurę, qui pro tempore fuerit, Mytra, Annulo, Baculo, & alijs Pontificalibus insignijs etiam vti, nec non in dicto Pacis Templo, ac infra septa dicti Monasterij benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinorum solemnia (etiam si in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, Cardinalis, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens fuerit) elargiri liberè, ac licitè possit, & valeat. Est autem id tantæ facultatis elargitæ vt extra communem vsum, ita & in triumphi speciem quampiam Constantio, qui rebus tam decenter, tam aptè pro Ordine compositis, ire in omnem posteritatis plausum meritò debuit. Lingua post hæc, calamo, administrationibus Rempublicam meliora sperantem, & exacta suspirantem pertractauit super semitam omnis innocentiæ. Quantus in cura sui ipsius esset, quantus in cordis munditia, quorsumue cogitata mentis, actionumq; fines dirigeret, planè declarant Solliloquia illa, quæ Abbas Sancti Petri de Pado Cremonæ vulgauit. Visitatoris mune re semel, ac iterum fungitur. Acclamato enim Primum Syluano Mauroceno Veneto de anno sexto ante sesquimillesimum Collega adiungitur ab Synodo Rauennate. Neque obicem electioni ponit Lucas Mediolanensis eidem officio assumptus: quippe nec cautum erat, ne eiusdem nationis plures simul potestatem censoream exercerent, atq; virtus inclyta Applani, vt super legibus dispensaretur, suauiter imperitabat. Item de anno septimo supra sesquimillesimum per Placentina Comitia ijsdē fascibus decoratur, Angelum de Electis Generalem sortitus, quod felix, faustumq; fuit per nouam accessionem Ordini factam Canoniarum Trinitatis, atq; Catherui apud Mutinenses, & Tolentinates. Ipse post hæc circa sexagesimum sextum ætatis annum viam vniuersę carnis ingreditur optimo innocentissimę vitę odore relicto. Scripsit

De Humani Arbitrij Potestate, & Prædestinatione Librum vnum. **Lib. 1.**
Item Opusculum, quod attitulauit Soliloquia Abbatis. **Lib. 1.**

CON-

CONSTANTINVS CAMPANEA NOVARIENSIS.





VT nihil, aut profectò parum de Constantini Campaneæ laude detrahere debet, quod aliquando iuuenili acrimonia extimulante, sanguinisq; accensi feruoribus impellentibus, Principes contra Religionis morem adire præsumpserit, quodue absq; Superiorum facultate nonnullas Congregationis Canonias lustrarit curiosius, Mediolanensem, Romanam, Neapolitanam. Siquidem ita animaduersere in illum Proceres, vt exemplum posteritati remaneat, neque aliquando errata penes Ordinem impunita pertransisse, neque personas, & si alioqui claras, conderatas fuisse, vbi iustitiæ tenor exercendus esset. Ille insuper ita se se disciplinæ subiecit, & in rectum iter ita se reuocari permisit; vt quadantenus liceat dicere, præstantius ab errato actum cum illo fuisse, quam ante perpetratam culpam. Excelsorum nanque ingeniorum id proprium est, si aliquando fragilius labuntur (quod humanum est) fortius assurgere, & melioribus ausis compensare lapsuram. Peccauit autem fortè vitio magis sæculi, vix lumen admittentis, quam voluntatis nequam. Quis est enim qui ignoret ex parumper versâtis circa temporum notitiam quænam esset figura Italiæ, quinamq; ordo, ac modus viuendi hominum circa annum vigesimum quintum superioris sęculi, biennio scilicet ante deprędatam urbem Romam? Vtique etiam electos, si fieri potuisset, in errorem perpulisset militare flagitium, cuius est proprium in gladio ius omne locare. Constantinus autem haud multo ante ad officium prędicationis admissus cum ex voto illud sibi succedere cerneret, ab inani gloriola quadā actus in transuersum, cohortationibus nobilium nonnullorum ita patuit, vt peregrinandi ad potiores Ciuitates pruriginem admittens, & apud Principes viros fauoribus, & gratia valendi tentigine euiratus, habenas laxauerit libertati vetitæ. Verum imperata vacatione ab suggestu, & silentio annuo claustrali (solis vix duobus assignatis quibuscum ageret) emendatus, alijsq: salutaribus pęnis cohercitus ad se se reuertitur, & lapidem omnem mouet, vt odorem virtutum effundat ibi, scandalum vbi perpetrauit. Quamobrem iteraro restitu-

ſtitutus priori facultati, & iam cautior factus, & circumſpectior, vigilauit ſedulitate maiore in ſui cuſtodiam. Quin de virtute in virtutem procedens ad proximos omni arte iuuandos digreſsus, ſacris tribunalibus pœnitentiæ indefeſſus ſe dedit. Condiebat altum munus affabilis ſeueritatis ſale, elucebatq; in eo tam in omnibus detegendis vulneribus; atque tumoribus flagitiorum, quàm in apponendo malagmate cuiq; opportuno prudentia vero presbytero digna, ardorq; plenus diuini honoris,& animarũ Chriſti ſanguine redemptarum zelus, ſitiſq; nuſquam explenda. Ea propter ex maiorum diligenti cura ad inſigniores Canonias inhabitandas deſtinabatur in ijs videlicet vrbibus, quæ & numero,& merito incolarum florerent nobiliores: atq; ideo loca quæ prius adierat iniuſſus cum Ordinis perturbatione, poſterius tenuit iuſſus cum eiuſdem ędificatione, & adiumento. Accidit quoq; eum non ſemel de vna ſede ad aliam tranſmitti maximè mœrentibus illis, à quorum cultura remouebatur, enixèq; apud Pręlatos eius opem implorantibus. Ita aliquando exorauere Proceres nonnulli Neapolitani, ita & Ianuenſes. Sed is ille populus extitit Venetus, apud quem diutius contigit eum laborare. Nam ſacri verbi ſarcina diuerſas ampliſſimæ Ciuitatis Eccleſias adiens tam infra anni feſtiuitates, quam in ipſis quadrageſimę ferijs deponebat ore inęſtimabiles ſapientię merces, & vitę ęternæ diuitias, quas ſolo precio animarum commutabat, illudq; apud ſe, immò apud Deum ipſum in ſacramento pœnitentię ab omni ſcoria,fęceue depuratum condebat. Primę nobilitatis Patres virum adibant tam ad auriculare ſigillum, quam extra ad conſulendum,quę in dies ad fructum boni operis attinerent, quęue ad verę pietatis profectum, adq; ſpiritus diſciplinam opportuniora arbitrarentur. Ille verò non ineptus diſcretor ſpirituum ab verſata cultura factus, omnes ita dirigebat, vt plenè agi ſpiritu Dei crederetur. Inſuper vt voti compos fieret de integro pro virium ſuarum facultate, lingüę, auriumq; operibus addidit opera manus, & calami: atque ad iuuandum omnegenus fidelium vtriuſq; ſexus italico idiomate ibi euulgauit, quę reddimus.

Confeſsionale interrogatorium, ſeu Modum Confeſsionis Sacramentalis perficiendæ. *Lib.* 1.

Item Dialogum de Humilitate: nuncupauit vtrunq; Marino Iuſtiniano Patritio Veneto. Venetijs apud Marinum Zoppinum anno 1535. *Lib.* 1.

CON.

CONSTANTINVS MASSINVS VERCELLENSIS.





INEÆ Lateranenſi cultor ſtrenuus euaſit Conſtantinus Maſſinus Vercellenſis, vindemiaſq; expreſſit feraciſſimas ex botris eius virtutū; vt vino pietatis ardentiſſimæ, candidiſſimæq; doctrinæ fideles Domini ſui populos ad Sanctam vſq; propinaret ebrietatem. Licet enim ex ſęculari diſciplina imparatus acceſſerit operi perficiundo, qui nihil præ rudimentis primis poſſideret; improbo tamen labore, iugiq; orationis ſubſidio obicem quemcunq; eliminauit. Qua in re effloruit etiam magiſtrorum charitas, qui indole inſpecta adoleſcentis aſſurgentis ad commonſtrata quæq; ſi non pro facilitate propendentis naturæ, ſaltem pro electione conſtantis propoſiti, vigilias, cæteraq; incommoda vorantis; in eo excolendo nouiter incubarunt. Vna taciturnitas oris, & aſpectus opinoſo ſemper perſimilis proloqui ſtupiditatem quampiam videbantur, qua tamen nil minus inficiebatur. Sed prima ipſa tyrocinij lineamenta per animum obducta leniter leuigatum profundè adeo inhæſerunt, vt non ipſas modo ſcholas, ſed vniuerſam omninò vitæ ſcenam talis peregerit. Laus autem ſecuta eſt exercentem huiuſmodi perſonam, quoniam virtus præiret in illa, & nihil niſi ad ſanctuarij prius appenſum pondus exiret: & hoc illud eſt, Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis: Et per triſtitiam vultus corripitur animus delinquentis. Caliſto Mazzola Vincentino ad Generalatum aſsumpto ornatus eſt munere pręedicationis ab Synodo Rauennatenſi anni ſeptuageſimi ſecundi ſupra ſeſquimileſimum, vna cum aliis qindecim: auctumq; doni decus eſt ab inſigni penè conſodalium colligatione Pauli de Groſſis, Herculis Monaldini, Pauli Malchiodi, Seraphini Merlini, & Aloiſij Belacati eidem exercendę prouincię confirmatorum, quorum poſtmodum laus in Euangelio extitit ſingularis. Sanctam ſarcinam portauit ad annos ſexdecim viribus ſemper auctus à Domino, à ſe toto cordis hiatu prædicato: & qui ſobriè ab ſuggeſtu loquebatur, in illo pertractando lingua, voceq; pollebat, qualis vix ſuauior, vix vehementior deſiderari potuiſſet. Dono lachrymarum lachrymas eliciebat, vitæ auſteritate, quę Canonicum decet, auctoritatem, fidem hortationibus, monitis, minis addebat. Ligures tamen, Pedemontanas, Sabaudas, Monferraten-

ferratenses oras non transilijt, proximitate quadam vt loci, ita & morum prędilectas, ac propè peruias. Fama verò & desiderium declamationum illius exteros multos, principesq; viros, & Ecclesiarum Antistites inuasit, à quorum nonnullis abstinuisse accidit præter eius voluntatem ex maiorum præcepto. Soli Rauennates in summo templo coronam dedere bis, ac tertio comitiorum occasione. Verum enimuerò quos non assecutus est orator, scriptor in ipso penè concionum medio cursu obtinuit, edito Purgationis animæ Christianæ volumine. Decuit autem talia pharmaca tantum medicum, dum ex similitudine morborum, & curationum corporis documenta præbet ad medendas peregrinantes animas, nec illas pręterit, quæ purgatorio igne cremantur. Hippocratem illum dicas spiritalem. Euulgatum opus vndiq; tot maturauit fructus gratiæ, quot authumnus naturæ: adeo cordi sunt Deo scriptorum pia conamina; & quæ interim inseruiebant ab suggestu ordinamenta, non vim amisere consignata papyro. Docebat in ijs, quæ tum in se, tum in alijs experimento didicisset siue arcendæ ægretudini, siue conseruandæ valetudini animarum, augendęq; opportuna. Experiri verò tanta potuit & ex mentali congressu cum Superis, & quoniam sibi formasset velut in nosocomium quoddam auricularis confessionis exedram. Hinc ne illud obijci posset, quod Dominus Saluator aliquando protulit, vtique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice cura te ipsum, Quanta audiuimus facta in Capharnau, fac & hic in Patria tua; curandis Ordinis Colonijs præficitur. Post liberam nanque ressignationem Gregorij Bugellani datur Præpositus venerabili Canoniæ Sancti montis Cretæ, electoribus quinque viris Camillo Becio Generali, Sigismundo Arcellio, Aurelio Turiano, Constantio Villanio, & Iacobo Ruellio Censoribus circa Nonas Septembrias anni octuagesimi octaui pręteriti Placentiæ congregatis. Haud à se ipso dissimilis præter quotidianam sollicitudinem sibi commissi gregis toto incubuit spiritu augendæ populorum deuotioni erga sacratissimam Dei Genitricem eo loci summè cultam ab annis propè mille ducentis. Ea propter perpetuam quadraginta dierum Indulgentiam omnibus eandem Ecclesiam inuisentibus ab Marco Antonio Gonzaga Marchione Principe, ac Casalensi Episcopo, & Comite exorauit: & libros tres edidit de Origine, procursu, ac miraculis eiusdem piæ deuotionis, deq; modo ritè Beatissimam Virginem Matrem venerandi. Eo functus officio Genuensium, Vercellensium, Astensium Abbatias successiuè moderatur præstans verbo, & sanctimoniam promouens doctrina, atque exemplo, in omnem Religionis sanctionem exactus, nilq; vel sibi, vel alijs permittens, quod languorem, remissionemq; saperet, secundum quod donum procerum animis erat infixus. Quare ab congregato maiore Senatu anni tertij ante sextumdecimum sæculum ad decus notæ virtutis, ad fulcimen-

mentum Sacræ matris, atq; leuamen Theodosij Rouescallæ rerum summæ præpositi Censor renunciatur, collegis Petro Bonsignorio, Celso Dugnauo, & Aurelio à Turre viris primi consessus, & alias eodem munere functis. Lampas lucens, & ardens candelabro aptissimo imposita quales radios, qualemue fulgorem diffuderit vni Cremonensis Dictæ successus contestantur, ab Generali quidem Abbate legitimè effectum sortiti, & nomen; sed in quorum incubatione, fœtura, & expressione multum ipse contulerit consilio, acri suasu, fortisq; animi constantia, ac robore. Multo plura, multoq; acceptiora cessissent in commune commodum, si triennem prouinciam fidei suæ creditam absoluere fuisset permissus; sed medio in ipso stadio deficit, ad præmia, vti piè speramus, illum euocante Deo. Cum primum se morbo expugnari colligit postremo, deprecatur, iubetq; Cretanum montem, vt in eo pijssimo loco diem suum claudat, & Sacratissima ea in æde sub protegente misericordiarum Matre tumuletur. Dormit cum Patribus suis non adhuc sexagenarius Abbas Astę, ac Visitator. Successorem Abbatię Petrum Franciscum Malettum Vercellensem à Pręposituram Bugellana absolutum, Visitatoratus verò Constantium Villanium Laudensem apud Cremenses Priorem agentem renunciant Regij Lepidi circa solemnitates Natalitias eius anni Rouescalla Generalis, Bonsignorius, Dugnanus, Brugnolusq; Collegę. Habemus itaque

De Purgatione Animæ Christianæ tam in hoc mundo, quam in flammis pænalibus purgatiuis librum vnum. Ad Bernardinum de Sabaudia Equitem Ordinis Diuæ Annunciatæ, Vercellis apud Ioannem Franciscum Pelliparium Anno Domini 1581. *Lib.* I.

De Sacro Monte Virginis Deigenitricis Cretæ in Monteferrato libros tres, Historialem, Doctrinalem, Moralem. Ad Vincentium Gonzagam Mantuæ, & Montisferrati Regulum. Ticini apud Hieronymum Bartolum anno 1590. *Lib.* iij.

CONSTANTINVS FASEOLVS LAVDENSIS.





ONO quidem iure actum putamus, quod Gabriel Pennottus Abbas aliquando Constantinum Phaseolum Laudensem Constantino magno Imperatori coniunxerit scribens, Non absq; peculiari Dei consilio factum crediderim, vt series historicæ huius narrationis, cuius in Magno Constantino Lateranensis Basilicæ auctore primus limes ponitur, in altero Constantino Supremo Lateranensis Congregationis Præside, moderatoreq;, si non imperio (en reddita copulationis ratio) certè pietatis, religionis, integritatis, omnigenęq; virtutis, & erudirionis meritis magno, & maximo, nouissimus locaretur. Bono inquam iure, cum pręter illud, quod ipse adducit argumentum, plura alia in idem tendentia adsint. Profectò nil adeò tam grande est in Professionis huius assecla quolibet, quo de vir hic non ad vnguem triumphet opiparè, præsertim verò in curandis Lateranensibus augumentis. Lineum militiæ clericalis sagum induit apud Bugellanos die Apostolo Barnabæ solemni tertio idus Iunij, quā lucē annuo recursu gratæ commemorationis ergo quoad vixit celebrauit inter peculiaria sacrificiorum odoramenta, & inter paratiores iucunditatis religiosæ contestationes: eadem enim post solarem duodecim mēsium assuetam exinanitionem pepererat illum Saluatori Deo per sacras sponsiones, quas inter ea fœliciter innouabat, ratasq; Numini, atq; Diuis volebat, ac precabatur. Annus erat octuagesimus nonus supra sesquimillesimum, & ordini præsidebat Camillus Becius Casalensis, ab cuius sanctionibus pendebant intra leges vniuersa, præsertim verò ephebiæ educatio ad omnē amussim collineata. Quare per seueriora Antistitis scita integram triennem disciplinam tyrocinij, nusquam innouatis castris exercet. Voluit tamen ille post exacto experimento prioris anni, licere ei Dialecticis, & principijs Naturalis Scientiæ assidere auditorē; atq; ideò illac destinatuit interpretem sacerdotem prouecti moris, & vitæ. Numero pollens, & virtute schola, animos auxit moderatoribus, vt in eam simul coalescendam, & maturandam conspirarent iunctis animis, dum quiq; pro nationalium aura intendunt vires, & consilia. Hinc Patauium selectiores omnes traducuntur, longo quidem tractu ab Pede montanis ad Venetas oras, sed necessa-

necessario. Petrum de Murano Vercellensem, Florianum Nanium Bononiensem, & Valerianum Zampetrium Imolensem insignes humanorum, diuinorumq; arcanorũ interpretes eius Lycei coluit Constãtinus, non quo auditores solent studio; sed quo liberi parentes, in omne semper obsequium presto, per quod creuit ad meliora sub exquisitiore cultu. Cõpegere in vnum quinquennes labores non frondem modo doctorei serti, sed & fructum scientiæ solidæ, sibiq; constantis, velut ij, qui ab imi pectoris radicibus alimenta libassent. Vnde non summa labia, sed patulum in eo cor, & fortè loquebatur ingeniũ. Finitimi patrię Cremenses primitias concionantis hausere in ordinis Basilica, cui ab Monacorum præstite Benedicto nomen est. Biennes enim lectiones ab Pentecoste ad Natiuitatem in illa præmisit, irritamenta animi, & tentamenta simul futuræ exercitationi super latiores exedras. Nam dehinc nobiliores Italicę vrbes Mediolanum, Venetias, Lucam, Vercellas, Ticinum, aliasq; plures nunc in velitis, nunc in statarij morem oppugnauit, vt expugnaret Cęlo. Ardor mentis, animarumq; Zelus compensabat non exilem quidem, attamen non prę mediocritate valentem tubam soni, vocisq; Quod si id naturalis talenti minus in eo desideratum fuisset, vtiq; oratoribus primi nominis componendus accedebat. Profecto Modoetiam pręclarum oppidum, & ciuitatibus quam plurimi par, adeo tantus contrectauit in peroratis quadragesimę; vt animi velut extatici ad dicentem conuolantes, & ab Pitho eius pendentes ceferentur, penè rigentibus interim ad auditorij loca corporibus. Hinc Lambro finitimę gentes eò confluebant certatim, dum fama latè placentis extenditur; & lucra inde Cęlo gratiora fiunt, dum quos curiositas vna attraheret, suasio, curaq; salutis figebat, & oppidanorum pręeuntia exempla in omne pietatis, christianiq; cultus officium. Quare si alia sibi nulla seposuisset merita ex apostolico munere (quę seposuit plurima) certè quę ibi sedulus cumulauit, ad famę ęternitatem omninò pertingunt, & (quod suauius est pro Deo laboranti) & in eo adscribuntur libro, à quo bona nulla cadunt, vel prętereunt non signata. Processerat satis adhuc in actuosis Reipublicæ, varijsq; functionibus, armum mentis suppofuerat nunc Laudensibus Prior, nunc Genuensibus Abbas, nec tamen ab verbi habendi partibus pedem referebat; cum, maiori superueniente negotiorum mole, ne bino obrueretur officio, quorum vterque totum requirebat hominem, vacationem sibi ab illo pręstituit non volens, sed coactus. Reperiebat tamen vtrobiq; Martham sollicitam esse, & Mariam in hisce publicis seponendam secessui nunc cellę, nunc chori. Annos iam vnũ de triginta sub Ordinis disciplina exegerat donis ingenij, morumq; spectabilis tam intra penates, quam extra, cum per Conuentum Rauennatensem Quartum vir renunciatur Hieronymo Onofrio Fanense, Marco Antonio Manetto Massense, & Polycarpo

carpo Capello Casalense Collegis. Arduam se ipsa prouinciam ponderosiorem reddebat Seraphinus Verdellius Generalis ignei genij vir, plurimumq; in suo sensu abundans, ad quem collineari omnia atq; velut ad centrum tendere appetebat, imperium exercens intensè. Verum ea fuit Phaseoli prudens dexteritas, vt non in mitiora modo pręproperum sępè sępius inflexerit, & in maturiora deduxerit; verum etiam medius steterit conciliator inter illum, Onofriumque collegam ex aduerso retundentem, & infringentem aliquando attentata; vtpotè is, qui ob eundem alias honorificè gestum magistratum, & auctoritate, & experimento boni, atq; legum id valebat, & aggrediebatur. Quin eo processit in Constantino lenitatis temperamentum, vt animos vtrorumq; atq; totius Congregationis in se vno omninò conuertens ad fascium Verdelij abdicationem ipse vnanimi consensu in eius locum fuerit subrogatus Abbas Generalis Octuagesimus octauus. Et quoniam nouum ius quoddam peculiare Visitatorem ab immediata successione summæ præfecturæ secludens obstare electioni præcognitum fuerat; exoratus Pontifex legis abrogationem indulsit pro semel. Vis dominationis non illum conuulsit, mutauitue, quod in plerisq; contigisse notatur; sed in optimum efformauit, aut pridem efformatum ostendit. Quæ prædecessori fuere bona secutus est, in se correxit quæ alteri nequiuerat imponere, vel saltem non animo insidere corrigenda monstrauit. Porrò in nodos incidit illos, quo tempore præfuit, qui ipsius Macedonis magni gladio negotium facessissent: prudentissimus tamen illos, & absq; fractura dissoluit. Quæ Bononiæ præsertim, quæue Rauennæ contigere nostrum aliquibus notiora sunt, quam quod latiore egeant refricatione. Peruicit tamen dexteritate agendi, eloquij suauitate, mediorumq; opportunitate Ludouici Lodouisij Cardinalis, quin & ipsius Gregorij Quintidecimi auersos animos, duraq; ministrorum officia: atq; hinc libertas, pax, & iucunditas conseruata est, illa quidem Congregationi, istę verò causam habentibus. Nos autem facti seriem satis nouimus præ multis; quoniam Commissarij munere fungi in mandatis accepimus vna cum Hieronymo Vidono tunc Præside, atq; paulò post in sacrum Purpuratorum Senatum cooptato. Prout indemnitati commissi sibi gregis consulebat, ita & decori consulens omni mentis ope, totisq; virium nisibus auctor fuit Gabrieli Pennotto vt domesticarum rerum historiam texeret, quod ingenuè ille idem in tertij libri nuncupatoria profitetur inquiens, Sub tui felicissimi regiminis auspicijs, Reuerendissime Pater, Sacræ Constantinianæ Basilicæ, Lateranensisq; Congregationis Historiam, ex vetustis illarum monimentis, Summorumq; Pontificum diplomatibus, & alijs probatis auctoribus, authenticisq; documentis, si non pro dignitate luculenter politam, & exornatam, saltem fideliter collectam, & ordinatam in lucem publicam aliquan-

aliquando tandem emittere curaui. Sic enim fieri postulabat, vt opus tuo potissimum consilio, & imperio susceptum, & inchoatum, tuis auxilijs desudatum, tuo etiam nomine decoratum, & munitum in publicum prodiret: non ob hanc solummodo rationē, vt inter alia complura per tuam amplitudinem in regenda Lateranensi Familia præclarè gesta, quibus & Canonicæ disciplinæ vigor, & sacrarum literarum studia mirificè pullulauerunt, ac refloruerunt, illud etiam laudis tibi accederet, istam videlicet non vsq; adeo leuem prouinciam à compluribus quidem laudatam, & ab omnibus optatam, sed à nemine hactenus, quod viderim, tentatam, te suasore, auctore, ac moderatore quadantenus elaboratam &c. Placuit etiam ei imbecillitatem nostram fortem præceptis suis reddere. Cum enim apud Venetos ab annis duobus degentes pomeridianis prædicationibus habendis in Diuæ Virginis Matris de Charitate operam poneremus, & ipse pridem meditaretur recussionem Commentariorum, seu Distinctionum Archangeli Rubei Cremonensis nostræ Congregationis Theologi præclarissimi, postea Carinulensium Episcopi super distinctiones Magistri Sententiarum in ampliores, digniores, correctioresq; formas nos voluit rei agendæ idoneos, cui neq; refragari, aut licuit, aut debuit; sed ab iussis, vt par erat, vires roborando, negotium non pœnitendè absoluimus. Prosper quoq; Faraudus Mediolanensis eodem cohortatore paulò post Kempensem nostrum de Imitatione Christi aureum verè libellum recudi nobiliter Romæ curauit: paucula quidem, sed vtilis portio plurium, quæ Phaseolus optabat, qui eiusdem Thomæ de kempis opera omnia de nouo Calchografigicæ subdi in votis habebat. Atq; dum per hæc illustrando Ordini totus incumbit, non propterea seponit ipse calamum, quamuis, animo in plura distracto negotia, vix suppeterent momenta breuia: ad se studijs quibusuis componendum. Supremum Nouemuirorum tribunal, quod Definitorium dicimus, Bononię coactum anno primo eius regiminis plurimis ex causis sanxerat, Ius Canonissarum Ordini subiectarum in vnum volumen compingendum esse, quod disiunctum in plures partes, inq; varias formas, pro locorum varietate legebatur ineptum, vel saltem inconcinnum, parumue auctoritatis præse ferens, vtpotè manuscriptum, & vix ad oculum seruiens. Quare prouinciam sibi ipse legit exequendam prę Zelo promptioris exitus: & ideo cum per sacras visitationes de proximo obseruasset, quæ necessaria, quæ opportuna, quæ vtilia forent, quæ in viridi starent obseruantia, quæ obsoleta iacerent, quæ tandem reformatione, quæue nouis indigerent decretis, opus ad exitum vsq; perduxit, quod sub Constitutionum nomine Romę imprimendum postea, & publico in Conuentu approbatum, communiq; Canonissarum consensu vbiq; receptum post Sancti Patris Augustini Regulam obseruandum vndiq; distribui curauit, abrogatis quibuscunq; anterioribus manuscri-

manuſcriptis. Quis verò ad pręclara huiuſmodi exempla publicorum ornamentorum quęſitorum aciem mentis non acuiſſet, vt debita imitatione exciperentur? Valuere quidem vndiq; plurimum, pręcipuè autem apud publicas Ordinis Vniuerſitates, quarum ille profectibus à primo vſq; Viſitatoratus ingreſſu peculiariter incubuerat tam ſuo ipſo officij iure, quam penes collegas, Generalemq; promouendo illarum vtilitates commoda, atq;decora. Enituit id in primis in Ticinenſi lycęo vbi, cum ſcholam auctoritate, conſilio, hortationibus per quinquenium, & vltra protraxerit ad totalis diſciplinarũ curriculi abſolutionem, nulla, aut ſaltem minima interpretantium,& auditorum mutatione permiſſa; qui ex illa prodiere laureati, publicę rei plurimum honeſtatis, & dignitatis contulerunt moribus, pręedicatione, lectione, cęteriſq; Canonico dignis operibus, in quas electi, & volentes inſudarunt. Inter hęc igitur, aliaq; huiuſmodi plurima coacto Placentię Senatu pręfecturam deponit, ſucceſſoremq; Marcum Antonium Manettum à Maſſa Lunenſium inter Florentinos ex Principis priuilegio cooptatum accipit, inter quos diſcrimina poſtmodum interceſſere aliqua, non ex Conſtantini quidem placidiore, calidioreq; genio excita, ſed ab Manetto ipſo vehementioris,concitatioriſq; naturę, qui dum Seraphinum Verdellium ad ſtandum iuri ſuper datis punctis prouocat; Phaſeolo etiam illius amico grauis eſſe, ducit è Republica eſſe. Hinc litem conteſtatam à Gaſpare Franciſco Viualdo Præpoſito Monaſterij Bugellani nomine ſuper ſpolio quodam Cęſaris de Iulianis Gattinarienſis vita functi aduerſus Phaſeolum, qui Generalis de aliqua illius portione diſpoſuerat, acriter ſibi diſcutiendam ſumit. Verum negotij ea fuit natura, vt non ita breui tempore determinari potuerit,cum darentur hinc inde, adducerenturq; computa, & rationes. Quare & prius magiſtratu Manettus fungitur, & fato cedit poſt biennium, & demum diſcusſis omnibus, partibuſq; conuenientibus per Nouemuiros in Mediolanenſi Diæta congregatos lis vndiq; dirimitur. Ab conuentu illo, in quo faſces reſignauit, abſq; adminiſtratione proficiſci tur (quę res animi compoſitionem pleriſq; ſapere viſa eſt) ſed per annum Vrbem in ædibus de Pace incolit. Dehinc Mortarienſibus Præpoſitus datur, & poſtmodum ſub Arbizani Præfectura Viſitator ſecundum dicitur Collegis Marco Antonio Gentili Bononienſi, Claudio Bertholoto Regienſi, & Celſo Marticella Neapolitano. Viuit adhuc vir illuſtris, laboreſq; in Congregationis commodum ſeptuagenarius proſequitur. Scripſit

Conſtitutiones Canoniſſarum Regularium directioni, & gubernationi Congregationis Lateranenſis Commiſſarum Libris duobus comprahenſas Italicè. Romæ apud Guglielmum Facciottum Anno 1624. Lib. ij

CON-

CONSTANTIVS RVSCONVS BRIXIENSIS.





VSCONORVM Familia, quæ & Ruſcarum ſimiliter à Scriptoribus appellatur, inter præclariores Inſubriæ Prouinciæ à duobus ſupra ſæculis floruit, Principatumq; nec ſemel, nec breuiter Nouocomenſis Ciuitatis tenuit Vitanis audax, & ferox aduerſaria, præſertim ſub Latero, Iordano, Franchino, Baltaſſareq; Ruſconis. Sed præualente Vicecomitum imperio, & aduerſæ partis viribus inde pulſa, ſecundum paruulam ſui portionem Brixiæ ſedes tranſtulit, & fixit. Porrò vineam Lateranenſem plures palmites ex Brixienſium familiarum nobilitate, ſiue numerum ſpectes, ſiue fructuum vbertatem, adauxere; inter quos non vltimo loco Conſtantium Ruſconum enumerem. Illius nanq; fœcunditati non modo proprios ingenij botros, ſed etiam vberem defecatæ vindemiæ Aſcanij Martinengi frugem debemus; quando ab contactu domeſticarum radicum ſpiritus eius exhilaratus, ad vindemiam benè reſpondiſſe Magna Gloſſa innotuit. In ea idem Aſcanius per iuſtum breuitatis Elogium parenti ſuo viarum Domini innocentiam adſtruxit his verbis. Qui non fucata probitate inſignis diſciplinæ regularis prima mihi exhibuit rudimenta. O' quanti Rempublicam ornat, qui Tyrocinio viros præficit. Surgant ad coloſſeas maieſtates præclariores imagines; corruunt abſq; cubo. Floruit in ea Ruſconus tempora cum fallaces aſſeclæ impij illius Saxonici Apoſtatæ Lutheranicum virus per multas partiti ſectas euomere hinc, atq; inde ſtuderent non intermiſſo perditi animi ardore diabolica pluſquam rabie ſauciato. Ad occurrendum morbo pro viribus, dum ex vniuerſis Ordinibus ſacrarum Eccleſiæ Militiarum prodirent Athletæ, omnifariè pius Opus egregium abſoluit, De Fide, ac terminis humanæ cognitionis, & libertatis. Opus ſpiſſum eſt, & Theologiarum Scholaſticæ, ac Poſitiuæ Sanctorum Patrum refertiſſimum. Lucem tamen publicam non agnouit, dum Auctor lucis vſuram præ propero letho frui deſijt. Scripſerat quoq; pridem Commentaria ſatis luculenta in octo partes diſtributa, per quæ conſpicuam eruditionem exhibuit. Introgreſſus enim ad penitimam cognitionem, atque promptiſſimam Idiomatum Hæbrei, ac Græci; ex ærarijs alienigenarum gentium intacto pudore, & inoffenſa manu ſe ipſum, ac populum Domini

 ditare

ditare potuit, & proprias obſeruationes auctorizare in ijs præſertim, quæ hiſtoricam expeterent ſoliditatem. Verum qui ſibi ſoli ad iugulandum otium, ad exercendum ingenium hæc ſcriberet exactę humilitatis profeſſor, nec de ſe alta ſentiens, dum euidentem, præſentaneamue non cerneret proximorum vtilitatem; occuluit in ſcrinio, quod apponendum erat candelabro. Adſeruatur cum ſupradictis Brixiæ ad Saluatoream Bibliothecam manuſcripta. Sed quod ſcriptis negatum, voci conceſſum eſt, & ablegato ad albeolos calami fructu, linguæ fœtus ambonibus permiſſi; vt ex temporaria etiam eloquentia vi ſpiritus ex charitate freta, inter Brixienſis Diœceſis Valles Germaniæ conterminas fidelium catholicorum plebem meritò augeret, & numero. Floruit Anno 1546. & ſcripſit ex prædictis,

Commentariorum in Sacram Geneſim. *Lib.* viij.
De Fide, ac terminis humanæ cognitionis, & libertatis. *Lib.* I.

FINIS



LY-



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER QVARTVS.



DESIDERIVS NIGRONIVS GENVENSIS.



NIGRIS hisce liquoribus Nigronium desideramus desiderium delineare, ab nodisq; annorum tam præteritorum, quam futurorum dissoluere, qui nodos alienarum difficultatum in Macedonis Monarcæ morem ad Gordianas implicationes, linguæ, mentisq; acutissimæ gladio, & enodauit, & nullos reddidit. Neque vitio nobis vertendum putamus nigrum colorem ad dissoluendum adhibentibus, qui albi proprietatem disgregatiuam agnoscamus; si quidem latices calcographicos omni candore, omniq; corporea luce micantiores arbitramur; quo pacto & Nigronius ipse lucidior affulsit prę albedine, qua superindui elegit inter Canonicos. Non omnium illius vocatio; qui ætate ad annos viginti quinque progressus; conditione, iam medicam lauream redimendus;

 natali-

ditare potuit, & proprias obſeruationes auctorizare in ijs præſertim, quæ hiſtoricam expeterent ſoliditatem. Verum qui ſibi ſoli ad iugulandum otium, ad exercendum ingenium hæc ſcriberet exactę humilitatis profeſſor, nec de ſe alta ſentiens, dum euidentem, præſentaneamue non cerneret proximorum vtilitatem; occuluit in ſcrinio, quod apponendum erat candelabro. Adſeruatur cum ſupradictis Brixiæ ad Saluatoream Bibliothecam manuſcripta. Sed quod ſcriptis negatum, voci conceſſum eſt, & ablegato ad albeolos calami fructu, linguæ fœtus ambonibus permiſſi; vt ex temporaria etiam eloquentia vi ſpiritus ex charitate freta, inter Brixienſis Diœceſis Valles Germaniæ conterminas fidelium catholicorum plebem meritò augeret, & numero. Floruit Anno 1546. & ſcripſit ex prædictis,

Commentariorum in Sacram Geneſim. *Lib.* viij.
De Fide, ac terminis humanæ cognitionis, & libertatis. *Lib.* I.

F I N I S



LY-



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER QVARTVS.



DESIDERIVS NIGRONIVS GENVENSIS.



NIGRIS hiſce liquoribus Nigronium deſideramus deſiderium delineare, ab nodiſq; annorum tam præteritorum, quam futurorum diſſoluere, qui nodos alienarum difficultatum in Macedonis Monarcæ morem ad Gordianas implicationes, linguæ, mentiſq; acutiſſimæ gladio, & enodauit, & nullos reddidit. Neque vitio nobis vertendum putamus nigrum colorem ad diſſoluendum adhibentibus, qui albi proprietatem diſgregatiuam agnoſcamus; ſi quidem latices calcographicos omni candore, omniq; corporea luce micantiores arbitramur; quo pacto & Nigronius ipſe lucidior affulſit prę albedine, qua ſuperindui elegit inter Canonicos. Non omnium illius vocatio; qui ætate ad annos viginti quinque progreſſus; conditione, iam medicam lauream redimendus;

natalibus, inter Ligures pręstans sęculo militiam bonam acturus videbatur. Plura, & aculeata valdè menti insedere, vt ab corporum medela ad animorum curationem conatus transferret suos, ne sibi ipsi ęger spiritu alijs salutem caducam impertire satageret. Ticini morabatur ad praxim theoricę iungendam de proximo accingendus, vbi ab concionibus ad familiaritatem ascendens Augustini de nouis in ea ciuitate cum paucis conspicui, & in Ordine Canonico innocentia morum, & doctrinę pręstantia commendatissimi; quid de norma Clericalis vitę pręstaret, sic percepit; vt illam in matrem, & in dotem status vsq; ad mortem futuri elegerit. Annus agebatur sesquimillesimus cum accessit desiderans Desiderius, desiderandusq;pariter sub Gabriele de Nigris Vicentino Rectore. Vouentem solemniter inaugurauit Hieronymus Bossus Mediolanensis successor ex Comitijs Patauinis, & ille idem ante accessum ad Cremonensem Conuentum resignandus eum Theologico cursui inchoando auditorem dixit, qui philosophica percucurisset tradente Bartholomęo Montaniana iuniore Patauino. Studium apprimè consonum genio quęcunq; appręhendebat indelebili firmabat charactere, dosq; naturalis facundaartis expers apprehensa sic expediebat, vt facilitate explicandi veteranos, emeritosq; Theologos superaret. Talis autem doni intuitu fit illi potestas post annum tertium verbo pascendi populos de suggestu, quod per paucis, & quam raro contigit, lege serius interdicente, ne quis nisi benè formatus pergama tractet. Sed qui præcox incæpit quodammodo, desijt etiam velocius decennio vix elapso ex superuenientis imbecillitatis impedimento. Hinc quiete sibi indicta solam spiritus pinguedinē perquirebat in ipsis corporis afflictationibus, ac maceratione; eò iucundius vitam ducens, quo sibi soli, & studijs non intermissis expeditus adesse videbatur. Verum publicæ rei iura aliam imposuere agendi methodum, quod multæ prudentiæ viro theatrum sollicitudinis pastoralis conquadraret. Vt primum electionem sui audiuit, omni prece, conatuq; pertractauit, vt dispungeretur. Sed album Prælatorum spongiam non nouit, nisi impotentiæ, aut vitij probata insimulatione respersam. Plura habuit succesiue Monasteria propriæ gubernationi subiecta, quo in ministerio cum paucis comparandus illuxit verè Pater subditorum, non Prælatus. Ad ædem Theodori martyris Genuæ perpoliendam varias frugalis œconomiæ directiones contulit, cuius exemplo permoti aliqui ex paræcia opulentiores stipe collata laborantem iuuere lubentes, quę postmodum rebus in ampliorem formam redactis excidere. Multo autem plura contulit sapientissimi moderatoris experimenta in spiritualibus animorum ædificijs reparandis, construendisue apud tria sacrarum Virginum Gynęcea Oliuellę, Gratiarum, Andreæ; quippe qui dexteritate illustris, ac natalibus, pollens opinione seuerioris vitæ, nihil non suadebat eorum, quę ad imbeci-

imbecilliorem sexum sustinendum acciderent pernicioso admodum in tempore. Hinc cum Baptista de Vernaccijs Virgo illa, quæ & calamo deuotissimo, & sanctitate purissima fulgentissimum extitit fœminarum Genuensium sydus, nonnullas animo sibi insidentes dubitationes ad Mysticam, Affectiuamq; Theologiam attinentes Calixto Furnerio Placentino Apostolico & Viro, & concionatori proposuisset enodandas placuit Nigronio ob Furnerij amicissimi distantiam, occupationesq; multiplices, illas extricare, quod & egregiè, ad omnemq; cordis quietem præstitit commentario illo, quod postmodum editum fuit inter alia eiusdem venerandæ virginis opera, & de quo illa ipsamet testimonium reddit Volumine Quarto Epistola ad Gasparem Placentinum, & Epistola trigesima quarta. Sacrum illum OEdipum quodammodo vocitarem, si Sphingi ęquiparare quoquo versū deceret, purissimā, prudentissimamq; monialem, quę non monstrum repræsentare, sed de monstro illo auerno Leuiatan triumphare nouit. Nouimus quidem aliquando eandem ipsam Baptistam scripsisse, responsiones eas non Nigronium, sed Furnerium habuisse auctorem; verum nobis acrius rem disquirentibus, conferentibusq; plura, & opportuna simul eius temporis, & characterum, ex desiderij penu, pennaq; profectas planè, peneq; dignouimus. Dispupugit verò lubens dubitationes illas inter alia, vt euidentius opinionem redimeret penes subiecta collegia scientiarum non intermissarum, quarum penetralia eruditè lustrare se conuinceret, quamuis adhuc ab suggestu non personaret. Tanti quidem nomen bonum ijs, qui præsunt faciendum esse liquet. His, & alijs ad commune commodum in regimine præstitis per generalem Conuentum Bononiæ in Montana habitum inter Quatuor Viros Congregationem totam lustraturos assumitur sub Ludouico Salodiensi Rectore alias probato industrio, collega Agapiti Schij Vincentini. Post quatuor annos idem munus obire secundum iussus est per Synodum Rauennæ congregatā Schio illo ad summum clauum sedente. Ea propter inter tam atras iniquorum dierum Italiam omnem manumittentes procellas non mirum est ordini commodè fuisse consultum sub huiusmodi directoribus, quorum sollicitudo potissima insistebat, vt candor morum magis, quam vestium, & seuerioris conuictus norma, & Dei benignitatem conciliaret, & labantes laxitate populos officio detineret. Ante secundam eam censuram per biennium Montanæ Diui Euangelistæ dilecti Canoniæ præsederat ad illos videlicet dies, in quibus, vt quidam cecinit, Carolo Clemens laurea serta dabat; atq; ideo in illo Christiani propè orbis Bononiæ concursu exterarum nationum pluribus Concanonicis innotuit hospitalitate beneficus, doctrina clarus, probitate, morumq; candore cum paucis præstans. Inter alios vnum memorabimus Albertum Pighium Theu-

tonicum

tonicum doctorem virtutis notissimæ, quo cum familiaritatem inijt dignissimam, quæ posteris transeat in exemplum, quam ad extremum vsq; diem coluit, hoc est non in multos annos. Sublatus est dum ad Generalatum votorum cospiratione quæreretur. Reliquit

Commentarium solutionum ad varias dubitationes ex Mystica Theologia depromptas ad Baptistam Vernacciam Venerabilem Sanctimonialem, inter eiusdem opera editum Veronæ anno 1 Apud Lib. 1.

Ioannis Baptistæ Ambroni Cæsenatis.

QVomodo dic, Desideri, agens Nigredine splendes,
Dum queuis clara luce nigredo caret?
Tu tamen insolito perfulges lumine claro,
In tenebris lucem, claram aperisq; diem.
Nil mirum rutilans, quia Candidus intus, & extra,
Clarior ipse micas lucidiore face,
Dum legum interpres sacrarum enigmata soluens
Extollis Sanctam cum pietate fidem.



DESI-

DESIDERIVS LEONICENVS VICENTINVS.





ECIMVS ſeptimus iam agebatur. annus, ex quo Vincentinum domicilium Regulares Lateranenſes receperant, Principi Deo, atq; inclytæ Ciuitati ſtipendia merituri, reſſignante Hermolao Barbaro Taruiſino Antiſtite; cum vna dies dedit illis in ſocios ex iuuentutis flore ſcelectiores penè adoleſcentes, Deſiderium, Adeodatum, & Ioannem Baptiſtam. Securioris quippe diſciplinæ exercitium, cuius late ab nouo Collegio diffundebantur opera; adeo in omnium oculis conſtitutum prelucebat, vt quo magis excitabantur corda ad veri Numinis pietatem immaculatè colendam, eo magis dilatarentur in excitantium operarionum dilectione. Hinc quicunque Religionem habebant in voto, vel recens inductum in Ciuitate Dogma profiteri ſatagebanr, vel Inſtitutum illud, quod conſulerent Canonici opportunius. Eapropter nullum extitit vrbis monaſterium quod in partem pij lucri non tranſierit, dum hæc familia ex ratione vni inſinuaretur magis accommoda, illa alteri. Coaluerant tres illi diſparis natiuitatis adoleſcentes, ſed paris propè etatis, paris & ardoris, ſub pari quoq; diſciplina Omniboni Leoniceni Rethoris,& Hiſtorici ea etate præſtantiſſimi, & inter literatos quoſcunq; clari omnino nominis. Eorum alteri Deſiderio natura frater, omnibus eruditione præceptor, ac penè parens extitit. Qui enim æquè moribus prælucebar, ac ſcientia, verè philoſophus, pietatem, Religionemq; ſenſim ab teneriore inſtillauerat die; per quarum thedas luce viciſſim, æſtuq; cæleſti mentes excitæ ad Canonem Apoſtolicum Auguſtini profitendum properarunt. Præiuit duos in declaratione excogitate Religionis Adeodatus, qui per octo annorum ſpacium deſiderium illud intus enutrierat ab Pauli Maphei confeſſionalibus monitis hauſtum, eundem ſenſum & alij probauere. Perrumpendi moras anſam dedit, ac ſtimulum Matrheus Boſſus in Epiſcopio euangelizans tota confluente ciuitate. Raphael Rizolius vniuerſali gubernio ſedens Primum vocationem approbauit in Couentu Rauennati. Veronenſis Canonia ingredientes recepit. Nouis vtiq; militibus montana ſtatio primitus ritè decreta eſt. Profectus militiæ, quas expugnationes tentauerint, quas arces ſubegerint, quibus coronis caput ornauerint, quas dignitates adierint, quæ

trophea

trophea struxerint ex inimicorum manubijs, & his pleraq; similia, seorsim prosequendi sunt. Desiderius ex eo Leonicenorum stipite erat, qui nobilitatem sibi virtutibus comparasset, quiue improbo magis labore, quam ingenij versatilis solertia secretiora quæque scientiarum Mysteria superasset. Parentem habuit virum probum, & honestissimum, qui cum ex Leonico Vicentini agri oppido non ignobili Ciuitatem ipsam nouus incola adijsset, affinitatesq; in ea præclaras contraxisset fortunæ donis satis vtiq; cumulatus; Leonicæ ab eo, siue Leonicenæ familiæ cognomen dedit. Fratrum celebriore nomenclatura non minus illuxit, quàm virtute propria, illaq; percurrenti stimulum addidit tam ad sanctè viuendum, quam ad castè philosophandum. Nicolaus præter laudatum ante Omnibonum facultate medica peritissimus, Peripateticiq;Dogmatis propugnator accerrimus familiæ splendorem contulit indelebilem. Græcè enim, Latinèq; per quam instructus in herbarum virtutibus, mirisq; proprietatibus reuelandis (quod simplicistam agere dicunt) Naturæ prothoscriniarius appellatus est, primusq; Latinorum extitit, qui plenè Pedacium Dioscoridem Anazarbæum intellexit, atq; elucidauit, eamq; semitam aperuit, quam alij postmodum nouissimè ad apicem vsq; admirationis,& vtilitatis conquadrarunt: primus item qui malè concoctam Arabum auctorum barbariem è Gymnasijs medicis eliminauit,substitutis ex Gręcia doctissimis,facundissimisq; scriptoribus. Hinc suopte genio Desiderius àd scientias capescendas inclinatus, atq; domestico acriter prouocatus exemplo totis omninò viribus peruolabat ad studia. Quos nostri maiores adigendos scientijs decernebant, per strictiorem pędiam in speciem pręuię triennis purgationis perpoliebant: quę vtique consuetudo in nos nepotes sanctissima hęreditate illapsa est. Ea enim disciplina mentes primum efformat, auersos affectus euacuat, mores componit, animum hilaritate donat, Deoq; soli inhiandum docet sic per temporalia bona transeundo, vt ęterna non amittantur. Tyrocinium autem id vsitatiore vocabulo dicunt. Ex quo totius profectò Clericalis vitæ necessariora iaciuntur semina. Quis enim fluctuantibus adhuc, ęstuantibusq; sæculi cupiditatibus castissimas doctrinas, potissimumue Sacras Literas totis præcordijs admiserit? Aut quodnam plenum vas ex sorde limpidissimi fontis purissimos admiserit latices, quando & Stagirites dixerit, Intus existens extraneum prohibere; sublimius verò Doctor Gentium, Quæ pars lucis ad tenebras, aut quæ participatio Christi ad Belial? In Maleuolam certè animam non intrabit sapientia, neq; habitabit in corpore subdito peccatis. Assignatus itaq; huic tantæ parti Desiderius dilatari sibi cordis fibras sensit, in alterumq; se formari virum,quem Charitas edificaret, non scientia inflaret per auræ popularis inane; pedem ideo compescuit, qui prius laxè excurrebat, tenuitq; confinio, vt eas tantum admitteret Doctrinas, quæ

Cælo

Cælo iuuarent expugnando. Natiuo quodam instinctu ad carmen pangendum formatus, assiduaq; exercitatione intra paternos lares cummulate per æmulationem in idem excultus, cum & cæteri patres illud ipsum vrgerent cum laude, intimè sibi spoponderat apicem gloriæ tali vno studio assecuturum, atq; (quod postmodum non semel comiter,& cum pudore narrare solebat ingenuè)lauream firmata ætate, & cumulato famularibus scientijs non defuturam. Sed qui indulgentiore genio vtebatur, licentioreq; Musa, atq; propterea vsq; tum sociæ lasciuienti adolescientiæ valdè plausibili; in ipso statim tyrocinij limine abigendas Pierides sensit, reponendumque pro Parnasso Golgotham, ac pro somniato laureo serto verum diadema spineum. Quare castigauit eodem tempore æquo profectu corpus simul, & carmen, vt per integritatem castitati famularetur vtrunq; Ad scholas deinde Naturalium, Supernaturaliũq;arcanorũ admissus post sexenniũ de more per comitia dimissus est prædicatoreo honestatus titulo. Ad illud opere promerendum octies quadragesimauit ad pulpita orator honesta cũ laude inter morosioris eloquij obices,quos arte non modica superauit,atq;in suauiorem quondam dicendi ideam conuertit. Demum vt ex sollicitudine præfectoria Ordinis familias per assuetam vicissitudinem, successionemq; locorum gubernaret exactius, illisq; vacaret ex integro; exilium sibi indixit à suggestu. Reposuit tamen in linguæ vices calamum, Vitam Sanctæ Monicæ almi Patris, & Legislatoris Augustini genetricis composuit, stylo quidem humiliore, ad pietatemq; inclinante præsertim minus doctos, qui tamen exactissimum veritatis narratione candorem præferret. Eam cum euulgasset suasionibus Matthæi Bossi amicissimi ad limam,incudemq; reuocauit,secundoq; recussit. Reponemus in calce de integro ipsius Bossi de eodem opere iudicium, vt vnico intuitu, atq; lectione discat posteritas libertatem monitoris, conditiones operis, qualitates auctoris, sinceritatemq; illius in recusione, qui ex electione primum eam dicendi formam induisset,cum præsto haberet sublimiorem. Docuit verò sibi familiares adesse diuersos dicendi, atq; scribendi characteres ex ea luculenta Oratione, quam in Regiensi Synodo ad Patres Populumq; habuit, De Meritis, atq; virtutibus Sanctorum Canonici Ordinis illustratorum; nec non & ab libris tribus latinarum Epistolarum, quas lacteo propè stylo ad diuersos scripsit,in unũq; deinde volumen cõpactas euulgauit. Ab ea concionãdi ablegatione factus cordatior in disciplinæ regularis ministerio, Congregationi proficuam valdè operam contulit. In reparandis ad antiquam formam moribus Zelo effulsit seueriore, sed ita in se primum expresso, vt mitiora consilia inaniter sequentes, vel solo aspectu decerneret, deterreret, & abigeret. Cauebant propterea Prælationem exercentes in sessionibus liberam increpantis acrimoniam, & spiritum. Cui cum ex iugi Annalium obseruatione in omne thema exuberarent

Kk exempla

exempla vtriusq; fortunæ, quod rationi aliquando in ambiguo versanti, & ad diuersa pertractæ remanebat inexpugnabile, expugnabile faciebat, ac peruium adductis maiorum actionibus, atq; circumstantijs locorum, ac temporum. In Concilio Rauennati Anni millesimi quadrincentesimi septuagesimi octaui inter Ordinis quadrumuiros Censores enumeratus Archangelo Placentino Generali Rectori Collega assignatur. In eo nutantes plerasque auorum consuetudines reponendas perorauit ad clepsydram prorsus lachrymarum, & obtinuit, ac in actuali Canoniarum Visitatione per admirabilem virilis pectoris constantiam ad viridis obseruantiæ statum reuexit. Illo perfunctorie exacto munere, cum ad maiora adhuc ab rerum, & ætatis serie vocaretur, se non vltra immiscendum negotiorum fluctibus ratus, veniam sibi ab gubernatione dari postulauit, secundum quam remotè viueret, valetudinem caussatus aduersam, à qua vtique acerrimè in dies tentaretur. Triennio solis contemplationibus vacans superuixit, sublatusq; est in optimam spem æternæ, & immediatæ retributionis quinquagenario minor circa annum millesimum quadringentesimum octuagesimum quartum superstite Eleutherio fratre, quem & Christo, & Ordini iam pridem à se lucratum in Republica administranda vices suas subijsse agnouerat. Iudicium Bosii de illius operibus tale est. Libellum de Vita omni, sanctisq; moribus Beatissimæ Monicæ Magni Patris Aurelij Augustini, & Fundatoris pulcherrimi nostri Ordinis huius Parentis felicissimę, à te compositum, de quo meum iudicium quęrit humanitas tua; legi libenter, Desideri desideratissimè mihi. Qui quantum de ipso sentiam, sentiat & mecum Rizonus noster, qui illum legit; amicè, sincereq; indicabo. Multa explorasse, & ex fide ea, ordineq; pulcherrimo disposuisse mihi planè videtur accurata diligentia tua, quæ qualis extiterit, quantaque, & gesserit cognitu digna tam sancta hæc, tamq; memorabilis fęmina lectorem admoneant facilè, atq; plenissimè. Venustulus quoque, & tener, & dulcis tuus est sermo, sed humilis adeo mea quidem sententia, vt impar videatur Monicæ meritis; nisi fortè consulere pusillis, simplicibusq; malueris. Sed porrò nihil mihi videtur posse satis ornari sine amplitudine elocutionis, dignitateq; verborum. Non quod in Religiosis nobis ampulosam, expompatamque orationem ita desiderem; vt commentitia, fucataq; magis, quam candida, & sincera censeatur veritas ipsa; sed ne à cultu sic abhorreat, dignitateq; latina, vt penes eruditos euilescat, atq; desipiat, quod in epistolis magis aduertisti tuis, quas cum lego, ijs semper oblector. Ad carmen potissimè natura te genuit. In eo quidem poematum genere multum & commoditatis, & facilitatis contulit tibi. Quando te peperit mater, affuisse puerperio Musas crediderim, labiaq; tersisse. Eo & ingenio fratres tui omnes. Ipse etiam paucis cum literis genitor poetat,

vt po-

vt poteſt. A Luſcis cognatis, & illis quidem poetis magnis eam hæreditatem puto ad vos perueniſſe. Raro vni data eſt & ſoluti ſermonis, & carminis laus. Vide Ciceronem, & magnum inter Sanctisſimos homines, atq; doctisſimos Auguſtinum, Bernardum, & huiuſmodi multos. Quos, Deus bone, pingues, & diſſonos ij numeros edunt? Vide & Maronem contra, & Ouidium, & Flaccum, & Iuuenalem mandaſſe literis fermè nihil laxa oratione, atq; ſoluta, quod ea in re non Marones, non Ouidij, non Flacci, non Iuuenales, vtiq; fortaſſe non extitiſſent. Denique Propertianis illis verſiculis nihil eſt clarius.

Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta.
Flamma nec ex æquo ducitur vlla rogo.
Gloria Lyſippo eſt animoſa fingere ſigna,
Exactis calamis ſe mihi iactat equis.

Quod quare vſu veniat in ſequenti quoq; verſiculo lepidè canit.

Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.

Eam tamen orationem, quam tu Regij habuiſti, cum ea in vrbe Generale Capitulum noſtrum celebraretur, probaui ſemper, admiratuſq; ſum. Sic enim impleuit aures omnium, qui frequentes aderant, vt nullus vel excreaſſe, vel à te vultum viſus ſit auertiſſe. Sed neque ipſe poſſum ſatis equidem dicere quanta me exultatione compleueris, quantumq; permoueris. Illachrymatus ſum, quando commemoraſti egregias maiorum noſtrorum virtutes, & documenta illa præclara, quę ad conquirendam ſanctitatem illi nobis viri ſanctiſſimi reliquere. Quorum meritis tanto numero, tantaq; præſtantia virtutum, atq; doctrinæ auctam Religionem hanc noſtram tenemus, noſq; ad imitandum excitaſti prece, obteſtatione, gemitu, ac defluentibus lachrymis, vt mentes omnium fregeris, & ſeſe cogere certè coegeris. Quanquam pronunciationi hoc mihi primum tribuendum perſuadeam, quæ in oratore prima pars quidem, atq; potiſſima eſt. Quod ſçpè tu mecum de magno Timotheo noſtro ſic eſſe cenſuiſti, quem cum audiremus, non hominis verba, ſed oracula nempe diuina audire videbamur. Quoties vir ille ſuauiſſimo eloquio, & admirabili ſuo euulſit nobis animas, & in omnes, quaſcenſuit affectiones illexit, & rapuit: vt illum non tam hominem, quam Angelum diceremus? Cuius poſt conciones ſpecioſam imaginem, vocem, motus, geſtus, inenarrabilemq; dulcedinem vbique inſpicere, vbiq; exaudire, vbique deguſtare ad multos inde dies, tanquam præſentes equidem videremur? Sed nunquam tamen quanquam ſcribere delectaretur, & ſcripſerit, aſſequi potuit, vt calamo æquaret eloquium. Sed ad te reddeo, Deſideri chariſſime, qui ſi non ita publicaſti codicem tuum iſtum, vt illum ad te iam nequeas reuocare: equidèm vellim longiore lucerna ilum recognoſcas. Addas aſciam, addas

 dola-

dolabram, addas & amicam cuiuſpiam manum, atq; iudicium; vt cum peruagabitur, nihil in eo ſit, quod grauibus, eruditiſq; diſpliceat. Ex fide, & charitate non ficta dixi, quæ ſentio. Atque vtinam ſemper ego te meis in rebus vti poſſem cenſore, ac monitore. Quod facerem penè quotidie, ſi nos alpes non diuiderent Tuſcæ, aut alatis pedibus eſſem. Vale, ac mutuo, mi Deſideri, ora, communiq; pro fratre, qui ſalutem in Domino tibi plurimam dicit. Veronę Nono kal. Martias.

Scripſit igitur

De Vita, ac moribus Beatæ Monicæ Diui Patris Auguſtini Matris librum vnum Vicentiæ recuſſum Anno Lib. I.

Epiſtolarum Latinarum ad diuerſos in Congregatione, & extra datarum, quas & ſucco valde pio refferſit, libros tres. Vicentiæ. Lib. iij.


De Virtutibus, ac meritis Beatorum Inſtitutorum Reformatorum, atq; Primorum Canonicorum Regularium Orationem habitam amplè in Comitijs Generalibus Ordinis Regij Lepidi celebratis Vicentiæ. Lib. I.



DIO-

DIONYSIVS CAPRETTA PLACENTINVS.





RIA prę cæteris commendauere Dionyſium Caprettam Placentinum: Vitæ probitas ea, quæ præſtantior foueri ſolet in optimo quoque: Studium perenne non ad aurem, & auram populi, ſed ad animæ, ſpiritusq; compages, ac medullas:atq; Magiſtratuum ſumma charitate geſtorum fælicitas exemplaris. Quæ verò glorioſiora his de viatore profari poſſunt? An non perfectionem vitæ beatæ,quæ in ſpe peregrinantibus eſt,obumbrant? Id profectò. Media autem,quibus vſus eſt ad tam alta huiuſmodi verticis conſequenda videamus. Attingenti iam ſextūdecimum annum, Atq; iugum Domini ex Parentum educatione portare parato noſtri Lateranenſes viam commonſtrauere ſub optimis ſpirituum diſcretoribus,& directoribus.Lacinijs Ordinis initiatus eſt Marco Antonio Bagaroto curatore aliquot poſt dies per expletam Tridētinam Synodū Vniuerſo Chriſtiano Orbi fęliciſſimos ad patrias auguſtiſſimas aras Deo,ac Diuo Hipponenſi Reformatori nuncupatas.Quę fuerint eius Tyrocinij formulæ,quę rudiméta ex totius vitę procurſu petatur. Auxit id propenſione pijſsimi animi,quod lex edita per viam aureæ diſcretionis incedens optimum inter Canonicos probat. Edomitis ex pręſcripto conſtitutionum ſenſibus ſuperinducebat nouas ex libito per Pręlatos mortificationes, vt proterreret matutinus viā illā, de qua dictum eſt,Bonum eſſe viro cum portauerit iugū ab adoleſcentia ſua. Optimā indolem,atq;congenitam,qua ad ſpeculatiuas ſcientias trahebatur, reconditiore ſtudio temperabat, qui ſentiret ſibi igniculos ineſſe illos inflantes, quibus ędificatrix charitas deſtrueretur, quoties ad bonam frugem non ſe reduci paterentur. Non propterea omiſit decus Pręedicatoreum, quo ſibi, ac alijs maiori vſui eſſe poſſet, in ea hominum Societate, quæ Communicatis vtriuſq; vitę functionibus promouet electis conatibus pietatem, atq; dilatat hinc inde religionem. Comitia Rauennatenſia aſſumpti ad clauum *Petri Franciſci* Riuę triginta quinq; operarios Verbi per Doctoream dimiſere, inter quos diei, laborum, lucubrationumue ſucceſſus fortunati pręclariſsimos declarauere Eugenios duos Carabrigiotum, & Doneſanum,fratres binos Badinos Theodoſium, & Gabrielem, Ludouicum Paueſium, Honoratum Robertum, Flaminium Ciconeam, Placidum Blancardum, noſtrumq;

Diony-

Dionysiũ. Quos iste annos habuit intermedios à Gymnasijs ad Magistratus indefesso labore pædiam vitiorum, catechismq; virturum ministrat populis iugiter nõ in persuasibilibus humanę sapientię verbis, sed in virtute spiritus. Vanæ illius existimationis contemptor, quæ ad ciuitates solas Euangelizare somniat sub prętextu æmulationis meliorum charismatum, per pagos & oppida discurrebat lætissimus tanto alacriore diligentia, quanto confidentiore securitate sperabat nunquam auditurum aduersus sibi creditum talentum, Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Quicquid ad ipsius concionantis alimentum, & eleemosynam de more conferebatur ex penu, & pietate populorum, sæpè in extremo Paschatis die pauperibus dispertiebatur; vt Apostolicum munus tanto mirabilius claresceret, quanto à contemptilibus lucris alienum magè demonstrabatur, sustinerenturq; egenorum familiæ propriæ frontis sudoribus, & proprij oris duplici pabulo. Animum aptauit contemptui emolumentorum huiusmodi constans vitæ seuerioris methodus, qua se vnum terebrabat, in aliosq; comitas, humanitas, mansuetudo, quas concipiunt meliores animæ, proximum in Deo, ac propter Deum diligentes. Prioratus sarcina in columnę basi impositæ modum robur dedit, ac firmitatem, non pondus, aut fastidium. Prælucebant proximè non cęcucienti oculo Gaspar Scottus, atq; Baptista Vernaccia, quos ideo ille aliquando matrem, patremq; spiritus nominauit. Nullum penitus erat officiorum minoris notę, cui non afforet manu, monitis, consilio: vinitor, olitor, ianitor, coquus, sacrista, triclinia-rius cęliteni, cum illum aspicerent, audirentue adesse dicebant: nil arduum nil difficile inueniebat exacuata alacritas. Caput, corq; Canoniarum Abbas in tantæ manus, in tanti pedis, æquius, in tanti ingenij, in tam vitalis caloris adminicula omnis expers fiebat incommodi. Qui verò tantopere aliorum fulciebat animas, quid cum suis actitabat præcordijs? Somnum ignorabat, qui hora quinta, & illa adhuc sæpius interrupta, haud terminaretur. Cibi, potusue parcitas in cuiusdam penè connaturalis ieiunij modum sibi copulata dormitionem explodebat lautiorem. Acapnus ille caminus est, cui ignis non ingeritur. Oratio, meditatio, studium occupabant prętepta sopori spatia, quiesq; altior, securitasq; tutior his inerat præ illo. Hinc agendorum in die prænotiones oriebantur; hinc vnus omnibus sufficiebat siue cellam, siue sellam obsidentibus ad consilia, ad expiationes obtinendas. Studiorum eius portio electior in eorum erat lectione librorum, qui inflammatiua cordis vstione in Deum scaterent. Ea propter cum ab Scotti obitu Matris Baptistæ opera ad illius manus deuenissent, duo inde processere vtilia: alterum vt abundantius solito delicias interioris animę in illis repertas degustaret, ardentiorq; in dies in æterni amore boni fieret: alterum vt eorum editionem persedulus curaret, assequereturue. Nicolao Sfon-

Sfondrato Cardinali optimo illi Episcopo Cremonensi, qui dehinc Vniuersalis Ecclesiæ clauo Christi Vicarius præfuit, Tria priora Volumina nuncupauit edentibus hæredibus Francisci Zilieti Venetis Typographis anno octuagesimo octauo elapsi cētenarij: quibus post annos quatuordecim Quartum quoq; Volumen adiecit stando optima fide promissis de illo in antecedentium euulgatione factis. Porrò postremo huic Vitam adtexuit eiusdem Beatæ Christi sponsæ à se candido, pio, innocentiq; stylo conscriptæ ad Dominicū Cardinalem Pinellum Genuensem ex calchographia Veronensi Angeli Tami. Qui ad spiritus fomenta non ad curiositatis illectiones isthæc adhibeat Lector, satis vtiq: pernoscet Illuminatum, Angelicum, Seraficum, Cælestem, Heroicum, Diuinum, Deificatum, Deiformemq; hominem illum, quem eformare ad summi Areopagitæ, expositorumq; eius appellationem nituntur. Inter huiusmodi sanctorum moliminum, ardentiumue studiorum mediam exclusionem Camillus Beccius Generalis optimus virorum curæ suæ Commissorum diribitor haud quaquam è Dei Gloria ratus esse, vt is vltra priuatę vitę lateret, ocularetur q; diutius fulgor ille sub modio, qui radijs scatētibus iam vndiq; prodibat, ac sese prodebat, Fesulanę insigni Abbatię illū præesse iussit ab Synodo Cremonensi iam pręcessi anni nonagesimi primi. Sub his prelationis initijs Reipublicę inuitam mentem applicuit, à qua postmodum per annos vnum supra viginti suo loco moderanda manum remouere vix tantisper per interpolata spacia licuit. Neque illud etiam quale quale tempus fuisset exoranti permissum; ni iura noua inuectam anno octuagesimo primo perpetuitatem fascium extinxissent. Fesulanis igitur prænarratis apud Florentinos, Criptanis apud Neapolitanos, ac Spoletanis Ansano martyri nūcupatis Insulis redimiuit tempora per binam eam annorum decadem. Licet verò vbiq; semper vnus, atq; idem apparuerit sibi similis, non hospes; ac aduena, sed ciuis Sanctorum, & Dei domesticus; Fesulis tamen vberiorem fudit sibi creditæ gratiæ feracitatem. Per nouem enim annos virtus eius adeo probatur finitimæ Florentinæ vrbi, vt notior esset Dionysius nunquam, aut rarissimè, atq; grauissima ex causa ad illam accedens, quam alter quiuis in illius vmbilico, mediaq; luce victitans. Procerum, ciuium mercatorum, omnisq; generis populi frequens ad eum accessus siue ad examen, siue ad expiationem, siue ad directionem conscientiæ obtinenda, vt sæpius cauere charitatis arma valuit in pectore salutem cunctorum esurienti; sic & aliquando sibi recessum inde imperari voluit: vt secessu adhibiro, & se ipsum colligere, & aliorum piæ propensioni fræna daretur injicere. Tunc autem maximè imperatum huiusmodi toto conamine exorauit, cum haud antea peruisum periculum amicæ cordis paci iminere pernouit. Quippe Christiana Loteringia Medicea Magni Ferdinandi Ducis coniux, religione, pietateq; fœmina longè, quam regi ipso solio clarior, vir-

rior, virtutum eius odore, famaue excita, sensim modis, ac vijs eius, progressionibusq; per idonea media obseruatis, accersitum sibi à sacris adesse postulat confessionibus. Quæ alteri cuipiam arrisisset, fuissetq; plurimum, & fauorabilis, & gratiosa; Dionysio alijs vlnis humana metienti, honorifica perhorrescenti, humilius de se sentienti, fortiusq; suspiranti solitudines, quam aula, cessit perincomodè. Atq; hinc varijs prudenter; solidè, religiosèq; productis, citius declinare speciosa pondera, quam subire obtinuit ab flexibili petentis æquitate: & ad tollendam omnem repetitionem ab spiritali propensione, commoditate, vicinitateq; submin istrabilem aliò sedes transferre dixit. At non diuturniore abesse permittitur interuallo, ne domus ea, quæ seminario adolescentum florebat percelebri, quidpiam detrimenti in non plenè iactis disciplinæ radicibus pateretur. Factum profectò illum tam gratiæ, quam naturæ donis agnoscebant Optimates ad erudiendam, & eformandam tyrocinio exactiore iuuentutem, siue ab sæculi laqueis perfugia quęrentem intra Canonicatus cancellos, siue iam professi Ordinis confirmatione munitam. Spirabat enim vir optimus adhuc aspectu solo omnem antiquorum Patrum sanctitatem, exprimebatq; operibus immaculatis, quod ore docebat, factus forma gregis ex animo: atque ideo Tertium eidem præest Monasterio, & sub ea ipsa ratione Criptanos moderatur penates, obq; duplex Sanctimonialium Collegium Spoletanæ Canoniæ vnitum Matthęi, ac Stellæ, illi iura iubetur reddere. Demum gynęceo perinsigni Beatissimæ Deigenitrici Gratiarum Genuæ nuncupato præfectus ad sacras recipiendas confessiones, adq; cætera ministranda sacramenta, ibidem sexagenario minor consumptus laboribus, plenusq; meritis sancto fine quieuit. Quænam virtutum eius esset penes amplissimam Ciuitatem opinio, declarauit confluens innumera vtriusq; sexus, omnisq; generis commixta multitudo, dum illius funera tractarentur, pręstantissimorumq; Senatorum iudicium, & deuotio, à quibus omnibus inter spiritalis gaudij, naturalisq; mœstitiæ lachrymas, quæstus, ac suspiria, pedes, manusue eius certatim deosculabantur, & vestimentorum frusta, scissureq; deportabantur: quin & de non leui custodia prouisum fuit, ne feruor raperet populum ad ardentiora. Contingere isthæc anno duodecimo labentis sæculi. Interim non absque peculiari Numinis dispositione factum arbitramur, vt is carnis ibi ergastulum deponeret, vbi spiritus per imitationem uirtutum deuotissimę Christi sponsę Baptistę diutius incoluerat.

De vita Actibus, atq; Virtutibus Baptistæ Vernacciæ Sanctimonialis Canonissæ librum vnum ad Dominicum Cardinalem Pinellum. Veronæ apud Angelum Tamum Anno 1601. Lib. 1.

DIO-

DIONYSIVS ZANCHIVS
B E R G O M A S.





ST quidem ſuo ipſe nomine ſatis notus apud noſtros, & exteros, ſatiſq; laudatus Dionyſius Zanchius Bergomas, ſed multo notior, multoq; laudatior ex nepotum præclariſsima fama Baſilio, atq: Ioanne Chryſoſtomo duobus Lateranenſis Cęli luminibus. Quamuis enim de vniuerſa literaria re, atq: in primis de latina poeſi optimè eſſet ille meritus, muſaſq: coleret ad vſq; ſcrupulum: tamen laudem eius maiorem in eo poſitam arbitramur, quod noſtris hominibus duos illos lucratus fuerit, quodue eos tam egregiè inſtruxerit. Quippe iuuenes ſęcularibus literis etiam ſupra ętatem eruditi, & elegantia omni tam morum, quam doctrinę ad inuidiam vſque præditi, exemplo fermè eius domeſtico illecti primo vitam cenobiticam concepere, deinde ipſum idem Canonicum Inſtitutum vnus poſt alium non ſine totius Ciuitatis admiratione ſuſcepere. Qui nihil ſuaſionis expenderat in nepotum tanta deliberatione curanda, perfuſus ſpiritali iucunditate poſt factum totus eximiè incubuit in eorum Canonicatu formando ſiue per ſe ipſum, ſiue per celebriores vitę, ac literarum operarios. Exitus probauit diligentiam, docuitq: fortiorem ipſa natura educationem eſſe, & hanc ſplendeſcere clarius, ſi natura cultori reſpondeat. Potuit autem Dionyſius alumnos, & ſanguine iunctos præire face operum, & linguę, ſicut ętate, & dilectione præibat. Quandoquidem per annos viginti, & vltra Regulam Canonicam profeſſus, pectoris ęrarium omni gaza pretioſiore repleuerat. Elucebat in eo prę cęteris ſeueritas vitę, & (quę vix, vel neutiquam ſimul ſtare poſſe videntur) morum elegantia candidior, à quarum altera omnem regularem diſciplinam ſartam tectam habebat, per alteram verò ciuili quacunque dexteritate cumulabatur: & cum pariter potens eſſet opere, & ſermone, vbique cum maiore Dei gloria ſemper apparebat frugi, ſiue panem frangeret è ſuggeſtu, ſiue ex omologeſis exedra; in hiſce enim duobus præcipuè terrebat ætatem. Quo fiebat, vt varios, eoſq; illuſtres haberet laudatores, & alumnos in amplioribus præcipuè Ciuitatibus Veneta, Mediolanenſi, Genuenſi, qui pariter pendebant ab ore dicentis, ac docentis, & præceptis inhęrebant ex corde. Huiuſmodi literarum ſtudio, atq; exercitatione ſubciſiua, quibus ſi iuxta

genij propensionem permisisset animum, vtique insigniore adhuc nomine floreret. Sed mollius vitabat agere carmen, ne quicquam deperderet de sanctioris vitę instituto. Fluebat vberiore vena, nec diuturno cum labore, aut stiptica cum elucubratione exprimebat ab ingenio fęturas, sed quicquid dictaret à naturę liberalis impetu, & à furoris poetici cuiuspiam raptu suauiore pendebat. Quod sanctum, aut morale saltem non esset solertissimè vitabat canere: & quamuis multa ordiretur, pauca tamen ad coronidem vsq: texebat, quoniam nihil sibi proponeret, prçter otij fugam, & animi, atq: laborum leuamen. Scripsit tamen carmine heroico nonnulla, quç infra reddemus partim manuscripta, partim typis edita, quç tamen ad manus nostras non deuenerunt assueta eorum, ad quos pertinet incuria. Quandoquidem prçter Epigramma illud in librum Linguarum Thesei Ambrosij Albumesij

Quod modo per terras omnes, perq; alta petebas
AEquora, id exiguo codice lector habes, &c.

Nihil prçterea de eo nobis videre contigit. Circa publicam administrationem parum posuit operis suoptè genio quieti deditus. Reluctari verò iurè nesciuit, si quando alicui Monasterio præesse imperatus est, vbiq: scilicet meritum obedientię prętendens. Vidit senium, non vsus est illo. Interim lętus dormiuit cum Patribus suis, quod nepotes iam adultos, iamq: operarios valdè vtiles post se relinqueret. Scripsit igitur.

Vitam Diuæ Virginis Marthæ Domini Saluatoris hospitæ carmine heroico libris quatuor, scilicet Electionem, Exilium, Secessum, Decessum. Ad Nicolaum de Flisco Cardinalem. *Lib.* jv.

Item Assueri Regis, Vasthiq; Reginæ Conuiuium cultu perquam egregio ad caput primum Libri Ester libris duobus. *Lib.* ij.

Item de morte Sisaræ, & Abimelech moraliter ad capita quartum, & nonum Libri Iudicum Libris duobus. *Lib.* ij.

DO-

DOMINICVS CAVAZZONVS BRIXIENSIS.





VMINIBVS capto Dominico Cauazzono Brixienſi has adhuc offundimus rudis Elogij nubeculas, quas tamen exſufflabit aura nominis obliuionem ignorantis, aut ſplendor ipſe venuſtior inter illas apparebit, dum quod extimo eius oculo detonſum cernemus; id totum intimo homini appactum corruſcare fulgidius pro ſua virili dignoſcemus. Non natiuitas, aut natiuitati proximiores anni, vt quondam Didimum Alexandrinum, neq; diuturnior vitæ huius incolatus, quod de Iſaaco Patriarcha, alijſq; multis legimus, cœcum hunc reddidere; ſed aut ſtudium quidem ſolemne nimis in ipſo virilitatis flore, aut aliud quidpiam nobis notum minus ex omniregente prouidentia profectum. Pręconceſſas verò adoleſcentiam, ac iuuentutem exercuit ſolers in modos illos, qui Videntis penè appellatione ęgrum ditare quiuiſſent, ſi, ac de Tyreſia quondam, affingere decuiſſet; non officiente ſcilicet mentem orbitate, ſed interiora virium ſpiritus adaugente. Aſcanij Martinengi ſupremis faſcibus contingit ex ephebis vix excedenti iura permittere noſtri dogmatis per eundem ipſum Senatum in Portu congregatum. In ædibus Spiritui Paracleto Deo dicatis apud Bergomates tum vſq; Marcus Antonius Canonico ſuperpelliceo, ac Dominici nomine decoratur, eodemq; loci prima rudimēta ponit Regularis Tyrocinij ſub exercitatoribus non minus ætate, quam probitate prouectis. Et licet domus illa non ita pridem fouendorum nouitiorum iure lætaretur, nec diù poſt in opere perſeuerarit ex nouis in adminiſtratione Reipublicæ emergentibus; haud tamen prouinciæ defuit, & fæliciter pignora cuſtodiſſe credita eſt. In ipſo certè Cauazzono dolando non proiectum laborem, nec male, aut vigilatas noctes, aut detritos dies exitus ipſe oſtendit. Præter illa enim, quæ religioſum adoleſcentem decent veræ probitatis ornamenta, & edomiti ſenſus victorias (veram ſtudiorum aſſumendorum pædiam) animatus adeo, adeo accenſus illhinc diſceſſit; vt ardore illo comite nulli omninò pepercerit laborum illorum, quos Gymnaſia benè formata alumnis, ac conuictoribus vbertim ſolent propinare. Haud ita ferax natura in illo cumulando extiterat, neq; multa ei hoc ipſe debebat nomine, ingenio lentus, captui difficilis, expreſſioni moroſus. Verum cordata vo-

luntas in vigiliarum, iugisq; lectionis se clientelam ita proiecit, vt æmula harum fæcunditate compensarit inditam, sæpiusq; deploratam sterilitatem, & eadem clientela vindice in disputationibus, atq; collatonibus, quas conferentias, seu circula dicunt, negotium semper facesserit condiscipulorum spectabiliori manipulo. Interpretes in Congregatione plures audiuit ex procerum assignatione; sed postremum Petrum Nicolaum Lucensem Theologum, & Gabrielem Ottellum Alexandrinum Philosophum, ex quorum schola dimissus est per priuata tentatiua, publicasq; conclusiones egregiè defensas in Diui Patris Aurelij Augustini Placentina insigni Academia annum tertium agente hoc sęculo ad idas Februarias. Ab sibi factę facultatis initio cępit populo dicere, primum quidem per lectiones pomeridianas, dehinc per maioris ieiunij quadragenam. Prout agunt communiter humana quę quę, pedetentim vrgebat rem suam, non enim ex paucorum illorum numero erat, qui Cęlo prędilecti magis pręfulgent eloquentiæ, quam eloquentia. Et licet apicem à longè aspiceret, ac consequi fortè desperaret, non propterea animum despondebat, vtiq; non auræ tenui, sed proximorum saluti ex imis præcordijs anhelans, soliusq; Numinis honori, gloriæq; arma religiosa exercens. Iam verò palestram sacram exercito per annos duodecim, patentes, accessibilesq; fiebant gloriosi ores arenæ, iamq: lumen ab modio inferiorum exędrarum ad candelabrum traducebatur, cum per superuenientem infirmitatem oculorum vsu paulatim interdicitur. Crudelem calamitatem illa animi compositione subijt, pertulitq; per annos adhuc penè viginti, quam pium virum decebat, cui nihil vltra esset in desiderijs, ac voluntate præter id ipsum, quod ex placito esset largitoris Dei. Procul querelæ procul fastidiosa perturbatio. Ab exactis prioribus mensibus duce ipso abnuit gubernari, sed fortiorem imaginationis vim in eius locum subrogans, cuncta sibi necessaria ex se perficiebat, omnemq; Brixiensis Canoniæ nec angustę, nec indecoræ partem adibat, non à chori seruitio, non ab communi refectione, non ab alijs communibus passus quoquomodo liberari. Accidit quoq; non semel vt hospita charitate exteros ipsemet duxerit, atq; reduxerit lustratis ad vnum omnibus, quæ de more permittuntur. Cum enim nulla omnino cerneretur extima luminum eius offēsio, & ipse securus quaq; incederet, aut facillimè admittebatur vltroneus, aut exorabatur non agnitus. Duplici incommodo tantum insensibilis non erat, quod sacrificio perficiendo non admitteretur, quodue lectioni non vltra esset idoneus. Vtriq; remedium excogitauit, qui memoriæ mandare polliceretur dicenda missæ ex libro antequam accederet ad tremendum, quiue deprecaretur sibi iugem lectorem assignari à quo penderet, & cuius ministerio falleret ægritudinis detrimentum, aure oculum compensans. In cassum tamen vtrunq: cum Zelus approbaretur, sed ad diuina au-

uina audendum necessaria deesset securitas: nec adesset quispiam qui laqueo huiusmodi se irretiri, aut prępediri volens pateretur. Innixus propterea acri memorię, sola exquirebat ab eius ęrarijs solatia, solatia, inquam, illa, quęab oratione surgēti, & ab deprecati Numinis obsequijs proficiscenti expiscata in humanis hisce inferioribus non euanescebant. Hinc frequens adibatur ab omnis generis auditore, quoniam in omnem postulationem promebat paratissima responsa, & coniecturali optima diues non semel præcauebat vnicuiq; in posterum, ac prænoscebat, si negotia hac, siue illac pergant, in hunc, vel illum finem impactura. Id porrò sæpius de Congregationis adminstratione certus ita præ innotuit, ac si post factum seriem ipsam narraret. Neq; tamen aliquando eidem gubernandę se immiscuit, quoniam doctrinis intenta mens maiori aduentanti senio tales curas reijceret, quod postea præcox illuxit infortunium. Scripsit

De Mistico Pelei, ac Thetidis conuiuio librum vnum Ad Dominicum, & Nicolaum Delphinios Fratres Patritios Venetos. Parmæ apud Erasmum Viothum Anno 1603. *Lib.* 1.

De Laudibus Sancti

De Ludouici Tertijdecimi Galliarum Regis Christianissimi actionibus Panegiricum ad eundem Christianissimum Regem. Brixiæ apud Anibalem Çomincinum Anno 1630. *Lib.* 1.



DOMI-

DOMINICVS DE FRANCHIS TARVISINVS.





QVI pro inculpata Ordinis Canonici tutela ſtetere ſcriptores noſtri, ſi prout anteſignanum Dominicum de Franchis Taruiſinum ſecuti ſunt, ita quoq; & illius excellentem, dignamq; viro ſacro modeſtiam imitari prætuliſsēt, profectò præclarius in re actum eſset. Verum laceſſita virtus, ac veritas opprobrijs indignè appetita nequiuit fortè non pro merito rependere contumacibus aduerſarijs, atq; non eadem menſura metiri, qua menſa prior ipſa fuerat. Integra ergo laus Domico ſupereſt in omnem poſteritatem traducta auerruncati à diſputationibus controuerſalibus omnis omninò conuicij, omniſq; petulantiæ. Expiſcata diſſidiorum domeſticorum origine ab incolatu præclariſsimæ Baſilicæ Diui Petri in Cælo aureo Papiæ, in qua dono, atq; translatione clementiſſimi Liutprandi Longobardorum Regis ſacratiſsima pignora ſanctisſimi Patris Auguſtini requieſcunt, Paulus Lulmius quidam ex Eremitarum dogmate Bergomenſis librum ediderat, in quo plura in Regulares Ca nonicos cumulabantur proboſa,falſa,cōtumelioſa. Operis quidem cardo in hoc verſabat diſcutiendo,An Diuus Pater Auguſtinus Clericus Canonicus fuerit,vel Monacus, aut Eremita,& conſequēter,Vtrum huius aut illius inſtituti, habituſq; profeſſor; ſed ea cardini illi anectebantur genealogiarum inuenta eæq; fictiones,atq;deliramenta,vt pro deficientibus rationibus ſomnia prorſus inducerentur.Atq;hoc quidem exordium,iſq;Bergomenſis primus auctor extitit difsidiorum per calchograficam euulgatorum, quæ priuatim,atq: leuia (ſi Deo placet) vſq: tum viguerant, & ſolo verbo tranſeunte. Si quidem cum lis verteret inter ordinem Canonicum,atq: Monaſticum auctoribus Casſinatibus aduerſum Lateranenſes de prerogatiua illorum inter ſe in militantis Eccleſiæ agminibus: ab huiuſmodi Bergomatis fonte turbido eis valdè potabili aquas ebiberunt, quas deinceps euomuere in ſuis conſiljs, atq; conſultationibus, in caſſum tamen, ſupernatante tandem veritatis oleo, depuratiſq; laticibus ad Sanctisſimi Pij Quarti definitiuum, inappellabileq; decretum, atq; ſententiam. Interea Dominicus Canonice miſeratus familiæ pro ea, quam ſuſtinebat, perſona,inter eius aſseclas, & profeſsores enumeratus, aripit calamum, manumq; opponit validam, omnis tamen amarulentiæ exper-

expertem, vt illius iura, terminos patrum, indemnitatemq; tueatur. Plurima breui in opusculo constringit octo tantum capitibus digesta, eiq; titulum affigit, Defensio Canonicorum Regularium contra Eremitas. Benè verò superius veritatem oleo comparauimus. Siquidem hæc superfusa cum accensos adhuc inuenerit Eremitarum animos, in carbonum ignitorum morem, acriores, altioresue flammas excitarint. Nam Bartholomæus Patauinus eiusdem Eremitani instituti quidam in id prorupit eferuescentiæ, vt in Ciuitate Regij Lepidi ad valuas Ecclesiarum, & ad angulos platearum effixerit papyros conclusionibus quibusdam refertos aduersus Dominicum, & aduersus totam Lateranensem Congregationem, cum tubarum, & nolarum sonitu Canonicos Regulares ad disputationem prouocans. Actionis incompositio, maleq; feriatus, & insuetus modus, vt prudentibus, modestisq; Ciuibus stomaco fuit, ita Canonicos maximè acuit ad proprium decus intrà debitos tuendum terminos. Verum prouocator Eremita nec ipsa die ad disputandum decreta, nec alias licet ab Apostolico Conseruatore pluries legitimè citatus adfuit, Quare Iacobus de Romano Ecclesię Sancti Antonini Prępositus, idemq; & Apostolicus Iudex, atq; Conseruator in illum sentētiam excommunicationis tulit, publicèq: anathema declarauit, eò maximè quia in contemptum præcepti sibi facti sub eiusdem censurę pœna prędictas conclusiones publicè prædicarit, Dominicus verò, qui defensionē suam absq; liuore cōposuerat, quiue nihil in animo gestabat amarulentię, indoluit quidem tam proiectè se, Ordinemq; grauari suum, tamq; procaciter de veritate malè mereri; non tamen ab interioris quietis, animiq; cultura se amoueri passus est, & elegit non ibi sermonem effundere, vbi auditus non esset. Sed dum viri silentium in deterius accipiunt, despiciuntq; aduersarij, alius quidam Angelus Cremonensis eandem ingreditur arenam, profiteturq; habitum lineum, quem Canonici regulares deferunt illum eundem esse, quem farinæ, & olerum portitores, agasones, lanifices, & lanij vestire consueuerunt, & Beatum Augustinum illum induisse nunquam, nisi cum ad equile, vel ad visendas areas, & suum pecus pergendum esset. Huiusmodi nenijs pro merito contundendis, atq; confundendis Eusebius Corradus Mediolanensis descendit, edito Opere, quod inscripsit Responsiones ad maledicta cuiusdam Fratris Patauini, & cuiusdam Angeli Cremonensis. Profectò decebat, vt ex Canonicis quispiam prouinciam huiusmodi subiret, ne tandem victi manus dare viderentur: nam veritas, quæ in discrimen adducta non defenditur; obruitur, & error, cui non resistitur, approbatur, nec caret scrupulo societatis occultę, qui manifesto facinori desint obuiare. Sed cum Eusebius ingenij feruidioris vir non obscurè emotus animo rem pertractarit, in aduersarios iuxta eorum viam inuehendo; Ambrosium de Cora eorum priorem Generalem excitauit, qui vicem ei rependeret adhuc super



per omnem mensuram, ac modum, Apologia sub titulo Defensorij ad Sixtum Quartum euulgata. Adeo quod iterum Eusebius cogitur certamen subire edito libro, quem Responsale aduersus Coriolanum inscripsit: atq; paulò post alio Opusculo breuiore, & in summa quædam capita redacto eundem Summũ Hierarcham Sixtum, vniuersumq; Purpuratorum Patrum Senatũ ita edocuit, vt Coriolani liber ad expurgationem vsq; sit interdictæ lecturæ declaratus, & auctor carceri traditus. Idem controuersiæ genus, sed sobriè magis eodem etiam tempore pertractauere pro Eremitanis Iacobus Philippus Forestus Bergomensis, & pro Canonica familia Celsus Mapheus Veronensis per Apologiam Cardinalibus Neapolitano, Vlissiponensi, Senensi, ac Sancti Georgij nuncupatam, nec non & Augustinus de Nouis Ticinensis per Dilucidarium Christianarum Religionum, & per Clypeum, quem nominauit, Veritatis. Atq; hæc quidem intra quinquennium prodiere cum hoc exitu, vt Sixtus decreto suo controuersijs silentium induxerit vtrinq; & Iacobus Philippus in postrema editione historiæ suæ, quod Supplementum Supplementi vocauit, ingenuè se retatarit, ac correxerit pluribus encomijs compensando, quæ contra Regulares Canonicos antea malè produxerat. Interea Dominicus litis parum iustæ spectator factus talenta ab Numinis benignitate sibi concessa vberius exercuit, & tanto feraciore cum prouentu, quantò præsentiorem semper propterea sensit supernorum Ciuium protectionem in vna mentis compositione seruanda. Potiores quoq; populi, ac populorum proceres, & dynastæ declamatorem emunctissimum, & ab annis non paucis inter primos adnumeratum tanto auidius excipiebant, tantoq; libentius audiebant, quanto morum candor, mensq; liuoris nescia omnibus manifestius apparebant in ea ipsa actione, quæ in doctorum omnium versabat oculis. Non postremam attigit senectam præpropera nimis morte sublatus, cum maiora in dies ab suauiss. eius ore expectarentur, & calamus maturè accederet Sacrarum Scripturarum interpres. Circa nonam decadem ad sesquimilesimum properantem occubuit Taruisij. Habemus igitur ab eo,

Defensionis Canonicorum Regularium aduersus Eremitas librum vnum. Lib. 1.

FINIS.

L'Y-



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER QVINTVS.



ELEVTHERIVS LEONICENVS VICENTINVS.



ON Diſparibus omninò conatibus, & ſi diſpari vitæ norma, parem laudis coronam ſortiti ſunt quatuor Leoniceni fratres Vicentini. Quantum quippè floruere ſæculo Omnibonus, & Nicolaus Philoſophiæ Naturalis, & Politiorum Literarum gloria, tantum in Religione profecere Deſiderius,& Eleutherius. Quin ſi iſtorum profeſſum Canonicę vitæ Dogma captandæ auræ inimicum, æſtuantibus cupiditatibus innatiſq; ſtimulis fræna non inieciſſet, ea præ manibus habebant ſtudia, quæ ſonoro magis tumultu, licet non firmiore pede, per omnium ora volitando omnium auribus ſuauiter obſtrepunt, omnium hilaritati blandiuntur. Quis neſciat per molles camenas tenereſcere humanam gloriolam ſic, vt in nouas formas quaſi cereum quoddam paſtilium chymericè fingatur ex voto?

Quis poeticas titillationes, si lubrica peruagentur materierum arua, obuios semper habere laudatores, lectoresue non agnoscat, aperiente vt plurimum humana, imbecillitate, dicam ne, an stultitia? intima præcordia lasciuientibus? Quod accidit eis inæquale ad vitæ spectauit exitum, illis in sæculo diuturniorem diem sortitis, istis in Congregatione horam breuiorem. Grandem senectam Omnibonus, vltimam decrepitatem uiuidam tamen, & aridam Nicolaus vidit, & natu maiores postremo fato patuere, dum minoribus datum non est excedere quinquagenariam ad summum ętatulam. Vterq; tamen consumatus in breui expleuit tempora multa, & raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Senectus enim (quod Ecclesiasticus ille dixit) venerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata. Cęterorum natu postremus, genitoriq; alter velut Beniamin extitit Eleutherius, in cuius vetere sinu delitijs musarum educatus artem ipsam in naturam quandā exercitatione transmutasse iudicari potuit. Obsequentia etenim habuit carmina ęquè, ac antiquiores quippe magè laudati. Id verò non absq; peculiari superum influxu benignissimo in eo illuxit admirabile, quod nisi vel ad plurimum seria, valdeq; moralia, vel ad omnino sancta concinenda stylum, mentemq; flexerit, tanto magè memorandum, celebrioreq; commendatione dignandum, quanto magè in ea domo educabatur, atq; surgebat, quæ comis vndiq; hilarisq; iucunditatis assecla in Patre, ac Fratribus ludebat carmine ad mite genium; nec Musas ciebat nisi lepidiore quodam exercitio. Ætatula quoque adhuc prudentiæ nutrimentis neutiquam firmata, quæ pruritu suo obgarrire laxioribus pangendis solet, haud rapiebat innocentem ab suo cursu animam. Cum Desiderius frater Christo nomen dedit in albo Lateranensis militiæ obsignatus, sociorum triumuiratui illo quartum curauit adiungi per preces, & lachrymas vix tertio lustro maior. Vnam genitoris senectam declinantem veneratus, qui cum mœrore ducendos ad infera canos suos lamentaretur, si duplici expoliaretur solatio, atq; præsidio per idem horæ spatium; illiusq; vicespiè miseratus laico conuictui superstes esse elegit. Quod superuixit parens sexeniū absumpsit sub fratrum disciplina in Peripatetico dogmate percurrendo ex integro, non Naturalium modo, (vt Gymnasiorum mos est auditor, sed & Metaphisicorum, Moralium, atq; Politicorum. Scripsit etiam per eosdem dies adhuc imberbis, in æmulationis, & exercitij cuiuspiam ideam suasore maximè Nicolao fratre Commentaria super libros de Somno, & Vigilia, & de Memoria, & Reminiscentia. Galeno item, atq; Hippocrati ab eodem explicatis aurem cordatissimam præbuit. Atq; hisce occupationibus addictus, earumq; oblectamento iam fermè irretitus, priora Religionis profitendę meditata, ardoresq; deposuerat de proximo ampullosiorem togam, dilatatrices q;

cesq;

cesq; fimbrias ab Medicorum assumpturus Collegio. Inter hęc adfuit Desiderius dimissus tum primum prædicationis muneri, quo monitore prioribus reuocatus decretis, atq; feruoribus, atria sacra tenuit, abegitq; præsentissimas sæculi pompas eo alacriore animi impetu, quo consanguineum sua sorem, vitæ Canonicę ritus iam expertum, vera sibi æternę saluti profari iure concipiebat. Fælicissimè vtiq; factum est, vt ab lucrato fratre frater Euangelium inchoaret, primitiasq; prędicationis, atq; annunciatæ sanctissimæ pacis stipite ditaret suo. Iste verò ab infimiore curandorum corporum exercitio quamuis nobili, & crudito, ad sublimiora eueheretur saluandarum animarum studia, substitueretq; Coi, atq; Pergamensis lucubrationibus mendosis, atq; ex humanarum rerum labe, & infectione fallacibus Sacras vtriusq; testamēti paginas ęterna ipsa veritate refertas, atq; lucētes. Pręsidebat Reipublicę ab Ferrariensibus Comitijs Paulus Ferruphinus Alexandrinus vir vitæ sanctimonia illustris, & seuerioris disciplinæ Zelator nusquam attritus. Huius mandato suscepit Religionis insignia in domo probationis Montis Donici assuetum probitatis domicilium, ex quo prodibant in dies operarij miræ sanctitatis, atq; solertiæ, solitudine illa non minimum conferente perpoliendis animis, & purgandis affectibus. Tum verò id magè præstabat, quod eius silentijs, lætisq; horroribus moderandis, & dispertiendis præsiderent fratres Bossi Matthæus ab prima Canonicę specula, & Ioannes Philippus in Neophitorum efformatione. Quis autem tam prostrato hebetasset corde, vt sub hisce ferulis crassitiem, torpedinemq; non excuteret? Consona Præfectorum gubernatio, pariformeq; studium consonam & peperit in subditorum mentibus armoniam illam, quæ suauitate innocentissimorum morum illexit postmodum fidelium greges, perq; diuinæ legis semitas direxit intrepidè, atq; securius in caulas Domini. Trienni hinc efossione, hinc strue iecit Eleutherius fundamenta spiritualis vitæ, ad quorum absolutionem Sacræ Thelogiæ (quam Scholasticam dicunt, & Disceptatricem) magnificam superimponi sibi molem iucundissimè sensit ædificatoribus ex ordine præcipuis Patauinis professoribus, Architectonicemq; exercentibus Paulo Ferruphino secundum, Celso Maphęo Tertium, Raphaeleq: Rizolo item Tertium, ab cuius manu officium resignante coronidem obtinuit, coronaq; potitus est. Quas secum asportauerat eruditionis diuitias ab Lycæi officinis igne sancto tyrocinij recoctas, atq; à supernatante scoria perpurgatas habuit adiutrices ad stadium prædicatoratus expeditiore cursu, & calamo percurrendum, & dimetiendum. Sexdecim post hæc annos insumpsit in Euangelizanda salute ab potioribus pręsertim orę Venetæ, & Ligusticę pulpitis. Quod munus non in persuasibilibus humanę sapientiæ verbis obire doctissimus elegit, sed in vna spiritus zelantissimi virtute, quæ neq; artem respueret, neq; iucundaretur in ea, personarum

non acceptrix, neq; verbi alligatrix ob vnam primi Oratorij gradus præsumptionem,aut ob sui nimium vanè perquisitã laudem. Posterioribus annis sarcinam sibi duplicauit vt forte in modum columnæ in templo Dei sui fieret pondere firmior. Humerum supposuit Reipublicæ fulciendæ per gubernationes in partem laboris, vocationisq; assumptus, vt senecta labentibus, & laudabiliter stipendia pro meritis Patribus substitueretur, frangeretq; aggregatis iam, aut in posterum aggregandis paruulis disciplinæ panem, quem sibi pridem maiores fregisse sciebat in cibum spiritualium deliciarum. Dolabram super induxit nonnullis Sacris Poematibus, quæ inter ipsas nouæ vitæ initiationes inchoauerat in pateticarum Meditationum speciem, & ad proprium tantummodo excitandum, occupandumque spiritum Præposito Bosso præsertim impulsore. Prudentissimi etenim Moderatoris consilium erat, non omnino abalienandum ab egregio iuuene pium carmen, atq; Musas castè, innocenterq; cultas religiosos non dedecere viros, quippè quoniam morum disciplinæ pares essēt, & nequioris otij expultrices, ac demum non destruendas, sed rectificandas esse in vno quoq; naturales propensiones. Perpoliuit autem per acuratiorem huiusmodi manuum iniectionē Opusculum de planctu Beatissimę Virginis Matris, & Sepulchrum in funere Domini Nostri Iesu Christi. Quę duo cũ manu scripta per Ordinis familias eo inscio peruulgata essent ad compassiuas potissimum,parentalesq; lachrymas in diebus maioris hebdomadæ per illorum lectionem prouocandas; mentem pepulere ad alia De Assumptione & de Annunciatione eiusdem Deiparę componenda, proximorum saluti hisce studijs consulturus supra quod ab initio ipsi sibi sperare contigisset. Retulit ab suggestu pedem anno quarto ante obitum,vt in Comitijs Placentinis Visitatoreæ potestatis in Congregatione Censor renunciatus est Celso Maphæo Septimum Generali Præside,collegisq; Simone Mediolanensi, Germano Vercellensi, & Ioanne Placentino, tum enim publico munere prægrauatus priuatas ab se iussus est occupationes separare. Recens adhuc Desiderij fratris memoria, qui eodem in munere plurimum fundamentalia iura iuuasset, perq; seueriorem disciplinam instaurasset, ac longe dilapsa reposuisset; strictius conglobauit, & coaceruauit eligentium suffragia, vt inopinum, & diuersa meditantem adorirentur. Dedit colla iugo, fructum vberem lustrato Ordini, corpusq; laboribus importabilibus, quibus collimatus velut è contrario oppositis animi hilaritati, & quieti, tentari cæpit quotidianis cordis deliquijs, per quæ dissolutio tabernaculi eius properata est. Decessit quadriennio post quinquagenarius Anno septimo ante sæcularem Milesimum quingentesimum eodem in Veronensi Cænobio, in quo nouum hominem in iustitia, & sanctitate induerat. Fungebatur tum Prioris munere, atq;ad locum iuuandum æquè in temporalium administratione,

ac age-

ac agebat in spiritualium cura ab Nicolao fratre pecuniam mutuauerat, quã postmodum successor restituit. Morienti adfuit Celsus Maphæus tum postremum Generalis, Iustinus, & Gabriel, quorum amicissimis manibus curatus, piè, atq; sanctissime obijt inter diros corporis cruciatus, & chara spiritus solatia. Dignæ sunt, quę hic adnectantur breuiores duæ familiares Matthæi Bossi ad iuuandam ante dictorum lucem aliqualem in hæc verba.

Literas cupio interdum Eleutherij promereri tuas, nec satis possum, earum ita parcus es, & vicissitudinis negligens. Nihil enim mihi potest se offerre animo, quod gratum tibi fore putem, quod non ego protinus faciam tibi commune. Neq; ad fratrem, qui tecum est vllam fermè scribo vel paruam Epistolam, quin cum illa comes ad te veniat altera. Sed neq: nuncius isthuc accedit aliquis, per quem non iubeam te cum illo salutare. Dices me esse nugacem, nescire te scribere, nisi quid habeas scitu dignum, ac memorabile. At si argumenta desunt, causæq; potiores, vel responsa ne denega, & ne arescat omninò calamus tibi, sit curæ. Vna linea, vnoue distico abste, qui habes semper in obsequio Musas, ero plenus, atq: contentus. De fonte ducendo audio suggarrire tibi ausibus quosdam, quibus ea res placet. Quem ego cogitationem semper dissuasi tibi, ac Prioribus cęteris, dissuaderèq; non desinam. Nam pluris hæc aqua ducenda supra passuum millia per rupes obliquas, & sentes, quam vinum certè potabitur, ita est tractus, conseruatioq; difficilis. De fratris verò vita fouenda, quam vehementer sanè possum, curam tibi commendo, qui tibi semper fuit non minus, quam mihi charissimus. Cum quo, & vale, & pro me ora. Altera verò Epistola sic se habet.

Feci ecce tibi Eleutherij reuiuiscere Musas, tuum qui tandem Poema accepi Bononiæ lepidum, & suauissimum, & liberalis ioci plenum, cuius festiuitate ita sum captus, vt de manibus exire adhuc mihi non possit. Ad caput fontis disceptabundus de eo, quod ad te scripsi, me vocas, & ad degustandas montanas istas, secretasq; delitias inuitas, vbi Anachoretarum antra pateant nobis, domusq; Musarum. Et vtrum maluerimus sit liberum, vel contemplari, vel canere. Abire etiam ficus crispos, atq; mitissimos ais, parum si differo. Vuas meracissimas seruatas sub tectis, & ipsis in pampinis pensiles etiam spondes, qui & sim libaturus dulcia musta, si libeat. O quam, si liceret, hęc amena, & contemplationi, & Musis ciendis aptissima lætus inuiserem diuerticula, & hęc duo degustarem, quę sunt sibi cognata. Nam vterq; creditur Anachoreta, atq; poeta solitudines inerrare, fontibusq; gaudere, atq; vim communicare diuinam, & eodem afflari similiter Numine. Sed, mihi, & Seuerino non paruo Patrum consensu, atq; rogatu decreta legatio est ad nouum Pontificem Romam, ad quam nos quidem paramus nulla omissa vel hora, vel tempore. Ibimus Deo itaq;

duce,

duce, & bellis vtinam, ac bonis, vt dicitur auibus. Quæ auxilia non diffidimus assequi, si tu Eleutheri ea feruidè nobis tuis cum fratribus supplicabis, quod vt facias petimus à te vehementer. Vale Pater, & Poeta suauis. Demum in calce Epistolæ ad Nicolaum Leonicenum hæc exarauit encomij verba. Perge nobis sic fidere, sic nos & adamare, vt quondam, cum nobis viuebant tui Germani Desiderius, & Eleutherius, viri sanè nostro hoc cætu optimi, & sanctitate ambo, Leonicenaq; doctrina præstantes. Quos tales habuisse semper est lætata, lætabiturq; dum eorum extabit memoria, & erit nobis in pretio virtus, dumq; legentur præsertim Eleutherij Sacræ Camenæ mirè illi in rem omnem, & diuinè famulatæ. Meum verò ego animum in te vnum, Nicolae, ita conuerti totum, vt iam vterq; ante mihi superstite viuant, victuriq; sint semper, ipse dum vixero, teq; humana tenuerint. Vale verè Philosophe, verèq; Poeta.

Sunt ergo eius calami monumenta.

Lachrymæ, seu de Planctu Beatißimæ Virginis Matris carmine latino. Liber vnus. Ad Cambium Boßum. *Lib.* 1.

Sepulchrum, seu De funere Domini Nostri Iesu Christi eodem Latino carmine Liber vnus. *Lib.* 1.

Assumptio, siue De Assumptione Beatißimæ Virginis Deiparæ eodem latino carmine Liber vnus. Ad Nicolaum Clausiensem.

Annunciatio, siue de Annunciatione eiusdem Beatissimæ Dei genitricis eodem latino carmine Liber vnus. *Lib.* 1.

De Nomine Iesu Liber vnus. *Lib.* 1.

De Compassione Iesu Crucifixi Liber vnus. *Lib.* 1.

De amore Dei Liber vnus. *Lib.* 1.

Diuersorum Carminum Liber vnus, Quæ omnia fuere typis cussa Venetijs apud Georgium Rusconum Anno 1516. *Lib.* 1.

Commentariorum super Librum Aristotelis De Somno, & Vigilia manuscriptorum Liber vnus. *Lib.* 1

Commentariorum super eiusdem Aristotelis librum de Memoria, & Reminiscentia manuscriptorum Liber vnus. *Lib.* 1.

ESA-

ESAIAS ESTENSIS PATAVINVS.





ESTEM omni exceptione maiorem habemus de præſtantia Eſaiæ Eſtenſis Patauini Matthęum Boſſum in Epiſtola ad Franciſcum Suderinum Volaterranum Epiſcopum, & Referendarium Apoſtolicum, cuius ſunt ſignata verba. Eſt & Eſaias maxime venerabilis iſte, qui noſtras, quas modo ſcribo, ad te perfert, ad Romana noſtra negotia tractanda in curiam deſtinatus; vir ſanè, etſi corpore exiguo, at ingenti quidem animo, ſingulariq; prudentia, & bonitate præditus. Et ſcribens Celſo Maphæo paulò poſt, appellat illum, virum in re ſua omni prudentiſſimum. Potuit autem Boſſus penitiſſimè virum agnoſcere, cuius non ſyncronos modo erat; ſed cui, à quoue in tractanda Republica nunc ſuppetias tulit, nunc accepit. Verum quando nullum adhuc extaret præſtantiſſimi ſcriptoris vadimonium, quæ ſcripſit, quæue geſſit Eſaias luce clariora ſunt, Auctoremq; pandunt, panguntq; poſteritati. Floruit quidem per ea tempora, in quibus probitas primorum illorum Patrum, qui Sacram Ordinis Reformationem patrauere, quaſi manu traducta in proximiores nepotes triumphabat, vbiq; præpotens ſanctæ auſteritatis zelo munita. Atq; ideo inter ſolertes agricolas, inque fæcundo tellure coaluit plantula, excreuitq; in arborem fructiferam, ita vt venirent aues cæli, & habitarent in ea, homines ab eo ęternitati fęderatos. Diuę Virgini de Charitate, quę apud Venetos eſt per annos plures inſeruiuit qua ſubditus, qua Prælatus; ſed vtroq; modo in omnium oculos virtute non vulgari conſpicuus. Potiſſimum valuit apud pręſtantiſsimos Senatores in actionum illarum directione, quę hominis interioris ſunt. Quos enim ſacramentali auricula non excolebat, vnus paucis in hoc genere operam ponens, ſed exactam, atq; proficuam; priuato excipiebat ſermone ſolam purgatiuam viam proterente: atq; ideo ſocias copulabat ciuilem pręſtantiam, Chriſtianamq; pietatem. Declamando paucus fuit, & per eam ętatem tantummodo, quę iuuentam abſumpſit, exilis pectore, voce, ac viribus. Vt autem reponeret Apoſtolico muneri aliquam compenſationem ex Sancti Codicis libris elegit Regum ſapientiſsimi Canticum Canticorum quod exponeret. Materno Italico idiomate Commentarium peregit, vtiq; plurium manibus, ingeniouè aptius, & quoniam

niam teneriora illa affectuum Numinis æterni animam depereuntis,redamati que suauius expromi ad puræ sensum deuotionis videbantur, quam grauiore illa latinorum forma. Opus ad ea vsq; tempora tentatum à nemine, ac etiam post illa si a b aliquibus,certè ab omninò perpaucis,nobisq;minimè notis,per rumpente nempè operis difficultate scribentium animū. Gerere cępit Rempublicam post annum vigesimum à professo instituto. Accessit instructus, tū quia alieno prius imperio obtemperarat; tum quia odore vitę probę morum integritatis,& doctrinarum soliditate opinionem sui excitarat, existimationemq; genuerat.In omnium Magistratuum albo adnotari meruit,si vnā summam pręfecturam excipias, quam vt attigit ordine fascium antelatorum, ita meritorum intuitu par, atq; maior illa creditus est omnium acclamatione; nec vltra distulissent Patres, nisi mors diem anteuertisset, supremum clauum tanto viro munire. Visitatoratus officio Quintum fungitur per acrem semper morum publicorum censuram, perq; auitę feueritatis reflorescentes gemmas, & germina. In anno octuagesimo quarto eius sęculi Primum eam prouinciam subit Raphaele Rizzolio Placentino Generali, & in ea postremum minstranda desijt anno quinto post sesquimilesimum: atq; ideo ex Fastorum publicorum obseruatione liquet illum per annos vnum supra viginti inter maiores proceres enumeratum, quos Definitores nominant. Fausta omninò tempora, in quibus vt pręibant dignitate, ita pręlucebant merito, notissimisq; virtutibus potiores columnę Congregationis. Quippe cum Secundum assumitur in eo ordine, collegas habet Eusebium Corradum Mediolanensem, & Augustinum de Nouis Ticinensem Archangelo de Nigris Vicentino summo clauo sedente, ò quam pręclaros Senatores doctos, pios, industrios. Hinc stupor abstergitur tot Canoniarum vel Ordini adiunctarum, vel Ordini conseruatarum. Quis enim non proueheret tantos viros, tantam virtutem, tantam probitatem? Cum Oratoris vices fungeretur penes Summum Pontificem sub Procuratoris Generalis nostra nomenclatione Prępositus almę Virginis de Pace, haud facilè dictu est, quæ reliquerit summę prudentię, summæ integritatis, parisq; sanctimoniæ vestigia, & quam frugi communibus se præstiterit rebus inter lites, interq; aduersarios maximi nominis, maiorumue patronorum. Si per alios annos fata seruassent, iam plura volutarentur præstantis ingenij volumina, iam fastorum generalitiorum synopsi nomen eius scriptores apposuissent, iam Atestini Canoniæ excitatæ mole, numinisq; in ea religiose culti incremento curato lætarentur. Decessit sexagenario vix maior, anno altero post vltimam initam censuram apud eosdem Venetos Prior, quos coluerat.

Sunt ergo illius texturæ

Commentaria in Canticum Canticorum Salomonis Italico idiomate conscripta.
Opus Lectionum in choro legendarum.

EVGE-

EVGENIVS CARABRIGIOTVS A SANTO GERMANO VERCELLENSIS.





VÆ alium consternassent infortunia, quibus violentius in dies affligabatur Eugenius Cara Brigiotus, in eo rupem inueniebant Caucaso duriorem. Glomerabanrur in eius caput mala, vt virtuti heroicę aduersa consultò fortuna videretur. Sed qui iudicauit de malis bona facere, quam mala nulla tolerare Deus, per mala seruum sibi Eugenium sepostuit. Non ideo est nobis in promptu referre singula, quibus quateretur cum sæculum eiurauit adolescens, repugnante nubilo debilioris notitię ad nos transmissæ. Sat dixisse erit in nuncupati voti solutionem, quod à pluribus capiti imminentibus, siue infirmitatibus, siue alio quopiam emerserit, ex sola Clementia Dei in portum religionis ratem impegisse. Sub Canonico autem Dogmate dolores podagrę, dehinc chyragrę sensit familiares ita, atq: aduersarios, vt fermè à primis initi presbiterij annis nil vltra quā posse esse ęgrotū. Non minima quoq; extitit aliquando aduersitas è media concione, & ea nobili, ac perfrequenti, silere, destitutus non viribus, & doctrina; sed obrutus labe memorię debilis, & voluntati acri haud ex æquo fœderatę. Nec plenum solarium facere potuit illud idem summis etiam. Oratorum tam apud Gręcos, quam apud Latinos non semel accidisse. Siquidem decere videbatur perfectum Ecclesiasten prouidere bona nō solum coram Deo, sed etiam coram hominibus; id verò fieri fama recta mediante, quæ ita necessaria est propter alios, vt conscientia proba propter nos. Dispat exitus, Andromachen aliquod veneno. Quippe veteres illi non emerserunt è silentio; ipse verò post aliquam iniectam moram, postq; iaculatoriam mentalem precem robustior concioni euasit. Atq; sic probantur non propriam, sed Dei gloriam quęrentes. Hæc ergo ijsq; similia impugnabant, non expugnabant athletam; quin ex conflictu prosternebantur: nullo enim pacto animum perfringere, vel à suggestu auertere valuere. Vitæ probitatem ex pedia tyrocinij retulerat illam, quæ non vulgaris esset inter Canonicos, cuius præsidio animus excelsa petere in proximorum salutem nosset; ex studiorum emenso stadio doctrinam illam, quæ doceret

alios egregiè. Decuit verò ea disciplina educatum, decuit ijs natalibus ortum frontem opponere scilice, & adamante duriorem huiusmodi colluctationibus. Quippe non ineptus suę gentis ęstimator docuit in oratione, quam infra reddemus, testimonio Vbertini Crescentij, & Ioannis Baptistæ Poetæ ex Cara Numeriani quondam Romanorum Imperatoris filia Publico Manio Romano equiti clarissimo nupta Caram familiam Originem duxisse, subiungitq; ex ijsdem, Vt olim apud Cremeram trecentum sex Fabij, omnes Patricij, omnes vnius gentis ad vnum cæsi sunt; ita pro fide Christiana, & pro Republica tuenda quam plurimi viri clarissimi ex Cara familia fortissimè dimicando occubuerunt. Æmulatus igitur maiorum fortitudinem ex sublimiore militia, victoriam de ægritudine mentis, & corporis triumphum de se ipso reportauit. Opponebat, vt fama est, labilis memoriæ vitio studium iuge octo ad minus horarũ pro concione qualibet. Miseratus namq; sæculi fragilitatem depereuntis elegantiam selectioris maternę linguæ; quod prædicaret, scripto singillatim commendabat, ad verbumq; coronæ reddebat obstinato prorsus labore, nec tamen irrito. Quippe virtutem è medio emensus, extremorumq; aduersarius, puritatem, & candorem, non fucum, & illecebras, cincinnosue stilo suo contulit: atq; dum in scelera inueheret, vitiaq; concitatus insectaretur, totas spiritui commoto habenas, totas charitati ex animo, totas eruditæ linguæ commendabat, cętera fluere suauiter. Morbo verò articulari tentatus, vel oppressus, si quando id per summum ieiunium contingebat, adhibebat portitores, qui ex penetralibus suggestui reddebant, auferebantue Oratorem. Quis non miraculo proximum arbitretur, virum arthriticum pulpito impositum cernere munus omne exacti concionatoris implentem inter cruciatus eximios, dum in eiulatus, & altas lamentationes erumpunt alij? Id tamen factum, & Derthonæ, & alibi nos certo scimus, & admiramur. Atq; hoc pacto çofringebat Eguenius tumentes fluctus contubernalis morbi, antiquumue hostem debellabat hac arte, quam nec solitariam permittebat. Nam vt leuius exciperetur ab ægritudine, abstemium se composuit, & medicata aqua in colorem vini, qua sitim leniret, Satanæ illudens, oculo delectabatur imponere. Cur verò tantus erat suggestui? Num ex innumera penè Italorum concionatorum turba destituebantur aliquo alio, eoq; vegete loca illa, quibus ipse ęger præsto esset? Aut vnus valebat pro millibus? Operabatur in credita sibi à Domino merce, & quo acriora erant aduersariæ valetudinis certamina, eo solidiora opponebat fortitudinis argumenta, vt omnia posset in eo, à quo confortabatur. Vtiq; non incertum pugnabat, neq; tanquam aerẽ verberans, sed vbiq; segetes æternę vitę metebat, dum in vrbium grata accepatione Christum annunciaret. Vnam Pistorij ciuitatem ex media Æthruria exeremus exemplum. Perennat posteritati Sacrum Gyneceum mulie-

mulierum ex mundi turpitudinibus, & carnis fœditate ad Deum conuersarum, quas Conuertitas appellant, sub pœnitentis Diuę vexilla militantium. Id auctore Eugenio excitatum, fundatum, erectum & fatentur, & gloriantur pijssimi ciuium ad hæc vsq; tempora, ex quorum suauissimo memoratu pluries nos de facto,atq;illius serie dedicimus,cũ apud illos Abbatẽ ageremus Canonię excoriato cute Apostolo dicatę. Orator eis cineralium ięiuniorũ tuba salutari insonuit adeo, vt classicum in scelera canens, nil omninò intactum reliquerit, in quo Diuini Pneumatis flammas non incenderit. Coassationes, tabulata latè Basilicę imposita vix auditorem sustentabant: & quo efficacius vrgebat emendationem vitę, eo plenius excipiebantur voces tanquam oracula. Ex corrogata stype fabrica surrexit eiurantium procacem impudicitiam. O fœlicia ex Diabolo opima, ò dulcissimę recordationis trophęum. Expoliatum lupanar, oppletum perpetui, sed sacrati carceris, sed voluntarij claustrum. Oueculas ad Cœli pascua ęterni pastoris ope, ministerio suę vocis directas plurima institutione firmauit, easq; & quę illis successerunt,& succedunt nunc etiam apud vnam Triadem comprecatrices habet. Atq; hæc, huiusq; generis erant magni præconis molimina. Cur ergo interdixissent pedes tantam linguam, & cur extrema membra supremis imperassent? Qui ægrum permisit corpus Deus, animum dilatauit, & intima, & magis adussere de Cœlo flammulę, quam ignes arthetici. In publicis rebus curandis plus contulit auctoritatis, & bonæ opinionis, quam efficacis laboris, vel quod spiritualia esurienti malè saperent temporalia, vel quod contemplatio ægrè deflecteret in actionem. Disciplinam tamen, quam in se exprimebat canonicam, in alios deriuabat exemplo studij, vigiliarum, orationis, patientię, chori frequentię, alacritatis etiam inter pressuras morbi iucundæ. Bonorum verò temporalium ministerium curatoribus reponebat ex integro, exitu non satis laudabili. In hanc normam præfuit Abbatiæ Astensi, & Vercellensi, & Bugellanam egit præposituram. Non aggregatur altioris subselij magistratibus tanquam peregrinationem requirentibus, quam non sustinerent pedes nec ab equo pendentes, nec in vehiculo, vel in lectica stantes, licet illos admisisset ingenium. Preterea cum eadem tempora colerent Thomas Piolatus, Petrus Franciscus Malettus,Theodosiusq; Badinius illustres ex nostris Pedemontanis colonijs, nullam Senatus patiebatur Conscriptorum Patrum inopiam. Et ijs quidem partiebantur ministeria prioris regiminis, adhuc tamen quid humani redolentia propter infirmitatem nostram. Cũ esset vix maior sexagenario è carnis afflictissimæ liberatur ergastulo, & tumulatur apud Vercellenses suos.


Remanent eius ingenij monumenta.

De Laudibus Sanctorum Martyrum Thebeæ legionis sub Duce Mauritio Concio habita Taurini coram Serenissimis Sabaudiæ, ac Pedemontium Principibus.

De Pretiosissimo Domini Nostri Iesu Christi Sanguine Mantuæ asseruato Concio habita Mantuæ coram Serenis. eius Regulo, vtroq; dicata Flaminio Platto Protectori Cardinali, Vercellis apud Hieronymum Alarium Anno 1608.

Item Oratio in funero Dorotheæ Ferreriæ Berthodanæ

Item Oratio in funere Comitissæ Lucretiæ Bobbæ Berthodanæ habita in Ecclesia Sanctæ Mariæ Bielle, quam post eius obitum euulgauit Marcus Antonius Blanchus Astensis Concanon. Astæ apud Virgilium Zangrandium Anno 1612.



EVGE-

EVGENIVS DONESANVS A CARAVAGIO.



NEQVE te diù latere patiemur in hisce memorijs Eugeni Donesane, qui tantus in omnium memorijs & ore per omne colluces æuum. Quorsum enim, nisi maligno liuore suffusi (quod absit) oblicerare autumabimus illum, qui suoptè splendore non alieno fulgetro irradiat ęternum? Fortè quoniam ab Academia in Rempublicam traiecit nunquam? Neq; vestiri duplicibus elegit? Sed quisnam vitio decernat, quod virtuti debetur? Non abiecti, non prostrati animi fuit si haud ingessisse fluctuantibus agibilium vndis; sed potius ad altiora euecti, ac suspirantis. Prima tempora occupauit iuuentus iucunda, solumq; apta gubernari, media tenuit succosa virilitas solos pergami profectus anhelans, posteriora senectus quietis amantissima. In omnibus tamen floridissimum genium sortitus, vt amauit ne tantillum Rempublicam attingere, sic & Respublica bonum credidit ab illo non attingi. Non omnia omnibus conueniunt,neq; hilaritas quælibet idonea imperio tenendo,quod seueritati extimæ proximum benignitatem in animo colit, & statis tantummodo temporibus illam extra profitetur, nempe ne existimationem neruum officiorum extenuet languore affabilitatis illo. Quid de viri ministerio reponere posset Congregatio, quidue talentum proprium sibi parere Eugenius, cognouere ex minore illo magistratu, quem in Insula Tremitana exercuit aliquando Prior, & Vice Abbas. Abhorruere vtriq; rem aliquanto maiore fortè cum incommodo Communitatis, quam Donesanij, si vtiq; vera sunt, quæ non semel narrari audiuimus,anum matrem exoptasse Carauagij Ordinis Canoniam, in illius ædificandæ, dotandæq; studio opes honestas collaturam. Profectò ipse post eius obitum tabularum,& vltimæ voluntatis executor seuerissimi instituti Capucinis Monasterium construxit, & opportunè prouidit. Ab omni igitur cogitatione gerendarum præfecturarum alienus totus sibi hilariter, totus studijs moderatioribus vixit. Qui ènim à natura validissimæ memoriæ dono cumulatus fuerat, facili, paucoue labore condebat apud se tam multas illas intellectuales opes; quas plurima discentium, doctorumq; turba non nisi summo studio, & supremis vigilijs seponere sibi quisq; potest. Ex Portuensi Licæo donatur prædicatorea rude per Comitia

ibidem

ibidem habita sub Generali Petro Francisco Riua Veronense anno octuagesimo quarto eius seculi, socijs Archangelo Rubeo, Honorato Roberto, Ludouico Pauesio, Eugenio Carabrigioto, Theodosio Badino, Felice Gratioso, Raphaele Guidonio viris de Congregatione bene meritis, de quibus in hoc eodem opere, vna cum alijs viginti septem. Nondum cum presbyteris enumerabatur, cum declamationes sacras orditur Ticini apud Sanctum Michaelem maiorem ex collatione Hyppoliti Rubei Episcopi, quem sibi vnicè patronum asciuerat, cuiue Theses, Doctoreæ cotem, dicauerat. Iuuenem penè imberbem excepit primo ingressu vrbis Regiæ curiositas, prosecuta est approbatio, & plausus, coronauit satisfactio, & amor. Hinc auxit Antistes Hyppolitus officia in eo ad perfectam oratoris metam prouehendo, curatis nempè pulpitis ad declamandum insignibus. Valuit verò id fœlicius in clientis religiosi profectum, cum in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium cooptatur ex sanctæ virtutis merito. Tantum Mæcenatem obsecundauit Eugenius quoquo versum ita, vt non minore perfunderetur Hyppolitus lætitia, non minusq; augeret alacritatem animi cum de optimè gesto quadragesimali cursu audiebat sibi referri, gratiasq; agi à Patribus Prælatisue amicis, quam is ipse Eugenius, qui illum perfecerat. Profectò nisi fatum intercessisset, heu nimis properanter, sacræ infulæ honores non declinasset Eugenius: ea erat Cardinalis in illum beneuolentia, idq; prædominantis genij imperium. Cum Theses suas Episcopo nuncupauit, verba hæc initium pręstitere, Partum hunc nostrum licet lac non sit Iouis, & cerebrum non sit Regis, non importunum tamen in tutela, atq; fide Amplitudinis tuæ repono: quod dictum frequens postea assueuit repetere Hyppolitus in eius libertate, atq; ioco delectarus. Cæterum senuit Donesanius in Euangelij prædicatione inter primos Italorum merito iure enumeratus; A natiuitate compactus ministerio videbatur, si corporis dona libremus, procera membra, vocem suauiter tinnientem, & argenteam, iucundum aspectum, fortia ilia. Quę dehinc magis elucebant, ingenij talenta erant memoria omnem excedens admirationem, elocutio clara, stylusq; candidus, aliquando in floridam magis declinans formam, quam in arridam & ieiunam, aut in grauem, & turgidam. Iactis officij fundamentis apud Insubres suos enauigauit ad Diomedeos scopulos, atq; ideo ex illorum vicinitate Apulis bis quadragenarias conciones habuit. Repedatus in Patriam, proh quam illuxit in Euangelio. Parma, Regium, Ferraria, Placentia, Mutina testes sunt: testis Luca, Cæsena, Cremona, Derthona, Non vtiq; hic decet ciuitatem omnem enumerare, in quibus tuba salutaris intonuit siue per annum, siue in Aduentu, siue à quinquagesima ad Paschatem. Sat sit dixisse annos quadraginta quinq; protriuisse Apostolico in munere. Asculani, Foroliuienses, Bononienses, per binas, ternasq; quadragesimas ipsi frequen-

frequentissima corona circumstetere, illi quidem in Cathedralibus, hi verò apud Montanos Canonicos. Quo anno vocauit nos Dei misericordis benignitas ad Religionem, tenuit Eugenius concionem eo loci confluentibus adeo ciuibus; vt neq; templum grande illos caperet, neq: vox alioqui clarissima sufficeret omnibus, donec expansis ad medietatem altitudinis interioris templi cannabinis, & lineis vox vnita melius personuit: poeticæ insuper compositiones ibidem quolibet mane onustabant, decorabantq; pulpitum circumcirca, quę vniuersa non tantisper afficiebant, excitabantue adolescentiam ad suspirandam tantę virtutis imitationem. Patriam Carauagium iisdem laboribus honestauit, vt superstiti parenti, senioue confectæ solatio esset, ac beneficio. Semel quoq; atq; iterum in Siciliam transfretauit Messanensium, & Panormitanorum annunciator. Acceptissimum concionandi talentum Antistites illi conciliabat vsq; quaq; à quibus & prętermodum decorabatur honoribus: nunquam tamen passus est rheda cum eorum aliquo vehi, etiam penè coactus, cum cæteroqui familiariter adhiberi & satis probaret, & honestissimo loco acciperet. Qualis autem, quantaue eius dictio, & eloquentiæ vis extiterit præter hactenus narrata liquido colligitur ex ijs, quas edidit lucubrationibus statim reddendis vtiq; dignis quæ omnino legantur. Decessit Derthonæ sexagenario maior anno trigesimo huius sæculi. Fuit & alius Eugenius Carauaginus ante eum vir non obscuri nominis, qui pluribus præfecturis in Ordine functus, & visitatorea potestate etiam aliquando ornatus obijt anno sexagesimo tertio superioris sęculi Abbas Mediolani. Habemus ergo edita ex Donesani calamo

Orationum diuersarum diuersis in locis habitarum Volumen vnum ad Ranutium Farnesium Parmę Regulum. Mutinæ apud Iulianum Cassianum Anno 1617. *Lib.* I.

Orationum diuersarum diuersis in locis habitarum Volumen secundum. Mutinæ apud Iulianum Cassianum Anno 1618. *Lib.* I.

Bruni Giardini Rauennatis.

AVgeat Eugenij Pallas cum munere patris
Ingenium, quo, nunc veluti de lumine Solis
Virtutum radij nascuntur gaudia seclo:
Et partus miretur homo, quos pertulit ille,
Conceptos gremio musarum, dignus honore,
Atq; vocent homines fama super æthera notum.

EVGE-

EVGENIVS PACIANVS MVTINENSIS.





AM verò & Eugenium Pacianum hic annectamus,viro & dignitate præclara, & montis maioribus inclyto soluturi iusta, eo prorsus æquiora, quo ipse inter viuos agens omni virium conamine studuit Religionem illustrare parentem. Ita profectò fiet, vt quæ seminauerit homo, hæc & metat. Nullus omninò æqualium eius ita deperijt in publica exaltatione curanda, & in prouehendo vitæ Canonicæ Instituto per commendatas illas omnes artes, quæ populis adiumento esse possunt. Natus propèmodum hoc vno, & absoluto genio videri potuit, cum adhuc ad tyrocinij tempora mens hæc eadem adolescēti esset, quam & coalumnis ingerere conaretur qua sermonibus,qua exemplo. Quod si dedissent Superi pares conceptui, ac desiderio vires, vtiq; cessissent Ordini gestis meliora. Exarsit in eo studio, at non prorsus fælici (commendando tamen) euentu, si pensentur exactius media, quibus finem tantum adorsus est. Cum adscribi placuit Lateranensibus quintum vix lustrum excesserat, instructus tamen per ætatem & supra ætatem humanioribus ijs præsidijs primarum literarum, quæ velitatorem militem facere possunt, ac decent. Ponit dehinc annos ad initiationem vsq;Sacerdotij apud illustres profitētes in Portuensi, & Viridariano Lyceo, ex quorum postremo proficiscitur laurea donatus per promotores Gabrielem Penotum, Honoratum Robertum, & Marcum Antonium Ottellium. Quod maximè iuuit non impigrè laborantem per eos dies,ab Archangeli Campatij Mediolanensis inita familiaritate processit. Is enim cum iam inter proceres enumerari inciperet, floreretq; gratia, & ministerio, iuuenem Eugenium in clientellam susceptum occasionibus suo opere dignis præsentauit, & protectionem omnibus officijs promerentem sustulit cura, & præsidio. Hinc primum apud Ariminenses ad Logicalia profitenda deponitur, & anno elapso Phisicalibus interpretandis datur Cremonensibus in Sancti Petri de Pado. Vtrobiq; egregiam ponebat operam, & in ore, atq; in corde moderantium simul, & subditorum erat, dum quos enutriebat literarum cibo, eosdem coalescere curaret optimorum morum exercitijs, & probitate vitæ. Sed facilè pertæsus morosam, feramq; concertationem; seponere Gymnasia, Ecclesijs se præbere placuit, substi-

substituens oratoriam professæ philosophię, populosq; vniuersos in vices discipulorum reponens. Sollicitabant propendentem in publicam vtilitatem animum acutiores stimuli ex coæqualium antea condiscipulorum non indigna æmulatione, Seraphini Collini Veneti, Andreę Fotiæ Genuensis, Francisci Turricellij Pistoriensis, Augustini Caprioli Brixiensis, & aliorum, quorum virtus iam enitescere cæperat inter fæliciſsimas, valdeq; proficuas progressiones ex suę gestu, fideles abysso raptos Cælo dirigens. Hinc per plures annos tenuit concionem nunc Regii, nunc Patauij, vel Rauuennæ, vel Ferrariæ, aut Mutinæ, aut Cremonæ, & Parmæ, egregia vbiq; cum laude. Quamuis enim emunctæ auris auditores exacti oratoris plures in eo partes desiderarent, nec perperam, quas neutiquam ars verior, solidiorq; dicendi disciplina in eum inuexerat; populare tamen studium fauebat seu facilitati, seu probitati exprimentis, & suadentis res ex animo. Atq; ideo donec stetit commendatio, & fructus ex turbarum arbitrio, & motione, atq; dum traducebatur ex voce labenti proferentis plausibilis aura, & admixtum spiritale commodum, operarius fuit Euangelio claſsis æquissimę. Verum postquam typis euulgare lubuit, quod dederat pergamo, non constanti fama, laudeue gauisus est. Plura quidem fugiebant criticum auditorem ex velocitate prolationis, & ex ardore concionum, longèq; minora obseruabantur errata, idiomatis, artis, syntaxis, quę sub oculos posita asterisco non carebant, transfigebantur obelo etiam amici censoris. Ipse verò data opera calchographicam adhibuit, charitate, non aura extimulante, vt scilicet numerosiorem sortiretur lectorem sub vario tecto, & sub composita quiete animi, quam pridem, & si copiosum, sortitus esset auditorem ex pulpito. Sperabat enim conciones suas si non omnibus, aliquibus saltem, nec sine fructu placituras, & illas, si inepte respuerent, exactos mystas, allecturas tamen rudiores, minusq; eloquentię pręceptis imbutos, quorum etiam genium si non omnibus aſsentiretur, libaret adhuc partem, & partem, hinc, atq; hinc, sibiue aptarent accomodam, quam & deinde sitienti salutem propinarent populo. Sumpta igitur occasione ex decessu prępropero quidem, & infœlici Francisci Turricellij Pistoriensis dudum sibi per academias, & studia neceſsitudine iunctiſsimi, quasi amici labores, ac nomen posteritati quoquo modo transmiſsurus, edidit primum nonnullas eius conciones diuersis in locis insignibus habitas, quibus & tres suas adiunxit Rauennę, ac Mutinę habitas de Visione Dei, De Meſsia Christo, & de Apostolica Concionatorum in peccatores inuehentium auctoritate. Dehinc post annos aliquot, cum Parmę ageret quadragesimam ad Diuę Catharinæ, quam Disciplinam dicunt; erigendam, dicandamq; curauit Sancto Carolo Borromæo aram ex piorum eleemosynis per conciones suasis, & quęsitis, cultu eximio excitatam, & extructam. Quo tempore de eiusdem Sanctiſsimi Cardina-

Oo lis vir-

lis virtutibus, ac meritis luculentam panegyrim habuit, vt populo suaderet patronum, ac deprecatorem illum adsciſci penes Æternum Numen, quam etiam eodem studio euulgari voluit. Hoc eodem munere functus est in patria ad Peregrini Bertachij antistitis nutum, cum sub auspicijs, & officio eius sacra Geminiani Mutinensium Patroni, ac Præsulis pignora trasferrentur. Cæterum quod Reipublicæ attinet fœliciter stadium dignitatum metiri promeruit, tulitq; personam Præsulis egregiè, mores incorruptos imitatus Angeli Banderij religiosissimi senis, à quo pridem tanquam in filium fuerat cooptatus, & qui super eius armum gubernationis sarcinam lubens, volensq; deposuerat. Is verò addidit ipse, quod non elucebat in antiquę probitatis viro, literarum cognitionem, studiorum perseuerantiam, agendorum dexteritatem rebus, ac temporibus accommodam. Vna potissimum facilitate præ cæteris commendari obtinuit, atq; gratiosus esse optimatibus, qui nusquam præuerteret aliena meditata, aut eorum ingenijs esse oppositus, in nullisq; sibi placere studeret. Pluries sepositus fuit Abbatię Mutinēsi, quā integra fide, ac solertia gubernauit, placens apud ciues suos moribus, & ingenio. In Placentina Generali Synodo primus candidatorum vulgabatur pro Censorea dignitate inter nationales Regulorum, omni studio commendatus ab Ioanne Thoma Prouana Taurinense viro vafro, & dissimulatè callido eandem censuram abdicante. Sed interuertere nouiter emergentia valuerunt, quod penè omnes asserebant; quippe Verdellius Cremensis impotenter de more in Aloisium Buranum Regiensem extra limites ibat; atq; ideo confertur dignitas Athanasio Arcellio Placentino prouectæ senectutis viro, alias eodem munere functo. Atq; inde constitit quam variè genio afficiantur ingenia, dum Aloisius casum exciperet inter lamenta, & quęstus, nec sibi temperaret à lachrymis, qui adhuc per leges arceretur; Eugenius verò quasi non rem suam admisit, constanti vultu & animo, nec decidisse secum reputans, quamuis studio, & ętate potior. Sed reposuere postmodum elapso triennio Comitia Bononiensia, quod in Placentinis non stetit; dum nullo negotio Eugenius Visitator renunciatur, tametsi maiores nodos aliqui, & deglomeratu difficiliores iniectos iactarent sub Vbaldino Cardinali Legato Præside curato. Neq; enim ab Prouana quicquam de pristino remissum est ardore, neq; quicquam deperditum de amico consensu, quibus iuuantibus, Manettum Florentinum Generalatu perfunctum, & pluri potentem auctoritate, & consilio in suam ire sententiam obtinuit. In ipso dignitatis limine adauctus est munere Apostolici Notariatus, quod licet ingeminetur Censori minori, non tamen in quolibet huiusmodi coire opportunum existimatur, quando is vnus à secretis totius Synodi est, multoq; pluribus instructus exigitur, quā simplex ipsa cēsura postulet. Prӕterea per leges caueantur certa, quæ possit præ alijs, & quæ dignitati

dignitati eius toto comitiorum tempore faueant, si tantus est, quantus decet, ac qui Personam sustinere valeat. In Visitatoratu assuetam tenuit facilitatem cunctis subditorum adeo peruius, vt enerue quodammodo imperium fieret. Apparuit id apprimè cum Cęsenati Canoniæ ob Abbatis Augustini Augufelli decessum, & ob Hieronymi Lolli Lugensis pro Abbatis ad concionandum discessum, ad Generalis Viuoli præscriptum prouisionariè præficitur. Cum enim, vt animaduerteret in nonnullos studij eius diuersarum nationum clericos, iura postularent, procacitasq; exorbitans eorum chamo cohiberi ipsa vrgeret; placidus animo, vel placcidus dissimulanter ad Dietæ vsq, tempus processit, in quo extorris eo fiebat ab munere. Neq; tamen ideo benè cessit errantibus iuuenibus, neq; pro eis ritè ab eo consultum est; cum & adhuc eorum nonnulli à Doctorea vacent (pœna, præiudiciumq; graue) quibus alioqui decreta fuisset scientiæ intuitu, si probè audissent de moribus, & alijs idem laureæ præmium in annos prolatatum, vix aliquando obtentum ab fauorabilibus suffragijs emersit. Hanc eandem mititatem, si non animi deliquium, expressit, cum in editione mox reddendarum lucubrationum ab Ludouico Florauantio nonnullis carminibus Italicis præter regulas actis, vel imprudenter, vel studiosè operi satis præiudicatum apparuit in ipso lectionis vestibulo, præsertim cum socias habuerint compositiones Seraphini Collini Veneti, & Seraphini Brixiensis artis exactissimę, clariq; nominis professorum, per quas contraria iuxta seposita magis eluceserent. Languore demum aliquo tabescere seuerior disciplina, imperiumq; potuisset, ni vtraq; stetissent Celso Dugnano Collega in lustrandis Canonijs apposito; qui acrius vrgens laxos, & seuerius inuehens in liberiora, ambos decenter sustinebat. Valuit nonnulla prętersuetè ea facilitas in Romana Dieta, ad componendos, sedandosq; quorundam nouatorum rumores: & fato functis Viuolo Generali, ac Dugnano Censore, floruisset auctoritate, si superstitem sequentia habuissent, iam experimento edoctum, ad alias se formas effingere, & componere se grauioribus. Post coactū repentina mutatione Senatum, translatumq; ex Placentinis edibus ad Montanas Bononienses, postq; clauo prępositum Policarpum Capellum Casalensem non obscuro Lauri Astulphi studio, ipse reuectus in patriam paulò post moritur quinquagenarius, siue tabe ex laboribus visitationum contracta, siue pestilenti febre tunc primum in epidimiam erumpente, hoc vno fœlix, quod non viderit, quę statim secutę sunt ex eo morbo strages, Mutinam, ac Insubriam ferè vniuersam debacchantes, sublatus est vno vniuersorum ordinum męrore anno huius sęculi trigesimo. Reliquit ergo post se, vt supra docuimus.

EVSEBIVS CORARADVS MEDIOLANENSIS.



VÆ Virtutis præconia sunt, Eusebij Corrade Mediolani nobili loco genite, nobilius Canonicum Ordinem, Lateranensesq; terminos propugnasse præpotentes, contumacesq; aduersarios eliminasse, & in vstoriam vsq; cathastam retrusisse. Quæ licet præconia tibi communia esse videantur cum Augustino de Nouis Ticinense, cum Celso Maphęo Veronense, ac cum Dominico de Franchis Taruisino; nihilo tamen minus vno ardori tuo, tanquam primo cuipiam analogato debentur. Ipsa enim illa tua flamma, qua iure merito in sycophantas ineptos, sed garrulitate omni loquaciores, exarsisti, latius resplenduit, efficaciusq; perdurauit ad nugarum vsq; internecionem, & amnastiam. Hinc summo iure noster ille Ioannes Philippus scripsit, quod si Patres nostri habenas tibi totas dimisissent, de ipsis impugnatoribus actum esset, nec modo inuenirentur libri contra Canonicum Ordinem latrantes, nec Augustini imagines heremiticam cucullam deferentes. Porrò non velut insulsus quidam bellator ad huiusmodi certamen imparatus descendisti, aut sola ferocis animi flamma suffultus: sed veritatis clypeo munitus, scientiarum plurimarum galea contectus, calamum ferocem, eloquentemq; linguam tanquam gladium ex vtraq; parte acutum indefessus adhibuisti. Valuit, Lector, vtroq; instrumento vir egregius non ex disciplina modo Canonica, sed ex sęculi promptuarijs. Quippe cum dedit Saluatori nomen iam Iurisprudentiæ insignia susceperat, & multiplici experimento eius facultatis indeptam possessionem expresserat consultationibus, & carceratorum defensione legitima. Casoretanis laribus Deiparæ Virgini sacris tyrocinia sanctiora posuit, trienni secessu se in alterum formans, sesquilapide quidem ab vrbe patria procul corpore, sed animo non longior ab antipodis, quam nec semel inuisere alio peragraturus sustinuit, vt obduresceret nempe aduersus affectuum teneritudinem corda Deo aliquando dicata; atq; vt dilata visitatione huiusmodi in longiora tempora; interim radices figeret in Religionis obsequium solidiores. Stadium literarum, quæ viro sacro sanctiores sunt, obiuit sub melioribus Ordinis magistris intra quadriennium, adiutus non obscurè ab anteriore Vtriusq; professi Iuris cognitione, ab pridem libatis Philosophis,

phicis, & ab excelsitate aptissimi ingenij. Dum verò Proceres gymnasio illum ducendo destinarent ob multiugem huiusmodi scientiarum possessionem, ille ex sibi facta concionandi facultate in suggestum prosiliens partes nouas tantus obiuit, vt nefas statim fuerit creditum, eundem ab summo opere reuocare. Quippe in dicendo promptissimus, & omnia naturæ benignissimæ dona ore, voce, gestu præseferens, gratiæ omnis, vniuersiq; ardoris, & efficaciæ munera perficiebat Patauinis primum, mox Venetis, deinde Bononiensibus, atq; deinceps Italia vniuersa virum plausibiliter excipiente vsq; ad annum sexagesimum octauum eius sæculi. Tum enim primum ad Censoreum decus assumptus per Ferrariensia Comitia seponere prædicationem cogitur, vt publicis Congregationis necessitatibus præsto esset; neq; dehinc semel declinatę sarcinæ vltra annuus permittitur, licet aliquando ad impedimentorum mensuram dicendi ius exciperet, & exerceret. Intra viginti annorum spacium onus illud laboriosum visitandę Congregationis quinquies obiuit, singulo scilicet quadriennio ab promotione priore. Quænam verò in his promeruerit laudum præconia, vel ipsum iam morti imminens senium docuit, dum facta accessione antiquæ Præposituræ Brinatensis ad Reipublicæ reliquæ corpus, vnus assumitur Eusebius, qui coloniam ducat, reformationem curet, illiq; primo præsit, tam ex electione, maturoq; iudicio Nouemuirorum, quam ex nominatione, præclaraq; propensione Antonij Stangæ Apostolici Prothonotarij, fiduciarijue Præpositi illam ressignantis. Biennio post, ipso nempe sæculari sesquimilesimo, naturæ debitum soluit Mediolani omni sacrorum mysteriorum præsidio munitus, plenus dierum, ac meriti ob tutatum præsertim (quod initio tangebamus) Religionis decus.. Quod possideant Canonici Regulares ab primæua vsq; fundatione eius præclarissimam Diui Apostolorum Principis Basilicam apud Ticinenses in Cælo aureo nuncupatam, Eremitani Patres circa tempora Ioannis Vigesimi Secundi ex eorumdem Canonicorum consensu primum, & ex Apostolico beneficio posterius adiuncti aliquando acerbius pertulere. Cum enim ibidem asseruentur pretiosissima Diui Patris Augustini pignora; ij, qui nomen ab eodem sibi elegere, & institutionem ab illo iactauere, ad positiones nominis, fundationisq; huiusmodi fulciendas, veteres incolas Canonicos remouere sępius ab loco vbertim curauere quà vi, quà fraude, quà dolo, quà litibus, domesticisq; quotidianis diffidijs. Hinc diducto sensim, atq; quasi per tramites deriuato consilio in successores nepotes cum fęnore tempora superuenerunt, in quibus nonnulli fręna laxantes linguis, & calamis, apertius in aciem descenderunt, classicum buccis concrepantibus personando. Pro rationibus verò iurgia cumulantes, totum ita impetiuere Canonicum Ordinem; vt lacessitus ipse ne de suo iure caderet. Coactus fuerit stulto iuxta stultitiam suam responde-

re, ne

re, ne sibi sapiens esse videretur. Paulus quidam Bergomensis, Bartholomęus Patauinus, Angelus Cremonensis, Ambrosiusq; de Cora antesignani fuere, qui semitas veteres Iordanis de Saxonia cum auctario maximo terrentes, bilem ita euomuerunt omnem; vt immoderatius nihil penè agi potuisset. Ex Canonicis verò post Dominicum de Franchis Taruisinum secundus tenuit arenam Eusebius, edito primum libro sub titulo Responsionis ad maledicta eiusdam Fratris Patauini, & cuiusdam Angeli Cremonensis, deinde & alio, quem appellauit, Responsale aduersus Ambrosium Coriolanum, postremum & alio breuiore ad Sixtum Quartum Pontificem, vniuersumq; Purpuratorum Patrum Senatum. Egit quidem in prioribus operibus partes animi non ineptè commoti, & causę inseruiuit sub acrimonia verborum ardorem reprę sentantium mentis nihil vltra pauentis. In posteriore verò perstringens vniuersam controuersiam, & in analisim quamdam redigens, vt decebat sacrorum Principem, sacrosq; Proceres alloquenti, veritatem ipsam nullo velamine obtectam exhibuit. Quare Sixtus controuersijs huiusmodi silentium perpetuis futuris temporibus imperauit, Coriolani librum expupugit, flammisq; deuouit, auctorem contumacem, & refractarium ob hęc, & alia carceri adiudicauit, in quibus Innocentio octauo thronum possidente vitam finiuit. Porrò quę ab Eusebio habemus sunt.

Vita D. Patris Augustini, quam in multis corruptam, & mutilam suæ veritati restituit. Lib. 1.

De Ordine, ac dignitate Canonicorum Regularium Lib. 1.

Responsio pro venerabili, & erudito Dei prædicatore Domino Dominico Canonico Regulari ad maledicta cuiusdam Fratris Patauini, & cuiusdam Angeli Cremonensis. Lib. 1.

Responsale aduersus Ambrosium Coriolanum pro Ordine Canonico

Breuis Annotatio in errores Pauli Bergomensis, & Coriolani ad Sixtum Quartum, & ad Cardinales sui temporis. Lib. 1.

EVSE-

EVSEBIVS PATERNVS CREMONENSIS.





SATIS frugi vixit in Congregatione Eusebius Paternus Cremonensis, & operarij non pœnitendi partes expleuit, onera maioris momenti subiturus, si recta sui valetudine ei in annos illos contigisset, in quibus deferuescere incipiunt calidioris sanguinis, & ignitorum spirituum ebulitiones. Vice item versa Eusebio pia mater, & optima nutrix Congregatio extitit, quæ vberrimè respondit in culto tellure laboranti colono. Vocatio eius ex nobilibus, satisq; bonorum fortunæ copiosis natalibus, acriter, ex imoq; corde mouit domesticos. Quippe exemplum eius secuti fratres duo, & consobrinus Christo nomen dedere, hic quidem Ioannes Chrysostomus, & alter illorum Angelus apud nostros homines, alter verò Innocentius apud minores Diui Francisci. Assequi tamen neutiquam potuere præeuntem, quamuis non ignaui suo hi extiterint in genere. Fœliciore nanq; Eusebius ingenio potitus à natura, magisq; efficax in assequendis professi instituti finibus, vrsit literarum studia fortis, laboreq; iugi illustriores Ordinis Academias talento suo adscribendas à Reformatoribus Gymnasiorum obtinuit, in tercentenaria iuuentute inter primos semper numeratus. Doctorea inde insignitus, logicalibus tradendis præficitur, bienniumq; operi dat vtiliter: iamq; philosophica iminebant eidem interpretanda, lege, & consuetudine tradente, atq; ferente. Verum haud ipse sibi faciens satis, minusq; sibi placens in labore paucis, quod dicebat, scholaribus proficuo, multumq; complexioni graciliori aduerso; studuit indulgeri vacationem per præfectos rei literariæ. Ægrè permissus est feriari, quoniam vna mens omnium esset, vt robustior factus ab exercito magisterio saltem per octennium, prosiliret postmodū ad conciones cum fœnore temporis intermissi. Venustas enim, & decens elegantia, quæ suauiloquentem comitabantur, in iuuene remoranda videbantur, quæ virilitatem ingresso, semotaq; fuci suspicione, mirifica repromitterent. Verum extortæ libertatis diuersi extitere euentus, sequensue dies expressit paucula, & communia. Quippe aduersa tentari cæpit valetudine, laboraeq; perpetibus morborum incommodis stomaco rebelle, capiteq; vertiginoso. Hinc intermittendæ, vel remittendæ conciones, & si qui suggestus ag-

ſtus aggrediendi, vtiq; illi, quibus ſufficienter minores vires, minoraq; talenta. Hinc vagari per caſtra, & oppida, plebeculaſq; docere, infimis Euangelium ferre: & ſi quando ciuitatibus, id aduentus tempore, in quo dies feſti tantum dantur pergamo. Ferrebat tamen id infortunij genus æquo, fortiq; animo, & noſcebat Numinis prouidentiam, ne fortè ſuperbiret de ſibi credita merce diſponenda: & dummodo in ærarium Domini aliquid conferret, abundantius ſecum agi diſſerebat. Contigit tamen & laus, non ſua querenti apud homines. Vtiq; noſcebatur, fulgebatq; virtus eius etiam non repoſita ex conſuetudine ſuper eminentiora candelabra. Nam ex paucis illis Ciuitatibus, in quibus accidit illum aliquando tenere concionem extraordinariam videlicet infra annum, vel Aduentus tempore; ſuauiſsimo eloquio animorum lapis lidius quippiam videbatur. Ita contigiſſe ſcimus in Comitijs Rauennatibus Verdellij, & Placentinis Manetti. In illis quidem habito per eum diſcurſu præambulo ad aperiendum Senatum, ita fauit omnis Congregata Religio, vt exoranti conceſserit inuſitato exemplo, decerni doctoream Angelo Paterno fratri, non ſolum à Gymnaſijs ante annos plures dimiſſo, ſed iam iam ſeneſcenti, viro alioqui probo, & innoxio. In Placentina verò Synodo, cum teneret pergamum die prima Maij ſacro Apoſtolis Iacobo, atq;Philippo omnis ita confluxit omnium Ordinum multitudo, vt magnificum illud Diui Patris Auguſtini templum neutiquam capax tantæ concionis extiterit. Cum igitur ſe iam affectum adhuc podagra tentari cerneret, animum calamo applicuit, vt illius ope inſtauraret quod auferrebatur opificio orationis, reponeretq; manus deperdita linguæ, & vt (quod ipſe dicebat) hinc frangerentur violenta otia, hincq; morbi truces quodam velut ſolamine leuarentur. Ex Sacræ Scripturæ volumine elegit libros Iudith, & Hæſter, quos luculento Commentario illuſtraret, & interpretaretur. Et qui ſatis polebat dudum ex prophanæ hiſtoriæ lectione, genium ſecutus curioſiſsimum, immiſcuit centum quæſtiones grauiſsimas textuali interpretationi cuiuſlibet eorum, quas ſtylo pertractauit ſcholaſtico, & contentioſo, collatiſq; locis externorum auctorum conciliauit permulta, quæ aduerſari aut inter ſe, aut cum alijs videbantur. Nos laborem hunc viri vidimus, dum Ianuæ Priorem ageremus, quod ideo proferrimus & atteſtamur libenter, quoniam eius morte poſt paucos annos ſecuta opus lucem non aſpexit. Præſtolabatur quidem Euſebius finem, ſed qui iam ex Synodo Rauennate Verdelij retulerat prouinciam audiendi ſacras confeſſiones Canoniſſarum Ianuenſium Diui Andreæ, vnus non ſufficiebat duplici negotio, eoq; difficillimo, ac hominem totum requirenti. Gynecæum quidem illud numero, & qualitate inhabitantium virginum per inſigne culturam ſpiritualis meſſis iugem adeo exigebat, vt ne vix horæ ſupereſſent integræ homini propria curaturo. Atq; id effecit vnum, vt trienni labore

Pp ibi be-

ibi benè posito, nec idem alibi munus subire, nec vltra prægrauari exorarit. Mantuanum secessum studuit sibi per Patres obueniri tanquam patriæ proximũ, extra rumores Ciuitatis positum, nec longe tamen ab ea dissitum ob impendentia quotidianæ necessitatis. Ibi dum semestri repetita collimatione opus persoluisset, & perpolisset iamq; typographis illud pararet subijcere, denuo attrocioribus podagræ doloribus primum impetitur, dehinc alio super aliud morbi symptomate superueniente iam factus immobilis expugnatur, viamque vniuersæ carnis ingreditur circa annum ætatis quinquagesimum, vir multa dote clarus, sed eloquij lepore, ac venere quapiam cum primis comparandus siue domesticæ allocutionis stylo, siue concionatoriæ facultatis exercitatione. Putauit sibi Antagonistas vt arceretur à publico rerum ministerio Placidum Blancardum, Policarpum Clotium, & Raphaelem Bonettum nostri agminis ductores industrios. Et Blancardus quidem vt etate potior, sic seueritate, & disciplina antiquiore benè audiens apud omnes gubernij ordines, in suauius istius modi genium, atq; facile nimium (vt ipse rebatur) non ibat. Ea propter substitutus aliquando Constantio Vernacciç Visitatoratu, vitaq; functo, primus inter Cremonenses quid valeret vnusquisq; suorũ nationalium pondere librabat sanctuarij, vt de quolibet iuxta illis credita talenta disponeret; & illi quidem nec pauci numero, nec debiles talento erant, Octauius Affaitatus, Carolus Galeratus, Petrus Martir Mainoldus, Hieronymus Barbadorius, Frigdianus Burgus, & alij. Sed humana cæcutit de more prudentia, nec vltra pedis elongationem cernit Quippe studia non semel Blãcardus tulit in Chiozzum prouchendũ, (nec immerito certè vtpotè qui ad senioris mores se componere laboraret, & plasmaret acta ad tempus, & horam non inaniter accommoda) à quo postmodum plurima pati compulsus est, quæ extremo senio prægrauatum intimius pupugissent, ni virtus vna tabulas coequasset omnes: pupugere tamen, sed absq; vulnere, absq; cicatrice. Sed isthæc diù post Paterni decessum euenere. Scripsit igitur Paternus

Commentariorum in Historiam Sacram Iudith. *Librum* 1.
Commentariorum in Historiam Sacram Hester. *Lib.* 1.

Ex Ausonio Burdigalensi.

ELoquij merito primis æquande, fuisti
Eusebi hic positus posteriore loco.
AEuo qui quoniam genitus, functusq; recens,
Dilatus nobis, & non omissus eras.
Quocunq; in numero, tristi memorabere threno:
Vnus honos tumuli serus, & ante datus,
Tam generis tibi celsus apex, quam gloria fandi,
Gloria Athenæi cognita sede loci.

F I N I S.

LY-



LYCEI LATERANENSIS, SEU ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER SEXTVS.



FELIX ACTIVS MEDIOLANENSIS



ACTIÆ gentis memoria penes Italos & frequens, & glorioſa eſt ſub Hiſtoricorum, ac Poetarum tubis, calamoue, ab belli, paciſq; artibus, atq; ab populorum gubernio, ac principatu. Huius portio felix apud Inſubrum Regiam, Mediolanum ex diuerſis fortunæ caſibus implantata Felicem hunc ſurculum, cui proſpectum, manumq; inijcimus, dedit, vt mitiore ſaltem hoc modo aliquando Laterano Actij ſui reduces fierent, qui ab Vrbe Roma ſedes dudum auulſerant originis. Reſſerratæ aulæ adoleſcentulo, reſtitutiq; quodammodo iuris laus Lauri Aſtulphi Ariminenſis eſt, qui luſtrum agens Congregationis, inter plures, quos diuerſarum nationum excoxit examine, approbauit decreto, hunc vnum cum præcipuis adnumerauit. Et quidem annui tantum eius Dicta-

toratus fasces, si aliunde commendationem non commeruissent (quam ex non paucis commeruere) vtriq; illam ex optima conscriptione fortiti sunt perenniter duraturam. Facillima porrò accessu penetralia Canonica is adinuenit ab Generali nuncupato, quoniam sub disciplina coalitus Ioannis Baptistæ Crescij oratoris eximij; pectoris cymbam omni mercimonio literarum oppleuerat politiorum ætatulæ propriarum, & futuris incrementis prælucendarum. Quippe Christopharus genitor vir acer virum Crescium selegerat in vrbe talium profitentium locuplete, tanquam omnibus numeris absolutum, omniq; morali virtute, atq; doctrina præditum, neq; de aliena voluit ferula gnatum aliquando pendere. Inuenit statim mercimonij compacti commutationem, opportunum, & commodum, & contractum fiendum cum fœnore. Quandoquidem per Octauij Carpani Abbatis ministerium ad sacros maiores focos de Passione lineis candidatus, in Prosperi Faraudi manus incidit religiosarum huiusmodi nundinarum Proxenetæ per quam industrij, de cuius vigilantiæ præceptis didicit, non alium, quam Deum mercatorem adeundum maximum, ab cuius ærarijs, officinisq; creata vniuersa extraherentur. Vota hinc sensim instillauit bonus præceptor longè diuersa à prioribus: & ijsdem politiorum cognitionum medijs in alios tendendum fines docuit, qui coronarent vniuersa. Exercitatio talentorum iuuenilium eadem ipsa erat cũ prius acquisita; sed longè sublimioribus applicata sensibus. Mores mutabant amores. Tyrocinij in his emensurato stadio, quod breue benè currenti fuit, quia videbantur dies eius pauci (quod de laborante quondam Israel Patriarcha dictum voluit Spiritus Sanctus) præ amoris magnitudine; quæ erumpebat animi virtus in gemmas Vniuersitati Ticinensi addicta est in Clauigeri Diui, quem de Cælaureo dicunt, Canonia. Philosophus tunc ibi profitebatur Gregorius Taberna Mortariensis integer vitæ, plenusq; scientia, qui auditores Peripati quidem amantes agebat, sed amentes neutiquam; vtpotè is, apud quem verum scire esset sacra scire, & fœtidè saperent, quæ non diuina suo odorarent modo. Hinc frequens erat ex locis Religionis accessus & schola numero audiebat, ac meritò. Porrò Felix Ioannes Collegij erat, minor ætatis, prædilectus magistro, sublimior mente, aquila volatu, in vniuersis, quæ sublime aliquid saperent, præsens, ac particeps. Vt philosophari desijt, Cremonensem Theologicam scholam accessu præstituto auget, & actibus; vtrobiq; eundem titulum, eandemq; Clauigeri tutelam retinens. Ioannes Franciscus Bozzettus Cremonensis diuinæ scientiæ cathedram illam moderabatur, diuinus ille profitentium, siue quos linum, siue quos lana tegat, tam candore, quam colore infecti quolibet: diuinus, inquam, ille ingeniorum de viuido, de facili, de prompto gloriantium. Habuere facilem similia transitum, nec arduum fuit discipulo ad eas se formare ideas, quas singulares

maximè,

maximè, quas alienę, quotidianęq; commendationis plenas cernerer in magistro. Panurga maturitas pręcocitatem extulit adeo, vt studiorum Reformatores eius prouincię non de legibus cadere, sed cum legibus & agere, & gloriari putarint, subdiaconatu tantum insignito scholam assignare ex primis Logicalibus initijs aggrediendam, atq; ducendam ad philosophici vsq; cursus absolutionem: Assumptio autem huiusmodi eo magis erat in conterminarum prouinciarum ore, quoniam eodem propè tempore ex auditoribus eiusdem professoris Bozzetti prodiere haud dispari opinione virtutis Seuerinus Sanseuerinus Placentinus, Benedictus Bonioannes Cremonensis, Constantius Adda Mediolanensis, Ioseph Nouariensis, & alij non pauci, ab quorum cultura postmodum Ordinis viridaria flores, fructusq; immortalitatis pepe rere. Præambulauit igitur Felix annos prædicatorei ferti in mirabilibus cathedrę; suntq; ex eius auditoribus Petrus Cima Ariminensis nunc Archipresbyter, & à secretis Ordinis, Claudius Mediolanensis apud Placentinos Theologiam docens,& Ludouicus Seghettus Bononiensis, qui iam à quinquennio Gymnasium Cæsenate Sanctæ Crucis, numerosamq; tyronum adolescentiam exornat prælucens morum candore, innocentia vitæ, scientięq; præstantia conspicuus. Non eodem semper genio onus, honosq; gessit: gessit tamen octennio: primis quidem temporibus volens, & alacer, quia cum videret sibi facultatem & ab ętate, & à magistratibus non indulgeri ad concionandum; è re sua agnoscebat esse, vt haberet exedra labores, quos ab alijs hauserat ipse: sed Sacerdotio inauguratus, iam non capiebant claustra propensionem exeundi ad diuina disseminanda. Dabant quidem amici Præsules exercitationi campum ad festiua quadragesimæ aliquando; at flammarum globis erumpentibus,esca fiunt peruia quæque, nec spacio coarctantur angusto. Initia dedit ab summo templo Bugellanę Ciuitatis ad cliu alpium in Pedemontanis: & non ab re cacumina Italis imminētia exordia suscepere eius,qui ima non nouit siue natiuarum, siue acquisitarum omnimode dorium. Absq; gradibus processit, quod cæterorum est: summa tenuit ab assumpto onere, quod non gradientium,sed peruolantium est.Aue Concionatorum auis,auis regia, ales vera veri Iouis, Iouis Percepter, ore fulmina gerens, ore flumina formans, & ea non quæq; sed Eridanos ipsos, vt in Firmamento Militantis duas ex quadraginta octo efformes ipsa configurationes,sola solis fulgorem occulis aspiciens inconniuentibus. Dux verbi, sacer Hermes ibi Mauortem *horum* temporum Thomam inuictū illū de Sabaudia Principem pluries sorti tus auditorem; approbationē ab eo elicuit eā,qua maior vix concipi possit. Vtinam pacis studia ab bellorum tumultibus non pessum issent. Tenuit post hæc arenam virtutis inclytæ Astam,Bergomū,Luccā, Cremam vbiq; mirus, vbiq;proficuus;vna pręsertim dicendi modo suauitate natiua,modo electiua

energia

energia omnibus numeris absoluta cum paucis omninò comparandus. Porrò quantus assurgat forma dicendi illa, quam nostra hæc tempora deperire videntur, præsertim in primæ notæ scriptoribus; ab vna illa apparet concione, quam mox reddemus, ad Lucensis Reipublicę Senatores habita. Quippe absq; fuco ornatus, grauis, aculeatus, plenè succosus, si manus ministerium aliquando linguæ coniungat operibus (quod optamus, quod speramus) immortalitatem sibi, Ordiniq; vniuerso, animabus emolumenta seposita cumulatè cernet, quod & modo in semine cernit.

Est igitur ex eo

Sol Politicus Concio ad optimos excelsæ Reipublicæ Lucensis Senatores. Lucæ apud

Ausonij Galli translatum.

PRudenter comis, oreq; iuuenili senex
Cui felle nullo, melle multo mens madens
AEuum per omne nil amarum miscuit:
Ocelle nostri, Acti, bone pectoris;
Te concionantem non Vlixes relinqueret,
Liquit canentes qui melodas virgines.
Facunde nulli Rethorum cedens stylo,
Et disputator ad Cleanthen Stoicon,
Et Epirote Cinea memor magis;
Consilia nullus mente tam pura dedit,
Vel altiore conditu texit data.

FE-

FELIX GRATIOSVS NOVARIENSIS.





ELICEM Gratiosum virum pium, solertem, industrium vidit adolescentia nostra, vtinam ad imitanda probitatis exempla. Non absq; admirationis legitimo impulsu tum prouocabamur ad obseruandam Sacerdotis Eutrapeliam, qui licet procera statura, obesoq; corpore præpeditus, obsessusq; videretur à propria membrorum compage ad negotia vrgenda, & ad studiorum la bores subeundos; vtrobiq; tamen constans, & assiduus apparebat, & omnia omnibus factus, singulari comitate disciplinam ferebat. Tyrocinium instituti Canonici expleuerat sub præceptore Seraphino Merlino viro claro tum Nouariæ, tum alibi. Ab illis autem seminibus conceperat, quæ postmodum lęta fætura enixus est inter dolores repugnantis corporis. Quippe primioribus absumptis adolescentiæ annis in gymnasticis Ordinis Canonici Accademijs ad ingenium excolendum, adq; simul iungendas speculatiuas, quas appellant scientias, pietati intra Nouitiatus septa striđius admissæ; statim ac ad Sacrę Scripturę Arcana interpretanda admissus fuit per prędicaroreum munus; nouo repetito studio rerum ad praxim attinentium se cum non infimis florentem exhibuit. Dum iuuenta vires addidit, pulpita peragrauit certo cum ardore animi, fructusq; in horrea Domini comportauit non insulsos, non aspernandos. Vnus ille erat, qui tametsi Oratorię artis pręcepta haud quaquam insectaretur, atq; propterea comptiori Auditorio non ita satis probari posset; tamen comi facilitate in aliciendis animis per sermones domesticos tantus apparebat; vt indignè agere arbitrarentur quoties etiam ad loquentem è suggestu non accederent. Neapolim per triennium opplcuit cōcionibus tum quotidianis in maiori ieiunio, tum festiuis per annum, cum etiam aduentualibus, qui nonnullarum matronarum primi confessus viam spirtus terrentium per exactæ probitatis semitas genio maximè arrideret, vitamq; illarum institutam valdè foueret, & dirigeret. Digresso inde ianuas aperuit Ianua, atq; Mediolanum successiuè. Sermocinantem diebus solemnibus, atq; Dominicis comitabatur felicitas, qua in rudiore talento placeret populis, ac Proceres impeteret pingui cum fructu. Verum non ita diu permissum est in officio acris laboris perseuerasse, dum

in sudo-

in sudores amplos ex natiua abdomine madefactus dissolueretur, secundum quos vires deficerent, & accessione frequentis morbi penitus sedecessuras ominarentur. Quare ad aliud institutum; exercitijq; genus diuertendum esse persensit etiam repugnante animi fortis delectatone. Placuit autem id Prælatorum prouidentię reliquisse, ne dum ipse deiernerct, laberetur in deteriora, vel otio iniquiore torperet. Per supremum Ordinis synodum ad audiendas Sanctimonialium auriculares confessiones deputatus est assueto triennali ritu in quocunq; assignato Monasterio. Præstitit id operis per plures annos nunc Astę Pedemontium, nunc Nouariæ, nunc Ferrarię, & alibi. Euasit tantus in arduo, summęq; prudētię dexteritatis, charitatis, & probitatis negotio, vt vel nulli alteri prouinciæ magis idoneus passim crederetur. Vrgebat Dei amorem in subiectis, imprimebatq; præcordijs quacunq; arte, quocunq; molimine. Atq; hæc quidem exercitij species obiter expręssit ab eius manibus, & calamo aliud non grandis ingenij, sed veram frugem exoptantis opus. Dum enim spiritus panem frangeret Vicentię pijssimis Virginibus clarissimi Monasterij ab Diuo Didimo nuncupati, Canonicam Regulam Diui Patris Augustini vna cum Expositione Beati Vgonis de sancto Victore ex latino in Italicum commune idioma excellenter transtulit, mutatisq; mutandis illam Sanctimonialibus tanquam eis conscriptam, ipsasq; alloquentem adaptauit, peculiaribusq; sumptibus edendā curauit. Mens eius in re huiusmodi vna illa fuit, vt imbecilliorem sexum scientiarum, & latini sermonis expertem iuuaret, audirentq; Magnum Legislatorem materna lingua illas alloquentem, pręcepta assignantem, consiliaue ingerentem, & ex mellifluo illo Victorino colligerent copiosam messem ad pascendos animos, ac demum medullitus Regulam ipsam Canonicam, professi instituti speculum, libantes intuerentur. Canonissi per vniuersas Italiæ. Quare ad id scriptionis animatus plura moliri cæpit facilioris dictaminis, sed plena succo, & charitate, quæ morte intercedente haud maturata remansere. Obijt vno anno sexagenario minor ad Sanctam Crucem Mortarij eo in munere, in quo tot labores alijs absumpserat, tot sibi præmia reposuerat apud Diui Cassiani Canonissas. Ad nostra vexilla accessit adolescens Nouarię Theodosio Burla Placentino Primū summo Præside Anno vniuersalis Iobęlei Gregoriani, decessit Petro Francisco Maletto eundem clauum gubernante Anno 1617. Religionis quadragesimo secundo. Cum plurima sibi ex lautiore patrimonio obtigissent, præsertim cum frater eius natu posterior Clericorum Regularium Sancti Pauli decolati institutum ingressus est, profusa liberalitate in pauperes vniuersa fermè absumpsit. Superest ergo ex eius penu posteritati

Regula D. P. Augustini ad Canonissas applicata, & cum expositione Vgonis de Sancto Victore in Italicum idioma translata. Vincentiæ apud *Lib.* 1.

FLO-

FLORIANVS NANIVS CASIVS
BONONIENSIS.



X præruptis Apeninorum præcipitum cacuminibus, vbi Casium oppidum constructum est inter altam Etruriam, extensasq; Bononiensium planicies, Florianus Nanius originem traxit, triplici propè miraculo à natura ipsa ditatus; numerosa lectissimorum morum falange, nequaquam illarum gentium propria, subtilissimo intellectus acumine, montanis propè omnibus cõmmuni, & inusitato prodigiosæ memoriæ rem nullam obliuiscentis thesauro. Dotibus huiusmodi ornatus, dũ adhuc illarum nascentes radij inter minoris ætatis nubeculas potius deuelarentur, quam tota emicarent claritate, & spes magis excitarent quam explerent; suapte genio repentinus Lateranensem familiam locupletauit, aut ab illa locupletari maluit. Accessu namq; suo multiplicans gentem, magnificauit quoq; & letitiam; dum in interioris hominis compactione moribus sic se Canonicis adaptauit, vt in Tyrocinio Magisterium totius perfectionis exprimeret: & duplicem terrens vno tempore viam collimabat affectus ad trutinam emunctissimæ religionis, & opplebat ingenia ad vbertatem omnis eloquentiæ. Vnde executus pro Congregationis Doctoratu (quæ aiunt) tentatiua, dum ad lauream obtinendam publicæ disputationis controuersiæ solus Athleta se in medium de more proponere deberet; animi præaltam promptitudinem suggerẽtibus viribus, & monstruoso illo robustissimæ memoriæ pomptuario, post trecentas viginti assertiones ex omni penè facultate elicitas, proposuit illam vnam Conclusionem omnis scientiæ contentricem, quicquid tenet Diuus Thomas verùm esse assero. Non in angulo, aut in minus frequenti, vel in mercatoria tantum, haud verò studiosa Ciuitate tantam prouinciam subire moliebatur; sed in populatissimo Literatorum emporio Bononiensi, vbi illud solumodo non explicatur à doctissimis Professoribus, non perquiritur ab amplissimis scholaribus, quod per humanum captum nequaquam assequi potest. Sed ingeniorũ sublimium sublimia sunt attentata, & vorticosa Oceani ad Columbos, ad Vespucios, ad Magelanes, ad Cortesios attinent, vt edomentur, vt enaui-

gentur, vt superentur, vt peruia fiant. In ædibus sacris Diuæ volanti Aquilæ, quæ in monte dicitur per triduum repetitis cõcertationibus in manè, & vesperis satisfecit plurimis, iisq; doctissimis omnium ferè ordinum impugnatoribus, non excitata ex iuuenili ætate admiratione tantum, sed & confirmato inueteratæ sapientiæ apud omnes præconio. Et quidem pararat se ad persoluendos petitores non minore pecunia, quam totius Angelici Doctoris Summæ memoriæ demandatæ scrinijs. Quis verò vnquam tale quid audiuit? Perrarò fulgent orbi hæc ingenia, perrarò appellunt ipsi portentosę memoriæ vires similibus rerum conatibus, dum satagunt satius omnes scholas peruagare, libros omnes ad ostentationem vorare, hinc inde collectis diuitiarum alioqui commendabilium sarcinis, quam vni alicui stabili inherere cubo, & omnes exerere conatus ad vnam tantum, at omninò Regiam molem construendam. Tum verò primum fuit, quod de illo creditum est, & euulgatum mirabili encomio, quod si eadem summa deperderetur, per eum renouari, reponi ue posset. Confirmatum, illud deinde est procursu temporis, cum ad Sacram Theologiam profitendam assumptus apud suos; sexdecim annorum spacio illustriora Congregationis Gymnasia lectionibus cõndecorauit, Vercellis, Cremonæ, Rauennæ, Placentię, Patauij se totum in Matris commodum profundens, nulla vnquam aliena dignitate grauatus, nullo cumulatus honore, præter eo vno, quod suę virtutis peculiare erat illudq; inammissibile. Excipiebantur eius dictata tanto discipulorum plausu, & affectabantur talem in modum vacantia loca gymnasiorum, in quibus profitebatur, vt ibi verè appareret Athenas esse, vbi oraret Demostenes. In Augusta illa Placentinorum Canonia pręter egregium nostrorum profitentium numerum, confluebant ad eum audiendum, & ad conscribendas eius lectiones aliorum ordinum quamplurimi, & eruditę indolis: adeo vt hisce etiam diebus sint in eadem Ciuitate ex sęcularibus, qui summo studio asseruent manuscripta de tanti viri ore effluxa super integros quatuor scientiarum Libros Commentaria in benè culta volumina ad aurum vsq; superinductum compacta. Nos qui scribimus, & tot annorum intercarpedine distamus ab eo, non vnas etiam credimus eius epulas Doctrinales, quoad principia inquam, & semina, emanducasse; qui per quinquennium incubuerimus præcipuo ex illius auditoribus doctissimo Gabrieli Pennotto Nouariensi. Cum demum ab assiduo lectionum labore per Comitia absolutus esset insigni priuilegio munitus, quo in Prælatum Titularem (aiunt) erigebatur, ac voce electorali in generalibus sessionibus donabatur; laudabiliorem adhuc prouinciam aggressus est. Si quidem ex Doctorum Sholasticorum argumentis conclusionibus, expositionibus, quæsitis, resolutionibus ad totam ferè sacram scripturam pertinentibus Expositionem nouam molitus est: nouam inquam ordine, methodo, ac pluribus speculatis. Eius verò solum

specimen

ſpecimen quoddam Poſteris reliquit morte præuentus in primum caput Geneſis ſub Titulò Cathenæ Argenteæ ad Sixtum Quintum Pontificem Max. Imitatus nanq; antiquos nonnullos Grecorum Orthodoxos Auctores, & Latinorum Diuum Paradiſi Doctorem Angelicum Aquinantem Thomam, ac deinde alios, vbi illi ex Auctoritatibus Priſcorum Sanctorum Patrum, quorum è fonte Theologia ea promanauit, quam Poſitiuam dicunt, Cathenas ſuas compegerunt; ipſe ex ſententijs Doctorum Scholaſticorum ſummi nominis, de quorum laticibus eſt Theologia illa, quam Scholaſticam nominant, propriam Cathenam efformauit. Et ad declinandam etiam minime ſuſpicionem æmulationis Argenteam eam appellauit, dum illi Aureas ſuas nominant. Interim Theologi per huiuſcemodi opus euidenter cernere poſſunt, Ex Sacris Literis non modo practicè, verum etiam (quod Durandus negat) ſpeculatiuè, multa deduci. Item ſe Theologos eſſe, cum Theologia ſit habitus eorum, quæ ex articulis fidei, Sacræq; Scripturæ teſtimonijs veluti Concluſiones ex principijs inferuntur: ac demum veriſſimum eſſe, quod Hieronymus in epiſtola illa ad Paulinum celebri, multis & teſtimonijs, exemplisq; & rationibus elegantiſſimè docet, Neminē videlicet in Scripturis Sanctis ſine præuio & monſtrante ſemitam poſſe ingredi; Diuinarum Scripturarum intelligētiā non ex propria preſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis, & auctoritate inueſtigandam fore, & Sanctorum communē ſenſum tanquam Theſei filum tenendum, eoſq; quaſi duces intelligentiæ ſequendos: Quoniam ſæpè ſæpius continget ex eadē ſcripture Auctoritate multo plura argumenta verò ſimilia capi, quam Concluſiones veras inferri. Hoc igitur egregio opere ſibi fama confirmata, auctaq; Clemens Octauus illum ad Epiſcopatum Scalenſem euexit; quo virtus auguſtior ex conſpicuo loco cerneretur, & pararentur ſcribenti opportuniora commoda: nec diù poſt eum Bononienſis Archiepiſcopi ſuffraganeum declarauit. Verum aliter in fatis viſum eſt eſſe, cum ſolo quadriennio infulatus ſuperſtes bene ceptos, probatoſq; conatus ad exitum perducere nequierit. Alteram tantummodo partem eiuſdem Cathene vndiq; abſolutam reliquit, quam Horatius Spinula Prolegatus Bononienſis, is qui poſtea Cardinalis, illuxit, iuſſu Clementis à Conſanguineis eius perquiſiuit, & obtinuit. Reliquit quoq; manuſcripta Commentaria, infra reddenda. Deceſſit non plane Senex Anno 1599. in patria tumulatus in ædibus ſui Ordinis Diui Ioannis in monte. Sunt ergo eius

Cathena Argentea ex Theologis Scholaſticis lucubrata in primum Caput Geneſis. Bononiæ apud Ioannem Roſsium 1587. Lib. 1.

Cathenæ eiuſdem Argenteæ in ſex alia Geneſis capita manuſcipta Romæ Lib. 1.

Commentaria in Libros Exodi, Leuitici, & Deuteronomij manuſcripta.

Dilucidarium Theorematum Theologicorum Ordine Alphabetico diſpoſitum, cuius Authographum in manu Gabrielis Pennotti, vt ipſe ſcribit

FRANCISCVS MANCINVS ARIMINENSIS.





VÆ Mãcinorum familia in potioribus Italię ciuitatibus opibus,& nobilitate floret, hinc Aristocraticę dominationis partem sortita sub Reipublicę libertate, illhinc præclaras dignitates sub vnius principatu; eadem ipsa in non obscuro prorsus loco Ariminensis Ciuitatis fortunæ iocus delitescere coacta, vsq; ad infimiores calicis, qui in manu Domini est, feces paupertatis ebibit. Ingenuitatis tamen illius, quæ stipiti congenita, fibrisq; intimis, ac sanguini connaturalis quodammodo est, haud oblita; actiones eas operabatur, quæ & solem ipsum intra nubium pannosos hiatus vix contegi posse commonstrarent. Innocentes mores, sincera verba, compositi vultus, intra paupertatis angustias liberales actus, religionis summum cultę amor, inter rudiorẽ etiam viciniam principari quadantenus gentem permittebant opinione bona, & dirimendorum ciuilium nodorum recursu. Horum ergo de senescente radice agrestem flosculum vrbanos in Laterani hortos hospitalis deduxit vrbanitas. Decuit enim generosam gentem in suo hoc ramulo nostra quasi Ciuitate donari, quæ non Ecclesijs ingrata, portionem fortunarum suarum Leuitis, ac Sacerdotibus alibi compartierit. Agrestem flosculum Franciscum Mancinum dixerimus, qui etiam bene cultus, opimeq; irrigatus roscido scientiarum nimbo; adhuc tamen qualem qualem oluit prioris originis crassiorem fragrantiam. Ita profectò vsu venire sueuit, vt natiui soli (esto hæc superiorum influxuum siue clementia, vel æquitas) nec translatæ dediscant quoquo versum plantulæ genium, & dotes. Exeas tamen ad vitæ, gloriæq; lucem terræ quidem fili, sed altricis nobilitatis adoptiue. Ipsũ publicæ lucis decus subfuco tuo qualicũq; fulgore prouoca. In hortensibus etiam theatris externæ formositatis secũ ipsi victores flores, formosissimi fratres, domestico certamine de forma dimicant. Discolores inter hortorum scenas simul florentis, simul deflorescentis mortalis pulchritudinis vtilem fabulam exerunt; & quamuis dispares cultu, ac lumine, flores tamen ipsi suntor, quodq; vni deficit, alteri superesse manus ipsa cultorum commonstrat. Fruendę luci datus est anno quadragesimo quarto post millesimum quingentesimum genitore viro probo, & solerti, sed pinguioribus moribus etiam supra ruralem quamcunq; vitam ad Castrum Sancti Ioannis in

annis in Mariniano nuncupatum. Maternis artibus debuit quod ad honestiores disciplinas consectandas voto quopiam interiore adiudicatus sit; quę nec pateretur suam conditionem, nec viri corticosos modos perferret, prę ter quam egrè. Litari tamen visa est gratijs per iniuriam in puero, cui incolatus, aer, & sodalium coetaneorum contubernium ingerebant sensa callidę parenti contumacia. Scholę Ecclesiam coniunxerat pagi solitudo, & qui præceptor erat, idem & Sacerdotis, Rectorisq; officio fungebatur; vt ex vnius ostensoris officina vtcunq; sterili, & pietatis, religionisq; pocula, & disciplinæ grammaticalis obsonia vorax legitimè animus saturitatem adiuisset, si ruminari primum assiduitate, mox concoquere feruido sciuisset affectu. Reluctantem animum materna constantia perfregit, imperio partim & minis, partim blanditijs, ac prece rem agens; & ne incentiuorum aduersantium machinationibus deprauaretur vltra, Ciuitatis illi curauit incolatum, & virgam. Probè suas partes egerunt altera natura, iugis consuetudo, & ex illa coalescens habitus: quippe qui noua fætura enixi sunt puerum in alteras formas, & adoleuerunt in electiores vsus, vsq; adeo, vt antiquo cuipiam Sileno non absimilis, sub corporis adhuc hispida specie augustam animi pulchritudinem tutò latere ostenderet. Lidium lapidem adiuit aliquando Canoniæ Diui Marini Præpositum (quem Priorem dicunt) qui ex contactu subtilis examinis conflari posse in aurum solidum iuuenis animum verax indicauit, si terreis, quæ adhuc vberes supererant, depurarentur portionibus per ignis diuini in camino Religionis adustionem. Non intellectiuo, sed affectiuo homini incubuit per discussionis lineas Parius ille propalator, qui magè curaret quid de sanctitate, quam quid de doctrina futura coniectandum; amans Lateranensem familiam opplere viuificante spiritu, non occidente litera. Hinc etsi infra mediocritatis lineam constititurum iuuenem in palestra gymnastica ominaretur, quod tamen fælicius speraret de bonitate; valeat, inquit, sciētia inflans, dum charitas ædificet. Cooptatum per maiora suffragia in ius Societatis, vno illo Prælato benefico relatore, bona præuisa afabrè oppulentarunt. In ipsis enim tirocinij formis sic se coarctari permisit, vt etsi sub dierum successu per latiores campos committeretur negotiosè vagari, neutiquam ideò dilatatis fibulis laxas illecebras sustineret. OEconomicæ post decennium exercendæ adiudicatus est, vt propensionis natiuæ studia obsecundarentur. Munus vtiq; & laboriosum, & necessarium Congregationi, quodue maximè integritatem postulet exercentis, dum ex comercij legibus omnium hominum, & horarum virum faciat; at ex equo omnifarij periculi plenum? Quis enim ex labyrintho illo plusquam Dedaleo pedem refferre sibi suadeat, dum tot areolarum deludentia claustra flexuosissimis anfractibus implicata, demulciente formositate voluptatem insimul, moramq; faciāt? Thesea, hoc est heroica, virtus tantum de tanto trium-

to triumphat carcere, monstrumq; clausum mpurissimæ luxuriæ fœtura m sternit, si innocentioris Ariadnæ, Religionis, filus extricator, pariter ac director adsit. Inoffenso pede cœcos percucurit nodos prælucente propitij Numinis face. Absumptis penè melioris ætatis, florentiorisq; virilitatis annis, rem familiarem sic curauit Canoniarum Portuensis, Viridianæ, Mortariensis, Cęlaureæ, Frigdionarię, Montensis, Præcursoris, Cęsenatensis, Ariminensis; vt nullus fermè extiterit locus, cui diligentiam non locaret, disponentibus Synodis, tam foro paratus, quam agro. Sacrarium quotidianum exercitium habuit, ab incruento sacrificio matutinus diurna actiuę vitę exorsus negotia. Hęc benè agens dum ridendè loqueretur, omnibus erat vsui, omnibus ioco, eo tamen quem sal condiret modestię, cuius est illud. Quod pudeat socio prudens celare memento. Siue enim ex tardiore loquela, siue ex crassiore, quam ab incunabulis & vbere ebibisset, & arte minus expolisset congrua, agendorum fabrifex, non loquendorum, sęlocissabat, barbarissabatq; adhuc Italicè loquens. Neq; propterea his se prępediri terriculamentis passa est grata Congregatio, quin illum iam declinante ętate ad Ariminensem Pręlaturam proueheret, ornatura probitatem in senio, ac diuturnos compensatura labores pauculo huiusmodi honore, eo magis congruo, quo minus sperato, atq; exoptato. Tertium gessit magistratus eius sarcinam inculpatè, & solerter. Canonię illi, atq; eius pro tempore Pręposītis demandata est cura numerosarum Canonissarum, quas ab Diuo Narbonensi ad catacumbas venerato nuncupant, primaria ex nobilitate Ciuitatis genitarum. Circa earum ministerium, & disciplinam cum vigil assisteret per se, perq; idoneos ministros qua Sacramentorum, qua concionum administratione;in illis ex sęculo ad religionem initiandis, simulq; in votis emittendis solemnibus, quam professionem dicunt, reperijt veterem quandam formulam ex maiorum quidem vsu,ac traditione vtilem, sed mutilam,vitiatam, ac temporum varietate in aliquibus parum idoneam, manuscriptam, oculum fugientem per characteris minutiem, & senium. Hinc erexit animum, ac se totum dedit ad illam emendandam, reformandam, supplendam, pręsentibus ceremonijs accommodandam, quod vtiq; pręstitit, atq; in librum idoneum redactam typis tradidit, vt aliorum Monasteriorum Ciuitatis, & exterorum vsui,ac commodo foret. Hanc viro innoxio laudem editionis, & qualiscunq; eruditionis, ac diligentię, & parauere,& cōcessere cælites,nec inuidere ęqui censores;vt pia edisceret posteritas potiorem magistrā charitatem esse,quam scientiā. Ipse anno maior climaterico decessit apud Gualdum Vicarius Abbatis Portuēsis, dū prouentus illos strenuè curaret. Tumulatus est ad Sāctam Crucē Cęsenę. Scripsit igitur *De Modo acceptandi Nouitias Canonissarum Regularium ad habitum probationis, & admittendi ad solemnem votorum professionem. Arimini apud Lib.* 1.

FRAN-

FRANCISCVS MARIVS GIRALDVS A MONDVLFO.





ETERIS Palifcorum fabulæ hiftoricè, formiterq; innouatæ applicationem nobis permitterent mitiora hoc loci ingenia; ni mifcenda haud effe facra profanis genium præcisè noftrum obijceret. Caftòrem enim, Pollucemq; tot cōditionibus ad viuum expreffere Leonardus, Francifcufq; Marius Giraldi fratres; vt pauculo prorfus negotio & Ioue quopiam felici fydere beneuolentiffimo, atq; propitio genitos; & cycnea fuauitate, candoreq; hæreditario redimitos: & militiæ (fpiritualis tamen) inuicta arma tractantes, & partita immortalitate occidui, ac reuiuifcentes ex charitate fraterna; & nauigantibus hoc mare fæculi falutares: & inter Heroes Argonautas enumeratos validè, veraciterq; eos agnofceremus. Sed quod dictantis calamo vetat feuerius genium, libera lectorum affumet difcuffio, applicabitq; actiua paffiuis. Inter Vmbros in eo tractu, qui Ruuereorum Vrbinatum Regulorum paruit, imperio, apud Mundulfum Caftrum, oppidumq; valdè clarum vtriq; ijfdem genitoribus diuerfo tamen puerperio exiere. Pariformis difciplinæ methodo coalefcendis honeftiffimæ fortunæ inftrumenta iuuerunt; quod Giraldorum genus inter loci primarios fatis honeftum, & diuitijs, & agnatione, & principum gratia feruitioq; floreret. Vna tamen educatio, paternumq; imperium fociauit, fedauitq; circa primos annos rebelles, contrariafq; voluntates; dum & vultu, & propenfionibus non minimum natura diuerfi haud in idem vel ftudium vel folatium conuenire poffent. Quo in munere fatis apparuit (quod Leonardus poftmodum fæpius referebat) quanti tenerioris ætatis difciplina polleat fiue ad compingendum in diuerfa natiuas inclinationes, fiue ad extinguendum, vel clarificandum infitos, inditofq; ab natalitio, aut genethliaco die igniculos. Quanti verò prioribus illis diebus repedebant in diffona, & toto marte contraria; tanti poftmodum maiores effecti coiere prorfus in idem fummo prorfus fraterni amoris exemplo, etiam fi diuerfum in rebus agendis temperamentum fuo quemq; in genere clarum fecerit. Noftris ftationibus prior acceffit Francifcus Marius, pofterior exiuit: & qui fratri

viam

viam regularis vitæ exemplo suo, signauit, ab eo quasi vices rependere semitã æuiternę per priorem decessum edoctus est. Tali rerum vicissitudine lusisse videri possunt illustre par fratrum. Post iacta Canonici Dogmatis fundamenta, postq; exactum Theologicum, Philosophicumue scientiarum curriculum ex Patauino Lyceo concionator renũciatus est Franciscus Marius ab ea Synodo, quæ Gabrielem Flammam ad primatum euexit. Fælicem certò Congregationi promotionem plures conditiones reddidere. Nam insimul ad idem obeundum sacri verbi ministerium acclamati sunt Alexander à Turre Cremensis, Athanasius Arcellus Placentinus, Bartholomæus Garzonius à Bagnacaballo, & Ioseph Viuolus Rauennas viri omninò de cœtu nostro benemeriti, quorumue memoria in his nostris qualibuscunq; laboribus intertexta æternum viuet in Annalium adamante, posteritatiq; placebit electa. Vt interim prætereamus Gasparem Accaresanam Papiensem per eandem promotionem prędicatoreo iure munitum, quod nihil posteris nepotibus reliquerit, cum tamen Legum consultissimus ante professum Ordinem esset, summęq; doctus, cuius nos sub imperio ex pluribus annis quibus Ticini immorati sumus Diui Patris Augustini sacratissimis pignoribus biennes excubias egimus, scolasticisq; functi sumus ministerijs, dum Beatissimi Clauigeri in Cælo Aureo Prępositum ageret ipse. Profectò decuit operarios in vinea Domini tam strenuos non ab alijs omninò Comitijs ad prædicandum dimitti, quam ab ijs ipsis, quæ prædicatorum parentem, & antesignanum Flammam ad maioris magistratus apicem exaltassent; vt inde scilicet erudirentur promoti, laboribus grandibus huiusmodi, quos fidelium plebs suo filiationis iure reposcit, præmia esse non minora reposita, denarium q; etiam diurnum, & præsentissimum, vt est in Euangelij parabola, retribui. Multus in concione primis temporibus fuit, illam fortiore spiritu imbecilliore agens corpore, cum nec pectore valido, nec laterum robore satis à natura præstaret. Quare ornabat magè virtutes laudibus, extollebatq; æternæ retributionis præmia, & sacrorum excellentiam mysteriorum iugiter deuotus, & procliuis in lachrimas; quam vitia increpatione conterreret, conuelleretq; opprobrijs, & horrore, aut inferni cruciatus repręsentaret immensos. Adeo vnicuiq; peculiaria partita sunt talentorũ officia, vt quę alter pręstat, alteri prorsus impossibile reddatur. Elanguescentibus verò virilitatis ardoribus, elanguijt & ipse inuitus ministerio, ne aliquando super pergama debilem defficere contingeret. At didicit suggestum supplere subsellijs auricularis confessionis, insinuante scilicet charitate strenuè operanti haud defficere bene merendi de proximo studia, & eundem esse mentis eruditioris gladium, qui iugulet scelera tam aure attento, lepideq; patienti, quam ore facundo, & in theses quascunq; parato. Hinc Venetis Rauuenatibus, Bononiensibus, Ianuensibus tali Sacramentalis pęnitentię ministerio pro-

rio pro-

rio profuit multennis acer, ac validus, frequentesq; prę cęteris illum conueniebant numularij, nundinarij, & proceres illi, quibus publicę iura administrationis committebantur, quibus præsto erat consilio, & monitis etiam ex familiaritatis allocutione; quo certè in genere paucos habuit suæ tempestatis æquales, florebatq; inter nostros viri nomen cum primis peccatorum adiutoribus illustre. Interea seuocatur per Definitorum Patrum consessum ab subditorum numero, assumiturq; in partem pastoralis sollicitudinis, quæ prouectæ iam ætati ornamento esset, dum prælucerct non minus dignitate inter suos, quam merito. Præuiam omnem ille dispositionem minorum prius obierat officiorum siue claustralis, quem dicunt, Prior, siue neophitorum præpositus, siue logicalium interpres, & aliquando etiam alienorum nominum, Procuratorem appellant, exactor. Propterea à nullo remoratus obice Pręposituras agit Tolentinatem, & Eugubinā atq;deinū Abbatiā Anconitanam. Nouenne ministerium, & sub cuius pōdere gregariæ virtutis cymba gemit, & ab cuius aliquando sarcina præfocatur, ac mergitur; nullibi ita viro aciem obtudit, quin partiri se in plura obeunda neglexerit. Vt plebi Christi sanguine redemptæ, æque atq; sibi consuleret, animaretq; illam ex ineffabili laborum vitæ spiritus compensatione in cælis reposita, opus illud composuit, quod Iter Paradisi attitulauit, Liuiæq; Feltriæ de Ruuere Vrbini Ducissæ nuncupauit, in quo vtpotè Italico dictato idiomate, vt multo pluribus esset peruium, & vtriq; sexui salutare, tribus libris ita complanauit viam, itaue strauit semitas, destruxit anfractus, reuelauit diuerticula, atq; complanauit media ad cælestis illius Patriæ assequendum terminum, vt neutiquam volenti difficile ex supernæ gratiæ dono tantum esse opus commonstret: ac se obijci sponte prępediendum, qui antequam se vię committat, absterreri permittit ab triplici aduersariorum Mundi, Carnis, & Satanę perduelli cuneo. Ab exitu autem operis animatus adhuc in idem vrgendum descendit secundo, & qui prius parauerat, coaceruaratq; media, manum adegit in remouendos nouo volumine obices. Satis ijs peruia sunt pijssimi viri conamina, satisq; patent mentis illius cęlestes vstiones, superniue flammarum illectus, qui militarem eius aciem aduersus Diaboli insidias instructam, supremumq; signis collatis conflictum attente spiritu peruolutarint ab lectura. Quamuis etenim mors eius editionem voluminis pręuenerit, tamen adeo differri sibi vitam inter altos supremi morbi conflictus & cruciatus obtinuit, vt ad exitum vsq; perductum haud vltra deperiturum non inaniter speraret. Neq; defuit optimi viri postremo desiderio, atq; finalibus conatibus Innocentius de Gattis Rauennas Abbas Sanctæ Crucis, nam integra fide, & pietate intra paucos ab eius decessu menses illud imprimi curauit Cæsariq;Bertello Foroliuiensiū Episcopo dicauit;vt certè illi iam in Cælis, quod piè confidimus, recepto hoc etiam qualecunq; acci-


dentale superaddatur gaudium. Decessit apud Canonicos nostros Cæsenates Anno Domini Millesimo Sexcẽtesimo Vndecimo septuagenario paulo inferior. Leonardus vero frater alijs vndiq; floruit studijs, qui lætiore vultu,& emunctiore dexteritate Rempublicam adierat iunior, vegetior,atq; opportunior. Nam candidissimis omninò moribus, & facundiore eloquentia laudem tenuit pulpiti inter primos, qui nouercam minimè naturam habuisset, neq; ijs careret donis, quorum ope oratores iuuantur, quorumue sobriè, illiberaliterq; donatum Franciscum Mariam diximus. In pertractandis apud Principes viros negotijs elucebat mirè solers eius prudentia, commendatusq; decor, intra quem emicaret minus fucata humilitas, & dignitas religioso viro non inconsona. Ideo ab Synodo Rauennatensi ea, qua Petrus Bonsignorius Ordini præfectus est,legatur vna cum Theodosio Badino Gatinariense Visitatore, & Archangelo Campatio Mediolanense ad Franciscum Mariã de Ruuere Feretrium Vrbinatum Ducem ad maturè nonnulla componenda, quæ satis pro communi voto contigerunt; atq; in huiusmodi rerum genere cœtui vniuerso pluries profuit aulæ Romanæ modorum, ac curiæ styli possessor cum paucis promptus, exactus, & efficax. Cum aliquando apud Tolentinates Quadragesimam ageret ex pulpito summa cum totius Ciuitatis frequentia malignè,& impudenter redarguitur à fratre quodam Eremitano Nicolaita, ex medio populi se erigente, & altis clamoribus mentientem illum, hæreticæq; doctrinæ disseminatorem appellante. Noua & inaudita res, incompositusq; obijciendi modus, qui populum aduersus obiurgatorem in iras legitimas acuit, haud excussit Concionanti vel mentem, vel patientiam; sed interpellatis in testes ex auditorio potioribus, & doctioribus, repetitaq; doctrina,non prius,quam assuesceret,concionem dimisit: mox à pulpito se sistens sacris Fidei censoribus, scriptaq; propria vniuersa, ac testes rogatos exhibens instructa iuridicè causa indemnitati nominis, atq; doctrinæ sibi consuli petijt, censuræ, correctioniq; ac palinodiæ volentissimus se subijciens, si minus orthodoxa censerentur, quæ prædicasset. Rebus autem maturè per Archiepiscopum Firmanum discussis liber, laudatusq; dimittitur officio prosequendo, & Frater ille inter alia salutaris pœnitentię interdicitur, & à sacrificio, & à suffragio pręstando, atq;hoc etiã recipiendo per septennium. Lubuit ad exemplum posteritatis rem de raro contingentem attigisse, quæ ab impostore processisset per liuorem nequam contaminato, quod pulpitum sibi frustra primitus reponi poposcisset haud in eum satis notum inclinantibus Ciuitatis Consulibus. Cęterum Leonardus pluribus functus in Congregatione honoribus, ac post nouennem Pręlaturam tribus annis Portuensi Canonię pręfectus Abbas ijsdem curantibus Rauennatibus, atq; inter eos pręcipuè Antonio Miserocha Definitore diem obijt Tolentini ad Sanctum Catheruũ Sexagenario minor

anno

anno nono huiusce currentis sęculi vir longiore vita dignus ni aliter fuisset in fatis. Nulla eius pręstantissimi ingenij supersunt monumenta, qui pręsentibus gubernationis toto studio intentus per postremos tantum menses calamo manum admouerit mage ex fratris stimulo, quam ex procliuis in id genij impetu. Valde tamen vtilem in Hieremię hrenos inchoasse expositionem refferebat superstes frater, cuius tantum ipse haberet erudita pręambula. Demum Francisci Marij isti nobis fœtus supersunt.

Iter Paradisi, Italice, Il Viaggio del Paradiso Libris tribus distinctum ad Liuiam Ferretriam de Ruuere Vrbini Ducissam. Venetijs apud Iacobum Antonium Somascium Anno 1607. *Lib* iij.

Militaris Acies, seu Planities, Italice La Campagna Militare. Venetijs apud Ambrosium Dei Anno 1612. *Lib.* 1.



FRANCISCVS TVRRICELLIVS PISTORIENSIS.





RONOSITCA quadã prę ſagitione decretum de acceptando in noſtrorum conſortio Franciſco Turricellio Piſtorienſe Cremonę factũ eſt in Comitijs Dię talibus anni ſecundi ante milleſimum ſexcẽteſimum. Pronoſtica, inquam, prę ſagitione, quod ibidem tum abrogatę fuerint maiores Congregationis nationes per legem editi Pontificij diplomatis, vt etiam minoribus Prę laturę diſtribuerẽtur per vicem meritorum, vnde decem, & octo ex gubernantibus proceribus, à proprio regimine abſoluti fuere. Siquidem videbatur velut ominarier ei (quod & poſtmodum probauit euentus) Patrię Abbatialis dignitatis ornamentum, cum & inter minores illa enumeraretur à noſtris; atq; nullos ex ciuibus ad ea vſq; tempora commonſtrare poſſet gubernatores. Fauorabili Suffragiorum omnium conſenſu receptus eſt, quamuis quintumdecimum ætatis annum vixdum expleret, promotore Theodoſio ex Comitibus Roueſcalibus Papienſe Generali Prę ſide, qui in Viſitationibus felicia de adoleſcentulo fę cunditatis ſpiritalis ſemina conceperat. A Secundo Columbo Nouarienſe Diui Apoſtoli cute exuti Abbate apud Piſtorienſes Rochettum militiæ, quam profiteri intendebat teſſeram, indutus eſt eodem anno, ſtatimq; ad Feſulanum nouitiatum tranſmiſſus. Antiquum ſtadium pro Tyrocinio ponendo illud Monaſterium eſt, in quo (ſi expedit ſic effari) omnes qui currunt, brauium accipiunt, ſicq; currunt, vt compræhendant, quod noſtrorum domeſticis liquidò conſtat ex ijs omnibus, qui illuſtres ab tali ſeminario prodiere. Biennium ferè abſumptum eſt in eo formando, quę formatio pę dia quędam eſt ad vniuerſam vitę rationem ritè inſtituendam. Neque flexibili ętati, dociliq; ingenio tam longa ſpacia neceſſaria erant, qui pietatis initia plurima ex ſæculo ſecum tulerat; ſed vt ocius admiſsa fortius firmarentur, & radicarentur. Iactis bonitatis, & diſciplinę fundamentis ad ſcientiarum arcana penetranda Portuenſi Academię aſſignatus eſt, vbi Logicalium, & totius Philoſophię Naturalis ſtadium abſumpſit, reſpondente fructu ipſis Cultorum ę ſtuoſis deſiderijs. Ibidem quoq; ad Theologicalium Dogmatum initia audienda admiſsus eſt; atq; demum Patauino Viridario Diui prę curſoris ſelectiſſima arbos, beneq; culta permiſsus. Poſt quadrienne penè eius manſionis curri-

culum

culū Prędicatoreo priuilegio decoratus est in Comitijs Generalibus Rauennatibus anni sexti huius euoluentis sęculi, in quo ampliores formę, gratiosioresq; clausulę admisſę fuere supra id, quod in Congregatione fieri consuesset. Bonum tamen inuentum est ob propositas Patribus causas antiquiora formularia aliquantisper non omittere, sed intermittere. Ille ex eiusdem robore priuilegij à proprijs Ciuibus vigintiquinq; aureorum annua quadam pensione donatus est; qui nempe nostrę Congregationis diploma tanquam verę vniuersitatis priuilegium recognoscerent, ac Lauream Doctoratus admitterent velut si recepta esset in Gymnasijs vniuersitatum Bononiensis, Patauinę, Parisiensis, Salamanticensis, ac consimilium. Per comparatas scientiarum, & honorum suppellectiles ditior, atq; paratior factus enucleandis è suggestu populo Sacris Scripturis se totum dicauit prętantissima animi, ac verborum alacritate per imam charitatem animata. In ipso Lyceo Patauino tam nobile, ac verè Apostolicum munus inchoauit, vt primos eo loci exprimeret fructus, in quo ad debitæ maturitatis culturam coaluerat. Exinde præcipuarum Italiæ Ciuitatum lustrauit pulpita tam infra annum, quam Aduentualia, & Quadragesimalia Euangelia explicans Mediolani ad sacras ædes de Pasione, Romæ in templo Pacis, Arimini in Cathedrali ac Bononiæ apud Euangelistam prædilectum. Quamuis autem maxima essent animarum, quæ fiebant, eo prædicante lucra, & non minora illi, atq; Congregationi vniuersæ obuenirent ornamenta; tamen multo maiora erant, quæ in dies futura sperabantur, cum scilicet adaugente auctoritatem ætate, doctrinamq; experientia rerum confirmante robustior euaderet in eneruandis abusibus, & eradicandis vitijs, de qua vna dote lumina promicabant orientis solis fulgentissima. Venustatis interim, quæ illos decebat iuuentutis annos primas posſidebat inter eos, qui nominatiores tum circumferrentur. Verum mors, quæ nulli parcit ætati, omnem interuertit expectationem. Nam cum propensiſsimis electorum suffragijs vno illum promouente Archangelo Campatio in ea Generali Synodo, in qua ipse supremæ auctoritati prouectus fuerat, Abbas Pistorij renunciatus esset, secundo vix dum gubernationis expleto mense de ergastulo carnis liberatus est, cum annum ageret suæ ætatis duodetrigesimum. Fuere qui zelo non satis forte probato lachrymabilem amisſionem detulerint in præproperam illius promotionem præter ordinis leges factam repugnantibus annis. Nobis certè eius prouectio haud improbanda venit, cum electores vniuersi in eam consenserit, & diplomate Pontificio cautum sit super ipsa legis dispensatione; quin potius testes sunt non suetæ circumstantiæ virtutis, ac meritorum insuetorum. Verum suum cuiq; iudicium esto. Posteritati supersunt fœcundi intellectus indicia verius, quam fœtus, nonnullæ conciones Italicæ, quas in vnum collegit, ac post eius obitum euulgauit Eugenius Pacianus

Mutinen-

Mutinensis. Ipse enim prępropere sublatus animum ad scribendum haud applicuisse videtur. Sunt autem

De circimcisione Domini & Excellentia nominis Iesu.
De Paralitico Centurionis seruo.
De Apostolorum mœrore in discessu Domini.
De Laudibus Præcursoris Baptistæ.
De Laudibus Apostolorum Petri, & Pauli.
De amore Dei, & Proximi.
De Imitatione Domini nostri Iesu Christi.
Oratio latina ad Celsum Dugnanum Generalem.
Vniuersa sunt volumine vno comprahensa. Ferrariæ apud Victorium Baldinum Anno 1611. Lib. 1.
Oratio item, quam necessaria sint Religionis nostræ Comitia, habita Patauij in AEdibus viridarianis. Ad Seraphinum Merlinum Abbatem Sanctæ Mariæ Pacis de Vrbe. Patauij apud Pasquatum Anno 1605.

Ioannis Dominici Iseppi Rauennatis.

QVam tuo peperit famam iam virtus ab ore
Profluit ipsa diù, concelebrata modo.
Euehit, at nondum tetigit quæ limina laudis
Promeruit, quod laus nec sua finis erit.

Eustachij Patelari Cretensis.

CAElum Athlas dura fertur ceruice tulisse,
Et binos humeris sustinuisse Polos.
Sic Turcelle tua geritur concordia turri
Quidq; queat, monstras, vnio, quid genius.

FRIG.

FRIGDIONARII QVINQVE SOCII.





VINQVE hosce Beatos Canonicos vna eademq; pagina continebit, quos vna eademq: germana charitas verè vnos reddidit, vna Canonia enutriuit, vna Reformatio exaltauit, vna eademq: Cæli gloria, (vt piè profitemur) coronauit. Hi sunt, quos post tam multa sęcula æmulatores meliorum charismatum, veriq: cultus æterni Numinis zelatores Ordo Canonicus & enutriuit alumnos, & veneratus est prouectores. Hi sunt, quorum pij conatus, sanctaq; desideria exauditore Domino, etsi in longas dies protracta, tamen ad plenitudinem vsq; fælicitatis consumata sunt. Nomina eorum in libro Vitæ, quod par est opinari, conscripta, per historicos adnotata fideli æternitati repetemus, Ioãnes de Pergamo Hieronymus Theutonicus, Augustinus de Pisis, Michael de Salis, & Franciscus de Placentia. Hi, inquam, sunt quinq; præstantissimi illi Frigdionarij Canonici, in quorum recto, nunquamue interrupto tramite, vna cum duobus Cælaureis illis Leone, atq; Thadęo seruatum est supremum ius antiquitatis illius Canonicæ, quæ ab Apostolis in Augustinum, & ab isto in Gelasium, Leonem Primum, Sergium Tertium, & Sanctissimum Episcopum Frigdianum deriuata dignoscitur. Quonam autem pacto id acciderit præter illa, quę alibi exarauimus; hic breuiter atq; fide attingere pręstat. Postquam gloriosissimus, terq; maximus Parens Aurelius Augustinus dissoluta huius habitationis domo, domum non manufactam accepit in Cœlis ad Annum Domini quadringentesimum trigesimum primum; Gelasius Afer eius discipulus, & Valerij pridem Episcopi antecessoris filius ab Hunnerico Vuandalorum Rege impijssimo Africa pulsus, cum Sanctis Gaudioso Bitinensi, Quoduultdeo Cartaginensi, ac cæteris Episcopis, & Clericis Romam veniens à Leone Primo Sanctissimo perbenigne susceptus in Sacratissimo Lateranensi Patriarchio collocatus fuit. Augustissimum illud templum cunctarum Vrbis, & Orbis Ecclesiarum primatu decoratum, ab pijssimo Imperatore Constantino in ædibus Lateranis excitatum, ab beatissimo Siluestro consecratum, atq; clericis Apostolicis regulariter viuentibus ad cultum sacrum, stataq; cęremonias in eo conficiendas assignatum iam ante annos circiter centum vigintiquinq; temporũ diuturnitate, delabentium sęculorum

malitia,

malitia, varijsq; rerum tempestatibus in ei assignatorum Canonicorum disciplina, moribusue seuerioribus aliqualiter relaxatum erat. Quare Sanctissimus Pontifex coniectis oculis in Gelasium ex clarissmo Apostolici primitiui feruoris instituto profectum, ab Augustiniq; schola iam tum vbiq; commendatissima diductum; de facili sibi suasit in pristinum nitorem, rigidioresq; formas restitui per eum posse sacratissimum locum, & electissimum dogma. Ea propter illo inibi piè constituto, Augustissimus Canonicus Ordo eiusdem Patriarchij originarius ad optimam Sanctitatis primæuam frugem redactus est secundum Beatissimi Augustini Regulam. Atq; hęc quidem tertia extitit Generalis Reformatio eiusdem inclyti Ordinis cum priorem exegerit Sanctissimus Pontifex, & Martyr Vrbanus Anno Domini ducentesimo vigesimo; secundam verò Beatissimus pręnominatus Siluester. Porrò Gelasius ipse cum illam Basilicam per multos annos cum cęteris Concanonicis illustrasset Sanctissimis moribus, & doctrinis, ad summum Pontificij Throni apicem à Clero, & populo Romano vnanimiter euectus fuit: atq; sub eo, & per eum Ordo Canonicus secundum Reformationem, & Regulam Augustini ab ipso Lateranensi Patriarchio per vniuersam Vrbem Romam in alijs Ecclesijs, ac per alias Ciuitates, & Prouincias dilatari, & propagari cœpit in Cathedrales, & Collegiatas. Ex pręclarissima hac, totoq; terrarũ orbe notissima Lateranensi Reformatione inter Illustrissimos illos, 9 qui prodiere, ex præcipuis alter extitit Sanctissimus Frigdianus Hibernus, seu Scotus Regis Vltoniæ filius, qui Pelagio Primo Pontifice Romam veniens in Lateranensi Basilica Canonicam vitam professus, & ibi per aliquod tempus commoratus, postmodum ad patrios lares reuersus monasterium Canonicorum ibi ædificauit, & per breue temporis spacium Sanctissimis moribus informauit. Hic in Italiam iterato reuersus, in Etruria apud Lucenses aliquandiù domicilium Sanctissimum tenuit, donec defuncto Episcopo à Lucensibus Pastor postulatus à summo Pontifice consecratus; Canonicum Ordinem, ex Lateranensi Patriarchio acceptum in Lucensi Ecclesia fortunatè plantauit ad annum Domini quingentesimum sexagesimum. Siquidem duabus constructis Ecclesijs, altera quidem intra Ciuitatem in honorem trium Leuitarum Martyrum, Stephani, Laurentij, & Vincentij, altera verò extra ciuitatem ad Tertium lapidem in honorem Deiparę Virginis, vtrobiq; Ordinem Canonicum à se professum secundum Diui Augustini Regulam introduxit, atq; constituit. Fortunatè quidem, postquam benè fauente Deo vterq; locus in amplissimas Cõgregationes successu temporum coaluit, & dilatatus est. In priore vniuersum ipse vitæ suæ curriculum cum Canonicis suis egit, & ibidem tumulatus, ab eius nomine templum postea nuncupatum est, ac per tot annorum vicissitudines, & angustias continuata successione vsq; in præsentem diem Canonicum dogma

ibidem

ibidem viget, & floreſcit. Ea vna prerogatiua poſt Lateranenſem Congregationem cæterarum quarumcunq; origine maior, Lateranenſi etiam præponenda, quod cum in ſupremo Patriarchio per octingentos tantummodo annos, ideſt vſq; ad Bonifacium Octauum Ordo Canonicus perſeuerauerit; in Diui Frigdiani Baſilica vſq: modo poſt mille, & centum fermè annos integer perſeueret. Quin cum aliquando Laterani laberetur ſtrictior, Sanctiorue diſciplina, Canonici Sancti Frigdiani Alexandro Secundo Pontifice iubente acceſſerunt ad confouendum reformatione, & excitandum veræ vitæ, atq; virtutis ignem; ſicq;ſecundò iure facti ſunt vnius & eiuſdem omninò Congregationis circa annum milleſimum ſexageſimum. Et in ſupremæ virtutis teſtimonium per Sacratiſſimos Hierarchas ſancitum fuit, vt Præsbyter,& Diaconus Cardinales Sanctæ Crucis in Hieruſalem, & Sanctæ Mariæ Nouæ non niſi de gremio Congregationis Sancti Frigdiani crearentur, atq; paucula hæc de Congregatione Sancti Frigdiani ex innumeris attigiſſe hoc loci ſufficiat. De poſteriore verò Eccleſia Sanctæ Mariæ de Frigdionaria, ſuper quam noſter eſt ſermo, minora notum eſt fuiſſe initia, licet vt granum ſynapis maior effecta ſit largitate Numinis omnibus oleribus, vtpotè illa, de qua illud legitimè vſurpari poſſumus, Ecce Maria reddidit nobis Saluatorem, cum per illius Reformationem reddita eſt Lateranenſis Eccleſia per Eugenium Quartum primæuo Ordini. Ab ipſo ædificatore Frigdiano nomen ſortita eſt primum Frigdianaria, mox Frigdionaria, & vocabulo corrupto Italico Friſonaria nuncupata. Viguit inibi diſciplina Canonica per diuerſos temporum anfractus iuxta pijſſimam fundatoris è Cælo protegentis mentem vſq;ad annum milleſimum centeſimum.Quo tempore Mathildis Regia fœmina & religionis ſupremè merens Eccleſiam vetuſtate collabentem, adauctis prouentibus, & Canonicorum numero reſtituit. Longa tamen dies adiecit tertiam laudem Reparatoris magnifici inclyto Marcoaldo Malpilo Patritio Lucenſi Equiti Hieroſolymitano ſtrenuiſſimo. Neque mirum vaſtationibus adeo ſubfuiſſe ſacram Ædem, quippe quæ à Ciuitate diſtans improborum iniurijs expoſita remanebat, maximè infra vagantium bellorum turbines, quibus nihil ſacrum, nihil illibatum cuſtoditur. Quare expoliata ſæpius, vaſtata, concremata paulatim formato Canonicorum Collegio deſtituta, & in omnibus edificijs collapſa piam liberalitatem Equitis reparatoris exercuit, & euexit mirabiliter. Ipſe enim Eccleſiam, & fabricas omnes de integro reſtituit, nouis prædijs attributis diſtractam dotem inſtaurauit, Canonicos ad perfectum collegij inſignis numerum repoſuit deficentium ſuppletis ſedibus ex Canonicis Sancti Frigdiani intra Ciuitatem. Antiquus mos nanq; fuit Frigdionarijs Priore monaſterij cedente, vel decedente ex capitulo Sancti Frigdiani,vel alterius monaſterij dictæ Congregationis, vtpotèqui ijdem prorſus eſſent,illum de-

ligere si neutiquam ex proprij collegij gremio assumeretur. Tandem, ne quicquam desideraretur sanctæ munificentiæ in tot egregia opera, ipsemet Marcoaldus intra eandem piam solitudinem se abdidit Beatæ Virgini Matri deuotissimus, vbi Canonicis conuixit, ac sancto postea fine quieuit in arca lapidea, que ante fores Ecclesię in paruo claustro visitur cum Epitaphio grati animi ante obitum posito, tumulatus anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio. Ab eo tempore vsq; ad annum millesimum quadringentesimum, per annos scilicet circiter centum quinquaginta, floruit inibi disciplina Canonica iuxta prædicti Marcoaldi reparationem, non adeo tamen integrè, quin aliquando cogerentur Canonici alio sedes transferre, & si non omnimodas, ac locum maxima ex parte collegi deserere. Dirum eius sæculi schisma, bellorum hinc inde vagantium, præsertim per Æturiā faces principatuū perennes mutationes hęc, & maiora progignebant incommoda. Aliquando apud Diui Dalmatij ędem Canonici se intra Ciuitatem receperunt, locum concedente Philippo de Beteris Priori, & cęteris pijs hominibus ipso Episcopo, vt tutiore receptu corporis spiritui per quietem opportunam inseruirent. Circa posteriores annos tertijdecimi sęculi, ab octuagesimo videlicet & infra, fortius vrgere cęperūt aliqualem Reformationem tam morum, quam Monasteriorum. Cum verò tanto operi Quartum reassumendo viribus impares essent, ac per multa remorarentur incommoda, ad vigesimum vsq; annum tantam fęturam gesserunt; tum enim Dominus exaudita prece, Bartholomęum Columnam sanctissimum oratorem Luca Insubriam, & Æmiliam adornantem eis parauit. Is cognito vitę instituto, atq; pijs illorum desiderijs, Prouincię promouendę spes addidit, auxiliaq; repromisit omnimoda. Quare cum non satis ita post Ticino ad eos transmiserit Leonem Caratum Mediolanensem, & Thadęum Binaschium Papiensem Canonicos Regulares Cęlaureos Congregationis Mortariensis, viros omni labe fermè immunes, omni scientia ornatos; tanto animi ardore diù ante meditatum opus quinque illi primum memorati, superstites antecessoribus, aggressi sunt, vt nihil iam terrenum redolere viderentur, nil fragile saperent. Cum verò per eiusdem Columnij, aliorumue accessum adiecto numero Apostolicum ipsum Collegium repręsentarent, Cęlum iam pręstolabantur, ęternitatem ipsam ex Numinis misericordia meditabantur. Longa dies desideria distulit, merita cumulauit. Quippe non modo prioribus ipsis annis Frigdionarię in summa districtione, vitęq; paupertate, cui sępè sępius deficerent omninò necessaria, plurima perpessi sunt; verum & sequentibus quoq; cum alibi transplantati ad alias Canonias verbo, exemplo, & opere gubernandas, reformandasq; assumerentur. Multiplicabat quidem gentem Dominus vel ad oculum, magnificabatq; lætitiam spiritus, excipientibus summo plausu, fructuq; populis veteris Canonici instituti nouel-

uellum repullulantem emissionem. Vt autem rerum quarumcunq; initia exilia sunt, pręsertim si ex laxioribus moribus ad austeriora diuertendum est, in sæculi vix auitam religionem retinentis luxu latissimo; colluctari cogebantur, atq; refringere omnis generis miserabilium inextricabiles nodos. In imperuijs tamen sæpissimè manum Æterni Patris pręsentissimam & persenserunt, & agnouerunt. Qui enim fame extrema laborantes, atq; dilabentes Frigdionarię retinuit, fouitq; per Beatissimi Ioannis Columbini alumnos; is quoq; alibi nō vno miraculo adiuuit, solidauitq; Auctam Rempublicam non attigerunt gubernatione, auuerso nanq; ab talibus sollicitudinibus animo sibi solis viuere, & se solos gubernare satagebant. Cum obedientiæ intuitu adigerentur, lęti onera subibant particularibus Canonijs, ne immunes fieri velle crederētur. Ex quinque Ioannes de Pergamo Generalis Rector Quartus renunciatus est, tertiumq; Præfecturam eam gessit post Benedictum Parcitadium, Ioanniq; successor datus est Michael de Salis. Accessere tum primum Reformatis Frigdionarię Monasteria Casoretanum, & Veronense, vt quodam quasi Diuinæ approbationis signo sub vno vetere Frigdionario Canonico in Congregationem veram dilatari pusillus grex, arctaq; familia dignosceretur. Ipse vna cum Capitulo Petrum Ridum Casoreti Priorem instituit, Veronæ Benedictum Parcitadium ab Summo Pontifice Gregorio datum colætatus est, ne aliquem Sociorum ab electo, & dilecto sanctæ quietis studio remouere cogeretur. In huiusmodi Reformatione veteris Instituti tenaciter memores pijssimi viri, nihil in essentialibus innouari passi sunt ab recenter ingressis, quo Apostolici Ordinis Canonici norma labefactaretur; licet noua quædam statuta pro enascentis disciplinę vigore, ac rigore receperint. Forma professionis antiquorum Canonicorum ad vnguem retenta: regiminis modus vnus & idem, vt Priores non perpetui, sed annui per secreta suffragia crearentur, qui regiminis anno expleto, nisi denuo confirmati consimiliter essent, in ordinem redigerentur: Habitus quoq; reformatorum, & veterum Canonicorum vnus, & idem, si tamen simpliciorem, & humiliorem structuram à posterioribus electam excipias: habitus enim reformatorum vestis linea, Rocchettum nuncupata, super tunica lanea alba, & sub cappa nigra cum capitio, quę omnia antiqui quoq; Frigdionarij adhibebant. Virorum sanctimoniam, inculpatosq; mores, & totius vitæ exemplaris procursus, & continenter expectata, strenuèq; promota Reformatio, & dilatata Congregatio, & mirabilium diuersis in locis peractorum numerus probauere, ita vt non satis laudum habeat amica posteritas, quibus Parentes optimos magnificè concelebret. Certè in ipsis incunabulis Frigdionarij rigoris duodecim illa lucidissima sydera in modum coronæ supra Monasterium disposita, quæ per noctes singulas locum ambientia ab indigenis, & alijs illuc transeuntibus visa commemoran-

tur, vt duodecim primorum illorum Canonicorum probitatem fermè miraculo comendant; ita hos quinque numero illi inclusos Deo acceptos referunt. Longo tandem senio absumpti, & Congregatione confirmata in Domino diuersis in locis obdormierunt.

Ex Ioanne Iouiano Pontano.

Felices animæ fatis melioribus vsæ,
Cura quibus primis talia nosse fuit,
Non illis studium gemmæ non dira cupido,
Diuitis aut auri pernitiosa sitis;
Sed Superum casto rimabant pectore templum,
Queis superis nunc est vita beata locis.

Leonardi Sarctij Bargæi.

Prisca fides taceat mirandi pignora amoris,
Et fœdus cætusq; fideles:
Nomen amicitiæ sileat, quod prisca vetustas
Sustulit, atq; æquauit Olympo.
Nam pius hic numerus decus hoc sibi vindicat omne,
Et merito sibi poscit honores.
Hi sunt quinq; viri vates, quos tabula pinxit,
Quæ verum præuidit amorem.
Hi sunt quinq; viri, quos plena theatra coronant,
Hi sunt, qui super astra coruscant.
Hi sunt, qui terris Theseia tempora reddunt,
Hi sunt qui Pyrithoa reducunt.
Bergomus vrbs alios fœlix ostendit Orestes,
Piladem renouauit alumnus
Ager Theutonicus gremio, fidumq; sodalem,
Felices ò prole parentes,
Nec minus & Pisæ stupuerunt fata potentes,
Euryali laudesq; fideles:
Lucaq; formosi tenuit præconia Nisi,
Cuius amor Parnasida vincit.
Sed tu præ cunctis felix Frigdonia tellus,
Quæ secli miracula iactas.
Et vos quæ socios nutristis quinq; penates,
Vosq; thori, qui membra leuastis.

FVL-

FVLGENTIVS CICONIA VICENTINVS.





VRGET Profectò, vtriq; ingenium ęmulatio, & benè currrentibus in virtutum stadio calcaria adiungit incessantia, neque tamen semper commendabili exitu, quæ scilicet dulci quodam veneno ita serpit, medullitusq; infigitur, vt de facili, vel circa media, vel circa fines ab recto tramite deuietur. Exemplo domestico nobis id innotescit in Fulgentio Ciconia Vicentino viro alioquin claro, & de optimis literis egregiè merito, qui adeo solertibus initijs æmulari cæpit Honoratum Robertū Iuuenatensem,ex nostris Philosophum notissimum; vt licet bono sibi proposito fine bona iecerit fundamenta, in ipsa tamen postmodum mediorum scelectione defecerit. Illustri loco Vincentiæ progenitus, & ad summas Iurisprudentiæ Cathedras à parente destinatus, omnibus politioris Literaturæ floribus redimitus est adhuc puer, sed supra ætatem præcox, Patre verò nō ita post orbatus ad longè diuersa vitæ instituta se rapi sensit, & consensit. Hinc Strozzam fratrem, quem vix sibi præesse,& familiarum nobilium vsu natu maiorem patiebatur; omni iure suo super paternis, maternisq; bonis donauit. Nostrum numerum adauxit ingressu suo, quod præstitit longè à patria Cæsenæ ad Sanctam Crucem, quam tum regebant incolebantue Vincentini Patres. Vt autem multiplicauit gentem, sic magnificauit & la[illegible]tiam. Nam Tyrocinij annos ita excoluit, pariterq; excultus est; vt virtitutes spiritus (quarum præ cæteris iaciuntur tunc fundamenta) longius domicilium in eo habuisse viderentur, & agnouisse profectum atq; perfectionem, priusquam inina. Deferbuere tamen paulatim aliquando, cum literarijs studijs adiecta mente; inani philosophia intumescens, sectas, & opiniones impensius excolere cæpit. Vt erat feroci genio à natura donatus cum se frequentius concertationum gymnasticarum stimulis agitari excępit de more ad fortius inueniendam,retinendamq;veritatem; laxauit habenas congenitæ animi, ac verborum fœcunditati,ita vt nō se vinci facile pateretur. Reddebantur plausibiliora eius attentata aliquibus condiscipulorum, quod semper præalto sensu non se dimmitteret ad inferiora, sed cum doctioribus, atq; cum ipsis etiam profitentibus, magistris prælium adornaret. Accidit autem vt cum Honorato Roberto Iuuenatensi Cremonæ tum

ne tum Logicalia profitente apud nostros Diui Petri de Pado, aliquando sermonem, mox & disputationem instituerit; atq; vt erat ille tum ætate, tum gradu, tum etiam forte doctrina magis premunitus; non ita de facili ab adolescentiore vinci probauit. Quare in longum distractis, & sępè renouatis allocutionibus, in sua quisque opinione remansit; eo maximè quod quanto alter pręualebat soliditate rationum, tanto alter promptior appareret & eloquentia, & expressione scomatum non indignorum adornata præsidio. Cum ad Ordinis Proceres hæc percrebescente fama allata sunt; haud bonum inuenere talibus assentiri, aut per tollerantiam permittere. Reuocatus est Fulgentius in ordinem, & inter debitos limites contineri iussus. Vis verò ignis ea est, vt per impositum cinerem non extinguatur, sed consopiatur in lucidiores flammas erupturus, si quando spiraculum adaperiatur. Insederat tam altè imo cordi veritatis, quam à se stare prædicarat, opinio; vt aliquanto temporis decurso in mandatorum iniunctorum obseruationem, quod subtractum erat lingæ, calamo permitti iudicauit. Hinc opus composuit, atq; medijs typis euulgauit, quod inscripsit, Quæstiones naturales, in quibus iuxta Aristotelis principia multa diligenter pertractantur, & summa facilitate disputantur contra Robertum Iuuenatensem. Verum quia satis præuidebat futurum, vt neque modi isti approbarentur, sed in ius fractæ legis per Censores nostros fore vocandos ad trutinam Regularis obseruantiæ, non opus sub nomine proprio ædi permisit. Ne tamen sic occuleretur, vt agnosci nequiret, oleumue, ac operam amisisse diceretur, sub Flaminij Ciconiæ persona se exhibuit (quod tale sibi in sæculo nomen esset) non apposito adhuc Religionis titulo. Id etiam in causa extitit, vt se non rem agere aduersus Honoratum Robertum, sed aduersus Robertum Iuuenatensem exprimeret, accepto videlicet gentilitio cognomine pro nomine ipso. Ebullientibus iuuenilibus ardoribus alimenta subministrauit Strozza frater, quippe recepto se in patriam Fulgentio, atq; communicatis cum illo opinionibus, adiecit igni stipulam, probauit sententias, & iuridica sibi suasit attentata. Erat Strozza vir non vulgaris doctrinæ, & reconditorum professor strenuus, quod satis posteritati innotescere datum ex eo volumine quod Palatium Incantamẽtorum inscripsit; at qui nihil possideret eorum terminorum, quos assumpti in sortem Domini profitentur, à quibus sue vniuersa religiosarum familiarum structura pendet, atq; fulcitur. Ea propter ventum adiecit rati fraternorum conatuum, vt ocyus fretum talis disputationis adnauigaret. Opus autem in se ipso (si octo vel decem breuia loca corrigantur incompositum feruorem dicacis calami odorantia) sua non caret commendatione, nec habet lector, quod desideret in eo, aut fortis doctrinæ, aut facilis explicationis, & facem præfert materiebus ipsis, etsi totius naturalis philosophiæ difficilioribus. Nobis certè dum gimnasia adi-

sia adiremus Patauij plusquam vno loco, & plusquam vnis occasionibus fuere vtilitatis, & commodi. Arbitramus insuper posse ex eo de facili conijci, quam multa, quamq; egregia composuisset si diuturniora tempora, longioremq; vitam Superi concessissent. Dum annum ageret octauum & trigesimum fato functus est relicto sui desiderio non leui, qui iam suæ conditionis memor, & dudum remissi feruoris spiritalis ad priora, eaq; saniora exercitia redierat summo sale probitatis lucubrationes conditurus. Alma parens eius opera vti cæperat, spem conceptam coequante commodo, ad communia Canoniarum officia. Hinc post Prioratus ministerium quadriennio exercitum Vice Abbatis munere fungebatur Venetijs ad Deiparam de Charitate, Benedicto Capello Abbate anno quarto currentis sæculi cum diem obijsse contigit. Sunt ergo eius ingenij monumenta.
Quæstiones Naturales Contra Robertum Iuuenatensem. Vicentiæ apud Georgium Græcum Anno 1592. *Lib.* 1.

Marci Antonij Virtuani.

E*Ductos rapto serpente Ciconia pullos*
Nutrit, eos nondum cum vaga pluma tegit;
Sed cum anus illa iacet, cumq; hos alit alma iuuentus,
Natorum in matrem plurimus extat honos.
Sic quas tu latum venerandæ Ciconia chartas
In Sophiæ campum prosilijsse iubes,
Te tanquam matrem in rugas, cum totus aniles
Fluxeris, optato laudis honore colent.
Mors alijs vitæ exitium solet esse; libellus
Te non posse dabit cum moriere mori.

FVL-

FVLGENTIVS SORESINA CREMONENSIS.





ON absque piaculo præterire nos decet Fulgentium Soresinam Cremonensem Dei præconem eximium, cuius licet nihil tabulæ nobis exhibeant calchographicæ doctrinarum mundi; tanta tamen in tabulis cordis carnalibus scripsit diuini Pneumatis instrumentum lingua eius velut calamus scribæ velociter scribentis, vt pater extiterit fæcundissimus prolis populorum Cæli præmijs fideliter directorum. Quin & præstat non de penu nostro pauperiore, sed de Matthæi Bossi viri optimi promptuario benè instructo ad vnũ hic transferre tanti viri nobilem ideam, speciosaq; virtutis egregiæ lineamenta, in ea, quam De instituendo Dei præcone scripsit epistola ad Iustinianum Veronensem Concanonicum. Meminisse, inquit, Fulgentij Cremonensis nostri dignum hoc loco mihi planè videtur, quem virum sanctissimum tu Iustiniane vidisti, & senior ipse illius etiam fui consuetudine non parua, & contubernio deuotissimo vsus. Paucis ille cum admodum literis concionem vsurpauit diutius. Qui quotiens sermo ei habendus erat, parum quidem legebat, orabat verò multum, & sæpè solus in cellula delinitus dulcedine, & diuinorum stupore suspensus cum profluente largiter planctu vocem sic extollebat, vt eminus exaudiretur à fratribus. Qui interdum tanto odore, & ipsi quidem sic tangebantur, vt nec lachrymis parcerent. Quid ille Deus bone, atq; mirabilis per orationes gratiæ non assequebatur? Ille milites, ille centuriones, ille pyratas, ille lenones, ille scorta ad pœnitentiam sæpè conuertit. Quantum verò pecuniarum, & rerum in egenos, orphanos, viduas, captiuos, & vinctos erogari suis vocibus fecerit, vincit res ipsa hac ætate ferrea maximè hominum fidem. De sillaba, accentu, deq; congruitate verborum doctis viris risum mouebat interdum, qui ijdem flectebant genua illi, & loculos soluebant ad eius iussum mendicis, & illius pro se precibus beatos se fore putabant, tantum in eo poterat Dei gratia, & dicendi ardor in illius anima felici ab oratione conflatus. Quo fiebat quandoq; vt artem omnem & oratorium robur superaret indoctior eius oratio, & fragor quidam sine arte sermoni lachrymoso permixtus, eiq; cederet læta illa effusa, lasciuaq; magnorum hominum copia, atque facilitas. Incendebatur illi vultus ad libitum

libitum, qui à volendo est forsan dictus, inq; os eius verba cælitus videbantur immitri, atque eorum, quæ dicebat, sic erat capacissimus quisque, vt ille optarat, atq; contenderat. Hæc quidem Bossus, quibus expedit annectere, quæ habet in disputatione sexta de instituendo sapientia animo, Vidimus, ait, Fulgentium illum Cremonensem Concanonicum nostrum assiduè feruescere, dum flores, poma, sataq; videret, dum vim elementorum, solis fulgorem, flumina, montes, reliquaue naturę spectacula attractus secum reputaret, inq; Deum auctorem ea cuncta transferret, in quo persępè neque lachrymas, neque clamores retinebat. Ioannes verò Philippus Nouariensis libro sexto Cronicorum Cap. 38. de admirabili eius virtute, sanctimoniaq; vitę testimonium reddidit in hęc verba; Beatus Fulgentius Cremonensis & ipse de antiquis Patribus in Ordine nostro clarus euasit: nam Spiritu Sancto totus erat ignitus, & cum literarum modicam haberet intelligentiam, tamen per Ciuitates, & Castella verbum Dei disseminabat, quidquid illi suggerebat Spiritus Sanctus hoc illis proponens. Fiebat autem ad eum concursus populorum, qui hominis sanctitatem intuebantur, & propter mirabilia, quę circa illum Dominus operabatur. Nam ex instinctu Spiritus Sancti, cum esset Venetijs, intrauit in carcerem ad quendam, qui ad mortem adiudicatus erat, quem reperiens impœnitentem, & desperatum, mutato habitu illum liberū abire fecit, & se occidendum exposuit. Cum autem in Ciuitate Ferrariensi magna pestis esset, hic homo Dei Zelo charitatis ductus cadauera sepulture mandabat. Multa alia laude digna egit hic vir venerabilis, quę breuitatis causa omittimus. Adeo quod satis liqueat ab duobus hisce testibus, quinam quantusue fuerit Fulgentius in ea, quam diutinam egit in terris peregrinatione. Non verò ab re illum Beati exornauit appellatione Ioānes Philippus (quantum tamen licet priuato scriptori absq; Apostolico infallibili decreto) cum & mira ab eo prętita viuens, & populorum vniformis consensus, & Episcoporum Cremonensium Cathalogus ad hoc idem prouocent. In hoc enim posteriore ita scriptum legitur, Beatus Fulgentius Cremonensis Ordinis Canonicorum Regularium clarus habetur. Vltra secundam annorum decadem suam protraxit vir inclytus prędicationem, quam nec temerè quoq; susceperat. Quippe qui iam in bonam prouectus ætatem, iamq; Synodis Generalibus Ferrariæ, ac Romæ annorum quadragesimi primi, & quadragesimi septimi eius sæculi acta persona socij Capitularis pro Canonia Veneta, & aliquando etiam inter Prælatos cooptatus, Concionator publica Senatus facultate dici voluit in Comitjis maioribus Ferrariæ habitis sub anno quinquagesimo secundo. In publicis enim tabulis eius anni ita exaratum legimus; Electi sunt prædicatores verbi Dei Dominus Fulgentis Cremonensis, D. Gaspar Bononiensis, D. Basilius de Aragonia, D. Iacobus de Foroliuio, & D. Daniel de

Placentia. Id autem maximi faciendum ducimus, quia per ea tempora sobriè admodum se gerebant Patres in huiusmodi munere conferendo, qui minus curarent de doctrinarum vbertate in promouendis, quam de morum candore, deq; vitæ sanctimonia nobili: & quatuor illi cum ipso ad eandem sacram sarcinam assumpti viri illustres, ac de Congregatione, totaq; Ecclesia summopere meriti euasere. Tandem plenus dierum, ac laboris obdormiuit in Domino.

Ascanij Mullæ Rauennatis.

VRget ò Fulgenti te quid tenebrosa subire
Carceris, atque truci soluere vincla reo?
Ah sanctos diuinus amor sic obruit artus,
Vt licet in tenebris fulgeat ipse tibi.

F I N I S.



LY-



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER SEPTIMVS.



GABRIEL FLAMMA VENETVS.



VTINAM è ſupernis illis Paradiſi regionibus, vbi ex Numinis munere (nec ſpes vanas concepiſſe putamus) beato æuo triumphas, Gabriel Flamma Venete, tot mellifluæ eius eloquentiæ, qua in humanis degens florebas, nobis irrorarentur ſtillicidia; quot vel minima expeti poſſunt. Futurum profectò conſideremus, vt quæ viuẽs præſtitiſti, ſuis ipſa ſe coloribus ex parte colinearent. Verum poſtquam nobis è ſydere paucula collata ſunt, micas ſaltem, vt catelli, quæ de menſa tua ceciderunt, colligemus. Prece interim tu illac obtineas; vt hæc Regularis Reſpublica, cuius aliquando filius, aliquando caput extitiſti, ſemper benè merẽs tuis inhærendo veſtigijs, vigeat non tam hominum præconio, quam fructuum caſta eloquentia piè quæſitorum præmio. Natus eſt Gabriel Flamma

Venetijs anno trigesimo tertio supra millesimum quingentesimum parentibus Pacio Flamma Iuris Vtriusq; Doctore, & Equite, ac Vincentia Dieda Patritia. Vno eodemq; puerperio enixa est illum genitrix cum Ferandino fratre; tam raro naturæ ludentis, & applaudentis artificio, quam & tunc ipsa natiuitas, & postmodum sequentia declarauere tempora. Quippe adeo similia colorum, carnis, lineamentorum, staturæ, compagum, motuum, morum, vocis sortiti sunt dona, vt non duo, sed vnus tantum, ac idem esse viderentur homo; ipsis se aliquando genitoribus in errorem prouoluentibus, dū ad maiorem extraneorum admirationem excitandam, & excipiendam pariformibus eos vestimentis induissent. Originem gentis suæ altè refferebat Pacius in Calfurnium Flammam Romanum illum, qui Tribunus militaris fuit anno septimo prioris belli Punici ab Vrbe condita quadringentesimo nonagesimo secundo, quiue summa militari virtute Atilium Calatinum Dictatorem vna cum exercitu de Pœnorum manibus liberauit. Propterea generosa eleuatione conditioni compari Gabrielem omnium artium præsidio muniendum curauit, quæ & minorem conuenirent ætatem, & semina essent, ac flores messis, fructuumq; virilium annorum, atq; senij. Sub Ioanne Baptista Egnatio viro cum primis erudito Venetijs publico munere profitente prima iecit græci, latiniq; sermonis fundamenta, &, quod captum omnem excedere putabatur, Poetarum, Oratorum, Historicorumq; ita versauit præcepta, & methodos, atq; obseruauit ideas, vt non modo carmine exprimeret sensa quæq; ac narraret antiquorum temporum euenta fælicissimis memoriæ tractibus; sed imitaretur omnimodè frases, diuersificaretue ad libitum, vt nouus quippiam Literarius Histrio præceptore ipso laudatore vocitaretur. Anno natus tertiodecimo tutioris vitæ desiderio Canonicorum Lateranensium institutum, ac normam cum exteriore habitu amplexus est, quamuis genitores ad aliud rerum genus illum destinassent: quod tum maximè innotuit, cum per manus ipsas Caroli Quinti Imperatoris Augusti ense præcinctus est, etsi puer, in militaris dignitatis tesseram Eques, Comesq; Palatinus creatus, quod ipsemet testatum reliquit in nuncupatoria secundi voluminis Vitarum ad Philippum Secundum Austrium Monarcham Catholicum. Sic aperiebant, sternebantq; Diui, Diuæq; omnes viam futuris eius in Ecclesia Dei prouentibus extra humanæ prudentiæ ordinem. Decem annorum spatio audiuit peritissimos quosq; Ordinis profitentes Doctores, atq; ex prædicatorea familia Hieronymum Villelmum per quinquennium Pauij, illum, qui postmodum summæ scientiæ, & probitatis nomine Episcopus Ciuitatis Castellanæ institutus extitit, quod ex eius calamo habemus in notationibus super vitam Angelici Aquinatis. Assumpturus Magisterij insignia theses publicæ triduanæ disputationi subiecit, & numero, & paradoxis insignes in eadem

Ciuitate,

Ciuitate, quæ huiusmodi concertationibus tam assueto vtitur palato, vt ad summæ curiositatis, & approbationis cibum non admittat, nisi pretiosiora Heliogabala scientiarum per literarios Mythecos præparata. Nuncupauit illas Herculi Gonzagæ Purpuratorum Senatorum nobilissimo, & nostri Ordinis Protectori, ac vere Mœcenati. Prę alijs asserta acerrime impugnata sunt à Stanislao Suffolschi Polono Clepardiensi clarissimis natalibus notissimo, sed multiplici, verèq; solida eruditione notiore, qui ad quatuor horarum spatium protracta disputatione binarum tantummodo partitionum; vbi expressere veritatem, introduxere admirationem promptitudinis ex ęquo, ac firmitatis. Huiusmodi Flamma præsidijs munitus diuinę se prędicationi addixit Leuitici adhuc ordinis Orator. Declamantem ipse virtutes statim ab initio erexerunt ad apicem gloriosi nominis, vt enata auctoritate ageret tanquam potestatem habens; propter quod nunquam sic locutum hominem vno ore pronunciabat Italorum consensus. Per viginti quinq; annorum spatium nulla fuit vrbium pręclari nominis, nullus Principum tam illorum, quos gladius, quam illorum, quos Purpura cardinea commendat, qui Flammam sibi concionari non tentaret. Contentiosa ęmulatione, sed religionis titulo speciosa, & prętextata au horabatur per triennij, & quadriennij anticipata tempora. Non vnus tantis sufficiebat, etsi oraturo conuolarent populi catheruatim. Quid verò? Demosthenes ipse, ipse Tullius cultioris Italici sermonis erat. Antiquos Sanctos Patres Augustinum, Gregorium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Athanasium, Leonem imitatus, illorum renouauit tempora, secutus est commendationem. Dum Neapoli Tertium prædicatoream quadragesimam haberet, exceptus est super Pergama à Pictoribus ad viuum penicillo, à Poetis commendatus est multiplici, quotidianaq; carminum triplicis idiomatis compositione, ab Amanuensibus æquatus est calami velocitate, quibus ex eius ore celerimo excipientibus ad verbum quæcunq; orabat, vberrima aderant Procerum pręmia, quæ stusq; certissimi. Cognouit quidem Italia eodem fermè tempore Christianę Orthodoxęq; fidei præcones integerrimos, & Euangelicæ legis interpetres acutissimos Cornelium Mussum, Franciscum Panicarolam, Hyppolitum Carachiolum, Franciscinum Visdominum, Alphonsum Salmeronem, Alexandrum Hebræum, nonnullosq; alios primæ classis oratores præstantissimos; verum nullius sic capta est amore, desiderio, delectatione, vt Gabriellis Flammæ suauissimo, efficacissimoq; verbo. Panicarola ipse pręceptorum pręceptor in eo mirabili volumine, quo Demetrium Phalereum de Elocutione interpretatus est, quemue Prędicatorem attitulauit, adhibitis ad exempla Idearum sermonis secundum artem promenda locis Mussi, Flammę, Visdomini, atq; proprijs ex proxima resultante comparatione ad stuporem vsq; virum extulit.

extulit. A tam varijs verò publicæ vtilitatis muneribus haud quaquam prępeditus extitit, quin priuatam quoq; diligentiam conferret Magistratibus Ordinis. Bis, iterum, ac sępius Abbas Diuæ Virginis de Charitate, Visitator sub Paulo Pelatio Laudense Generali Rectore anno septuagesimo quarto supra millesimum quingentesimũ,ac quadriennio post Summus Pręses in Generali Conuentu Rauennatensi. Quo tempore supremũ vitę discrimen declinauit, fato miti in illud fortè deportante. Nam statim ac Generalis renunciatus est Panormitanam Ciuitatem,cui aduenientis Quadragesimæ labores iteratos spopõderat,electionis admonet,præcaturus,vt aliũ sibi insignem substitui permittat,cum collati Magistratus iura prohibeant alijs se implicari negotijs. Quare per eximium beneuolẽtiæ pignus permissa sibi facultate supplendæ vicis per alium, cum Laurum Venetum Ecclesiasten præstantissimum eo misisset, in regressu infeliciter in Pyratarum manus truculentas incidit, ac non ita multo post in mortem. Interea per Sanctissimum Hierarcham Gregorium Tertiumdecimum Gabriel ad Episcopatum Clodiensem assumitur, qua in dignitate per septennium vixit. Obijt vir perpetuæ vitæ dignus non planè senex anno ætatis quinquagesimo quarto, octuagesimo scilicet octauo eius sæculi. Plurima reliquit sui ingenij monumenta veræ immortalitatis consecrata. Cætera de illo videantur in libello quem de vita eius prius perscripsimus.

Lubet tamen hic adtexere quę de altera eius actione refert Hieronymus Rubeus Rauennas libro vndecimo historiarum eius Ciuitatis. Audita est, inquit, mense Aprili magna voluptate Gabrielis Flammæ Veneti Clugiensium Episcopi, concio: qui paulo ante eo Episcopatu à Gregorio Pontifice ornatus, conuenire tamen ad suorum Canonicorum Portuensium Generalia comitia, quæ tum in hac ciuitate habebantur, à Galeoto Monaldino hospitio acceptus, voluit: ne in quo Ordine multos annos cum laude vixisset, & quem aliquando Generali præfectura rexisset, ab eius repente diuelli beneuolentiæ significatione videretur. Cumq; ex more doctissimi disertissimiq; eius Consociationis Theologi, quibus ipsa in omnę tempus abundauit, abundatq; quotidie in Vrsiano templo conciones haberent;ipse sæpissimè alias in eo ordine viuens à Rauennatibus auditus, voluit etiam in eorum numero, iam factus Episcopus, die Diui Vitalis huius Ciuitatis patroni, festo,concionari. Erat ipse iam diù tota Italia,ab eloquentiæ, & doctrinæ laude celeberrimus, & summam dicendi non laudem modo, sed admirationem fuerat consecutus. Verum hæc illius de otio vitando oratio,& Ordine (nam illi fuit in hac Ciuitate postrema) & Elegantia fuit planè cygnea; & cum antea magna dicere contentione, ac vehementia consueuisset, in hac pleraq; leniter, multa asperè, sed omnia ita grauiter pronunsciauit, vt appositè seruauerit dignam Episcopo auctoritatem, & digna

omninò

omninò visa sit, quæ hoc loco à nobis scriberetur. Hæc ille. Cui expedit quoq; vt illud addamus ex Ferdinando Vghello in vita Sixti Quinti Pontificis ad elogium Cardinalis Mariani Perbenedicti, quod circa eundem Perbenedictum contigit. Romam venit Marianus anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto: aliquo ibidem tempore in delitijs huius sæculi transacto, e profana ad Ecclesiasticam vitam diuinitus, non sine multorum admiratione, vocatus est. Quadam enim die cum Gabrielem Flammam, illius æui concionatorem insignem è suggestu in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Anima Verbum Dei Euangelizantem audiret, adeo Spiritus Sancti gratia se motum sensit, vt statim se totum Deo dederit, ac deuouerit. Clericus factus, Canonicæ Camerini Prior, inde Abbas, & Baro Trulij, &c.

Cathalogum hic operum eius attexemus.

De Vitis Sanctorum Italicè per mensium dies celebratorum libros sex prioribus sex mensibus anni assignatos, ac notationibus doctissimis pijssimisq; illustratos. Venetijs mihi apud Dominicum Farrium Anno 1602. *Lib.* vj.

Carmina Spiritualia Etrusco idiomate cum eruditis notis, quæ etiam absq; notis ob maius commodum edita fuere. Venetijs 1575. *Lib.* 1.

Concionum extrauagantium diuersis loco, & tempore habitarum. Venetijs mihi apud Franciscum de Franciscis 1590. *Lib* 1.

Concionum super Missus est Neapoli habitarum. Venetijs apud Eundem Lib 1.

Discursus super Epistolas, & Euangelia totius Anni Ibid. 1574. *Lib* 1.

De septem verbis Domini Conciones septem Ibid. Lib. 1.

Dictionarium Theologicum Venetijs latinè Lib 1.

Parafrasis ad Psalmos Dauid. Lib. 1.

Notas ad Vniuersa Biblia latinè Lib. 1.

De Christo præsignato latinè Lib. 1.

Oratio de optimi Pastoris munere habita Rauennæ qua die Generalis renunciatus est ad Synodum latinè Venetijs apud Aldum 1578. *Lib.* 1.

Tractatus de Epidemia & modo illam sanandi habitus anno 1575. *in Senatu Veneto. Extat apud nos manuscriptus.*

Theorematum Paradoxorum disputationi propositorum Patauij Lib. 1.

GA-

GABRIEL INCHINIVS VICENTINVS.





VLLA insulæ dignitas, nullum Lateranensis Reipublicæ decus administrationis extulit Gabrielem Inchinium, conspicuumue inter cæteros contribules suos reddidit; in Hierarchico tamen ordine illo ex primis chori sui verè Gabriel fulsit in ministerium missus populorum ad tractanda ea, quæ salutis æternę sunt. Inde certos indeptus honores, inde opima castris suis spolia induxit, vnde virtus exultaret ęquissima, non fortuna ludibunda iocaret nunc sub alieno personata suffragio, nunc sub rerum iniquitate contecta. Inter cæteros, qui hoc nostro fermè æuo, seu mauis ante annos quadraginta, primos sortiti Italicarum Ciuitatum suggestus summa commendatione virtutis floruerunt, vnius Inchinij nomen illustre cum paucis fuit. Adauxit verò eius famam plausu hinc inde receptam calchographorum solertia: & quod perrarò accidit, ad immortalitatis corollam inde testimonium sumpsit, vnde pluribus exitium præsto esse solet. Nam quicunq; populis euangelizant è suggestu, multa quandoq; si non orationis vitia, saltem non absolutę perfectionis contegunt vna pronunciationis venustate, ac robore: quæ dum transit irreuocabile verbum, & dum adinstar torrentis circumuoluitur locutio, secum & lapides, minoraq; cœnosa rapiens, auditoris animum medium velut in aerem raptum sic decore, sono, pruritu, energia suspendit; vt ausis ipsa maioribus oppleta, & auditus ipse segnior, ad iudicij censuram non ita repente transmittat, & reuocet vniuersa. Euanescunt autem tanta isthęc pronunciationis priuilegia, si quę perorata sunt ad verbum, scriptis committantur, maturioriq; oculo obijciantur, qui adę quissimi pensitatioris ue intellectus lancem per ignem, & aquam transfretanda, lecta ipsa reijciant, & proponant. Tum enim demum facillimè nō per acres modo Criticos, sed per mitiores etiam compensatores sic tenentur, & obseruantur & crassiores dolones, & minutiores paleę; vt nequi ipsi venustatū irregularium auctores, asteriscū, & expunctionem non effugiant. Quod igitur vna Inchinij fortunata virtus extitit, ex propriarum concionum editione calchographica maius celebritatis testimonium indeptus est. Qui enim videri poterat vel lentior, vel frigidior in dicendo, clanguescente quandoq; spiritu, & labante quodam genij minus

erecti

erecti deliquio; in ipsa compositionis lectura fortis, solidus constans, atq; vitiorum efficax exterminator apparuit. Quibus si contexas reliqua, dictionis candorem, doctrinæ securitatem, eruditionis varietatem; ritè oratorem confeceris ad omnem regulam efformatum. At quicunque sint ij luminum radij, minores tamen sunt vna ipsa illius intentione iuuandi. Profectò secundum illam sic dictata redegit in ordinem, vt maioribus, minoribusue intellectibus fierent emolumento, dum in altera qualibet concionum multiplices separauit sacerdotibus inferiorum Ecclesiarum inter sacrificandum ad aram sermocinantibus accommodas, ac populis rudioris, crassiorisq; mineruæ haud inutiles. Ita fermè dicere potes ordinatam quandam aciem ipsa concionis serie repræsentare, cum hastati hinc inde alter post alterum emergant breuiores sermones ipsis alphabeti literis distincti, & prænotati, non interrupta tamen maioris concionis textura. Tum primum animum applicuit ad permittendam editionem, cum missis concionibus De quatuor Nouissimis ad pijssimā, pariterq; lectissimam matronam Claram Priulam egregiorum Venetorum procerum Bernardi Gritti, Pauliq; Priuli genitam, & conthoralem; commendatissimas inde recepit illas non paucis illorum purpuratorum arbitris. Minima quippe ipse de se, suisq; sentiebat, quod beatitudini pauperum spiritu congruit. Charitas firmauit animum, & perplexitatem discussit: ipsa cælitum benignitas sic adstitit profectui, vt intra paucorum annorum curriculum, & quaternæ vix voluminosę recusiones exaturarint Italiam, & exterarum quoque gentium assensus, ac beneficium eas latinè, hibericèq; loquentes per typos admiserit, quod ipsemet innuit in secundi voluminis præfatione. Hoc Vię Paradisi titulo inscriptum, Dionysioq; Delphino Vincentino Episcopo nuncupatum quinq; concionibus perclausit, vtiq; cæteras daturus vsq; ad integrum Quadragesimale in plura volumina distinctas (quod ipse ait ad eandem Priulam scribens) si vita superstes. Aliter tamen fata senserunt. Natale solum Vincentiam ad Męduacum habuit in ora Veneta, Ciuitatem claram pariterq; feraci vbertate madentem. Honesta, parentum sedes magis, quam auorum imaginibus superba, altoribus Penatibus honesta sapere dedit enutrito alumno, secundum quæ duxit vtranq; vitam laicus, & Regularis. Gregorio Barbadico ad clauum Canonicalis nauiculę Tertium considenti ad nostros custodiendos focos receptus est anno primo ab Tridentinę Synodi notissima absolutione. Iuuenis ipse octodecenarius annorum hebdomade expleta ad Patauinam Viridaranam Accademiam doctoreo serto insignitus est, quo crines gloriosos vice ærumnosę tyarę coronaret, sub dierum accessu, quoue sudores tergeret generosę frontis, dum ad fidelium salutem in dicendo promanarent. Ab Gymnasticis speculatiuarum scientiarum functionibus solidatus, segniter non impegit in limen appel-

lendarum actionum. Elegit solidè sustinere in se, ne humana opinione inaniter raperetur super se. Extollebant præceptores viuidum ingenium, commendabant promotores inobliuiosam quarumcumcunq; rerum memoriã, obstupebant concoronati cōmilitones facundam latinorum locutionem, secundum quæ proficuum arbitrabantur, si scholæ & ipse inchoandæ præficeretur. Vnus electioni dimissus per Præsides, obtinuit Gabrielli Flammę, atq; dehinc Hippolyto Caracchiolo tum temporis Oratoribus inter nostros homines extra omnem comparationem exactissimis operam dare, labores illorum sociaturus, & leniturus, comes ad pulpita. Vtrisq; adhæsit omni officio cultis, posteriori tamen, & diuturniore, tempore, & fidissimo obsequio. Achatem indiuiduum egit, ita fermè viri delectatus compositione, dicendiq; idea, vt latè postmodum illum expresserit in suis concionibus; tanti imitatio præstat ad oratorem conficiendum: & quem lingua, donisq; pronunciationi naturalibus assequi haud potuit, eruditione, rerumq; soliditate assecutus est. Abactus esto pro nunc summorum templorum minutior cathalogus, in quibus panem verbi turbis fidelium fregit, & partitus est, cum eorum plurima, eaq; primæ classis ex ipsiusmet vulgatis concionibus innotescant, vnaquæq; enim illarum & loca, & tempora, occasionumq; series in fronte præsefert cum themate. Circa posteriores vitæ annos, dum præcocia debilioris complexionis impedimenta exulauerant linguam à suggestu; charitas nouam iuuandi proximi methodum commonstrauit. Ex domesticorum quorundam languorum domesticis etiam sibi remedijs applicitis sensim ad destillatoriam artem profitendam perductus est. Felicitas euentuum, genij facilitas, factibilium adminicula sponte à compluribus exhibita, instrumentorum suppellectiles per alienam munificentiam subministratæ studia impensè auxerunt ad commune plurimorum bonum. Olea extraxit multiformia, quæ nullus adhuc in arte cognouit, ex herbarum, florum, corticum, radicumue succosa substantia per ignis ardorem collachrymata. Nosocomia, & egeni præsertim solo Diuini amoris intuitu ijs iuuabantur, & opplebantur eorum in annos vascula ad sanitatis fermè pactam recuperationem in illorum vsu. Adhuc apud nonnullos ex nostris scimus aliqua ipsorum extare, pręsertim ad stomachi debilitatem, & auuersionem confouendam, & collimandam sub eius cognominis appellatione. His Marthę occupationibus vitam eo perduxit, quo medicorum opinio non perueniebat, lenitis per animi applicitam hilaritatem non vnis illius doloribus. Sexagenario maior desideratus Vincentiæ occubuit. Præter ea, quæ typis edita infra reddemus. Antonius Posseuinus in Apparatu Sacro notat illum pollicitum esse Deo dante alios libros, quos parturiebat, nimirum, Scalam Cæli, Coronam Ecclesiæ de rebus Fidei. Missam de Passione Domini. Expositionem in Sequentiam

pro

prō Defunctis, Quorum nihil ad nostram notitiam peruenit.
Sunt eius ingenij fœturę editę

Conciones de quatuor hominis nouissimis in vnum volumen compactæ.
De Morte.
De Iudicio.
De Inferni pœnis.
De Paradisi gloria. Venetijs apud Dominicum de Ferris Anno 1592. *Lib.* 1.
Item conciones Italicæ viæ Paradisi appellatæ.
De Cordis munditia.
De Operibus.
De Peccato.
De Pœnitentia.
De Confessione. Venetijs apud Danielem Bisuccium Anno 1610. *Lib.* 1.



GABRIEL OTTELLVS ALEXANDRINVS.





E quoq; hic adnectam animo per quam volenti Gabriel Ottelle vir clarissime, & de nostris aciebus ad amussim merite, quod florenti memoria ex integro beneficia à te recepta conseruem, quod ue testem exhibere possim conscientiam ipsam ad virtutum tuarum comprobandam posteritati soliditatem, atq; præstantiam. Tu enim adolescentiæ meæ non modo te præceptorem Theologum per biennium præbuisti, quod mihi cum alijs pluribus commune erat ex comitiorum Senatus consulto; sed & optimi Patris partes, pijq; Mœcenatis, officia mecum peculiariter expleuisti. Tu me ex Ticinensi Gymnasio ad Patauinam Vniuersitatem transmittendum curasti. Tu omnibus fouisti, adiuuisti, prouexisti studijs, & artibus, consilio, auctoritateq; tua, & ea, qua præ omnibus pollebas, agendorum dexteritate; vt omninò non mihi liceat in tam amplo Literatorum consessu tui recordationem prætergredi, nisi summo cum ingratitudinis piaculo. Viri singularis accessum ad se debet Congregatio officijs, & prudentiæ, præuidentiæq; Camilli Becij Casalensis Rectoris Supremi. Cum enim prioribus talis Magistratus annis summa incumberet vigilantia in constituendo, & efformando delectu adolescentium ex sæculo ad nostrum Tyrocinium admittendorum; inter eos, qui præstantissimam præseferebant indolē, quorumue postmodu vberes extitere fructus & sancti moniç & doctrinarū, cū primis electus est Gabriel ipse. Legebat Pater conspicuus in ore compositissimi adolescentis senilem quandā morum grauitatem, animiq; pacatè viuidi frenatam ebulitionem, quæ & paratum ingenium, & edomitam voluntatem præsagirent. Propter quod posthabitis ex eadē Alexandrinà ciuitate nonnullis alijs competitoribus nobilibus, illū Vercellas ad ponēdos nouæ spiritalis structuræ primos lapides trāsmisit. Nec fefellit præsagitio virum, vt quadragenarius ferè vitæ illius in nostro conuictu cursus copiosè declarauit, siue animum spectes, siue censum. In Diaconatu constitutus Laurea studiorum labores coronauit, in nouo stadio gloriosiores sudores absoluturus. Statim nanq; Magisterio præmunitus Cremonæ Philosophica profiteri cœpit, vt scientiarum adipe saginatus, eadem pinguedine alios consoueret; quo in munere tresdecim annos perseue-

ſeuerauit nunc Placentiæ, nunc Ticini, bis tamen interrupta ſerie ob aduerſam valetudinem. Primo tempore id ſolatij habere potuiſſet (ſi compoſiti mores admiſiſſent) vt ab ore pendentes plures e condiſcipulis cerneret, quibus longè tranſgreſſis paratiſſimo ingenio Præceptorem agere dignus iudicatus eſt, quorumue promotor ad Doctoratum extitit punctorum aſſignatione, atq; theſum publicè defenſarum aſſiſtentia. Longè diuerſis medijs Theologicas materias poſterioribus annis elucidabat ab ijs, quorum in Philoſophicis vtebatur commodo, licet vtrobiq; conſpicuus, vtrobiq; ſolidus. Id verò ſingularis auditoribus eius libare dabatur, vt cum doctrinarum lacte dulciſſima mella mirabilis morum compoſitionis, ac ſuauitatis ex quotidiana conuerſatione perciperent, quibus in vtraq; fortuna neruoſam animorum firmarent æquanimitatem; ita vt morali cuidam Socraticæ diſciplinæ domeſtica deſeruirent exempla, quæ religioſam paſſim normam exornarent. Neque in hiſce dotibus ſectatores tantummodo diſcipulos habuit, ſed & ipſos quoque comprofitentes Magiſtros, qui illius amore pellecti id ſibi vitæ genus imitandum proponebant, & quod admiratione complexabantur, executione complebant. Ioannem Franciſcum Maſſam Ticinenſem Regiæ Canoniæ Sancti Petri de Cælo Aureo Præpoſitum per eadem tempora Philoſophicorum mihi dogmatum pręceptorem, teſtem habeo omni exceptione maiorem, qui ſic adhęſiſſe viro viſus eſt, vt ſola mortis diſſolutione compages imitatricis amicitię fractę eſſe cernantur (ſi tamen ſciſſura eò intercedere poteſt, quo ſemper ijdem florent mores, eędem triumphant voluntates. Neque ad hoc idem firmandum te pręteribo Octaui Boide Beatę Virginis de Caſtello Pręposite, qui ad eiuſmodi tantum finis aſſecutionem mare tranſnauigaſti vt illum ad Tremitanos ſcopulos vna cum antedicto & aſſociares, & imitareris. Vtinam verò iter illud imperfectum, infectumue remanſiſſet, non enim tam irreparabilia damna fortè nobis obtigiſſent. Aſſueuit vtique parens Congregatio iam à prioribus Reformationis annis ex vniuerſo Canonicorum ſuorū numero inſigniores ſemper deligere ad Diomedeam Inſulam gubernandam, quæ videlicet graues nimis annexas habeat conſequentias tam ſi ſpiritualia, quam ſi temporalia ſpectes. Nullius ſiquidem exiſtens diœceſis, Abbates ſuos tanquam Epiſcopos agnoſcens, & quod fortius vrget, vtriuſq; gladij dominos, mero, mixtoq; (quod aiunt) imperio potientes; in tam vaſta rerum vtriuſq; fori mole non niſi eximiè verſatos ad tantæ adminiſtrationis Prouinciam deſſignatos admittere neceſſum habet. Sic ab primo Beato Leone de Carate ad hunc vſq; Gabrielem enumerandi veniunt eminentiſſimi Abbates. Hic autem ad tam arduam aſſumptus prælationem, ſpes omnium excitauit maximè proficuorum euentuum poſt diras eò loci perpeſſas difficultates, graueſq; toleratas ęrumnas, totum etiam Congrega-

tionis


tionis corpus quoad temporalia inficientes. Nec defuissent ritè conceptis opera; verum aliud desuper scriptum erat. Nam priore vixdum expleto gubernationis anno, egregij conatus in ipso fermè semine corruerũt, morte virum tempore non suo metiente. Mortale suum terræ reddidit ad Diuæ Martiri Agathæ dicatã Ecclesiam quinquagenario aliquanto maior, vegeta membrorum compage diuturnioris vitæ indicia præbens, violentissima paucorum dierum febre correptus. Tyrocinium gubernij eius erat hæc prima collata dignitas, nam prçter Casij Prioratum, in quo plurima præstitit pro tuendis Ordinis iuribus, nihil vltra administrarat alienis semper intentus commodis. Parmæ tamen Vicariatum gesserat ijs annis, quibus totius familiæ sibi vni cura incumbebat, quod & Ticini quoq; ei contigisse vidimus. Nobis persçpè audientibus multa suarum dotium conferebat in Leonardum Giraldium de Mondulpho, è cuius contubernio se illa hausisse gloriabatur intimiore Patris familiaritate vsus nunc iunior Rauennæ, nunc concionator Eugubij. Serò animum ad scribendum appulit, qui materias Philosophicas, atq; Theologicas ad aliorum tantummodo prçsentaneum profectum digereret. Scripserat de anno sexto huius sçculi dum hinc inde euulgarentur scripta in cõtrouersijs Romanis,& Venetis de Sedis Apostolicæ gladio monitoriali iustè, piè, necessariò exerato, Et de septem impiè oppositis vitreis peltis libros tres aduersus libellum septem Theologorum nuncupatorum Venetorum, quos tamen de industria suppresit, & nos ipso perlegente sçpè Ticini vidimus, qui & fortè ad eius obitum distracti interierunt. Apud nos tamen extant manuscripta eius ingenij monumenta.

Commentarium super libros Metheororum. *Lib.* iiij.
Quæstionum super Secundum Sententiarum. *Lib.* I.
De Sedis Apostolicæ gladio monitoriali, Iustè, Piè Necessariò exerato libri tres, qui fortè extant. *Lib.* iij.

GA-

GABRIEL PASCOLVS RAVENNAS.





NA, eademq; protulit ętas antiquis Rauennatibus Gabrielem Pascolum honestissimo loco natum, & Celsum Mancinum, atq; Herculem Monaldinum. Ipsi quoq; Ciues vno ferè, eodemq; tempore nostris hominibus illos informandos ad perennem vitam tradiderunt, clementi vtiq; Cælo, & felicioribus horoscopijs: cum ornamenta animi ab genitricis Congregationis vberibus ebibita, in illius glorias resfuderint diuerso quidem talento, sed vnico fine. Gabriel ad ponenda religiosæ suæ molis initia attulit docilem magis indolem, quam aliquo vsu longiore dolatam, & ad mores compositiores excultam. Quippe qui Patre orbatus sub aliena disciplina laxior esset in moribus, sed intellectu iouialis iuuentutis pleno. Potissimum id emicuit cum in Patauino Lycæo solidiores doctrinas excerpens à doctissimis Pręceptoribus; nullo intermisso circa illas labore, vt morem gereret socijs calcaria adiungentibus prono ad humaniores pertractandas res genio, libros illos Italico sermone composuit, quos Aulicus desperatus inscripsit. In ijs enim ad aliquam elegantiam, mores, ritus, formas Aulicorum vtriusq; sexus repræsentauit, qui profanis amoribus in omnem stultitiam etiam tragicarum catastrophum non semel ruunt, nunc discursibus meditatis, nunc epistolis elaboratis, nunc repentinis familiaribus allocutionibus re vniuersa digesta. Id autem opus illud est, quod postmodum Iulius Somaschius Bibiliopola inscio Auctore, & dies illos, atq; operam erubescente euulgauit. Cum per ætatem, & vitę formam in virum alium transiuit; electiores induit cogitationes, & meliores ausus. Prompto sermone, & conspicuè facili populorum se præbuit Ecclesiasten proficuum magis, quam excultum, vt secluso fastu paruulis frangeret panem, dum alij alijs ingenio apprimè instructis edulia, & xenias pararent selectiores. Qui autem suggestum non ornabat cultioribus dicendi formis, scripta etiam extra eum morem non perpoliebat; vt aliquando humi serpens videatur, dum tamen res ipsæ non verba compositionem eleuant. De pijs manibus Vitalis Mercati superpelliceum clericale indeptus, vitales benedictiones sortitus apparuit, quod non illi soli contigit, sed & ijs quoque alijs, qui innocentissimum virum habuere coronatorem.

Vt

Vt latè verò communicaret aliqualem Pneumatis Diuini pinguedinem, ad calami, & typographorum artes se conuertit, vt cò conueherentur piæ lucubrationes, quo vox ipsa concionatorum, non semel studiosè, neque ab vnis euitata, pertingere nequit. Ea propter cum Ferrariensibus sacras lectiones annuas haberet, sermones videlicet illos Ecclesiasticos, qui pomeridianis horis haberi solent expletis in choro vesperis; sub prælo posuit De Laudibus Sacratissimæ Crucis Tractatum, quem Italicè Gloriosum Triumphum, victoriosumq; Vexillum inscripsit, sub quo Christifidelis in triplici statu Vitæ, Mortis, ac post Mortem coronari habet. In eo ad mensuram annorum Christi Domini triginta tribus capitibus sic rem vniuersam digerit, vt non modo concionatoribus plusquam vno titulo proficuus esse possit, sed & quod præcipuum est, alimenta non infima præbeat ijs, qui in via spiritus incipientes, atq; proficientes sunt, exarata vndiq; animi sui pietate. Nuncupauit verò librum Blancæ Mediceæ de Capellis Tusciæ Regulo coniugatæ. Nec diù post quarto exacto anno ad Ticinensem Canonicam familiam destinatus, eadem prorsus arua calamo versans, ex quibus messem in dies colligere sibi videretur euidentissimam; alium edidit tractatum Italico idiomate attitulatum, Perfecta hominis effigies ab omnipotentis manu formata, à peccato deformata, per gratiam reformata, à voluntate diuina proprij arbitrij concursu glorificata. Opus dialogisticè compositum est, & velut Examcron quoddam sex dierum Tractatus includit introductis ad disserendum ex Conciuibus suis, atq; Concanonicis sex apud nostros & exteros virtute, & dignitate illustribus viris Seraphino Merlino, Ambrosio Pordanq, Celso Mancino, Hercule Monaldino, Francisco Guarino, & Felice Ingolo sub Præsidentia Antonij Miserocchæ Abbatis Portuensis. Eodem quoq; tempore euulgauit pias Mariæ Virginis lamentationes proficiscente Christo Domino ad Crucis patibulum Italico carmine dictatas octonis versibus, quod Octauam, vel octauum rithmum appellant, ad Theodosium Rouescallium Abbatem, ac Visitatorem. In eo licet cultoris carminis elegantiam vberiorem habeant Poeticæ artis professores desiderare, ijs maximè temporibus, non tamen idem accidit quoad pietatis sensa, qui ad cor scriberet, non ad inflatas eruditione aures. In gerendis suæ Regularis Aristocratiæ Magistratibus nec multus fuit, nec satis omninò fortunatus ob diuersos aduersitatis casus. Aliquando Sanctæ Crucis Cesenatis Abbas Monasterium gubernauit promotore Camillo Beccio Casalensi, qui supremam eorum annorum præfecturam gerebat. Expertus tum est filios huius lucis prudentiores in generationibus suis: & necessariam esse non modo Columbę simplicitatem, sed & Serpentum prudentiam, Serpentum inquam non in fundendo ueneno, sed in tuendo capite. Quassantur tamen, agitantur uiri suoptè pondere firmati: sed non expugnantur non obruun-

obruuntur, quando vna virtus vitijs pluribus emineat. Sibi semper similis per omnem ætatem proximorum inhiauit saluti, nocturnis laboribus, ac vigilijs diuturnam actionem compensans à se quidem non electam, sed ab alijs imperatam, & quam salua disciplina declinare nequiret. Propter quod & plura scripsit per ætatem, & fortiora, & limatiora, quæ postmodum exciderunt non reparabili damno, dum non omninò senexobijt Mantuæ Canonissis n ostris à Sacris Confessionibus. Lucis vsura frui cœpit anno quadragesimo tertio supra millesimum quingentesimum. Prędicatoream Pataui obtinuit Sacerdos disputatis publicè quinquaginta duobus assertionibus. Decessit quinquagenario maior.

Quæ supersunt illius hic exarantur.

Gloriosus Crucis Triumphus Italicè editus. Ferrariæ apud Iulium Cæsarem Cagnacinum 1587. *Lib.* 1.

Perfecta Hominis Effigies Italicè Il Ritratto. Papiæ apud Andream Vianum 1592. *Lib* 1.

Lamentationes Beatæ Mariæ Virginis carmine Italico. Papiæ apud Hæredes Hieronymi Bartoli 1592. *Lib.* 1.

Aulicus desperatus Italicè Il Cortegiano Disperato. Venetijs apud Iulium Somaschium 1592. *Lib.* 1.

Fabij Iordani Neapolitani. I. C.

TV Patriam scriptis volucri defendis ab æuo,
Nec finis obscuram nocte, situue tegi.
Tolle animos Paschale; tuum per sæcula nomen,
Et cum Triumphi, Gabriel nomine, viuet opus.

GABRIEL PENNOTTVS NOVARIENSIS.





ASTVM sexdecim sęculorum pelagus nauigatione ementientibus ærumnosa Regularibus Canonicis intra Ordinis antiquissimi ventricosam nauim ventorum turbine, & procellarum fluctibus infensius agitatam Gabriel Pennottus in modum lucis, quam Sancti Hermi dicunt, ad eius meditulium super prægalti arboris effulsit cacumine. Quid ni salutares appellauerimus ignes flammas illas, quibus vniuersam Canonici Dogmatis historiam illuminauit depulsa vetustatum nube, eliminatis obliuionis nebulis, effugato profundi silentij fumo, sedata demum aduersarijs aciebus pugnantium ventorum tempestate? Quidni nauim dixerimus Ordinem ipsum, cuius arbor Fama esto, velut altera Argon, in qua tot transfretarę Argonautę, quot floruere Sancti, doctiue ad vsq; myriadas multiplices sicut stellæ in perpetuas æternitates; non vellus aureum fictionibus celebre, sed ipsam Paradisi possessionem verissimam suspectantes, violentis immortalis Dei statuto promissam? Affulsit quidem ignis ardens, & non comburens, & affulsit tanto conditione meliore, quanto non mox recessurus affulsit, sed perpetua ibidem statione duraturus. Plaudat omninò grata posteritas ad visum tanti luminis, festumq; diem largitori agat Deo. Depurandus in facem huiusmodi Gabriel, veluti vapor ab ima laicalis ordinis terra eleuatus est ad regionem vsq; Sanctæ vocationis medio calore, & bonitate Solis eius, qui illum ab vtero matris segregauerat sibi. Ortum inter Insubres in ora Nouariensium, consumationemq; propositi Regularis vitæ curantem admisit Camillus Becius Casalensis Ordinis à summo iure, & acer adolescentum agnitor. Est Bugella in cliuo Alpium Gallos ab Italis disterminantium oppidum non incelebre: ad illud accedere iussus est ponendo tyrocinio in cænobio ab Fereriorum heroum munificentia sagittis perforato Martyri dicato. Montes tenere docentur ij, quibus est curæ salus. In monte saluum te fac, vox prima Angelorum Pentapolis subuersioni, & Loti incolumitati imminentium fuit, cui & Psaltes Regius concinuit, Leuaui oculos meos in montes, vnde venit auxilium mihi, quia fundamenta spiritalis structuræ in montibus sanctis sunt, in quibus diligit Dominus portas Sion super omnia ta-

nia tabernacula Iacob. Ad anni exitum Vercellas incoluit, vt solemnia religionis vota, militiæ spiritalis Sacramentum, nuncupet in manu Georgij Vedani Abbatis, gestæ quondam summæ præfecturæ, doctrinæq; ac probitatis gloria insignis. Hoc pacto Generalis Becius prouidebat bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Hac, inquam, arte, hisq; studijs prudens Præsul, vt iunioribus stimulos adderet ad agenda fortia, adq; insistendum super domestica vestigia; veteranis ducibus, deq; sacra militia emeritis illos dabat subditos, integra clamide linea, manicataue de more ornandos. Vt inductam agnouit in Gabriele Canonici viri formam, excultaq; in illo intellexit primordia Religionis; ad Patauinos Diui Præcursoris Viridarianos lares cum potioribus eius seminarij alumnis demandat de doctrinarum adipe saginandi. Sed quoniam nolebat eos scientia præditos absq; bonitate, disciplinaq;, ne illarum inchoata adeptio euanesceret inaniter, per quinquennium sub ferula Vitalis Cornelianensis viri vndequaq; sanctimoniæ odore admirandi distinuit. Laborant interim præcipui Theologorum Ordinis in excolenda sobole Florianus Nanius Bononiensis, Valerianus Zampetrius Imolensis, & Ludouicus Pauesius Neapolitanus post celebres item alios Philosophos. Tantis istis doctoribus debemus nos veluti nepotes, quos ebibimus, purissimos latices ab Gabriele, per eum ab illis enim in nos deriuarunt. Et ipse quidem, vt erat vel præcipuus condiscipulorum, vel saltem ex præcipuis, colebat præceptores summos veneratione, quæ omne studium occuparet, imitator morum pariter, atq; doctrinæ; dum graues illi vicissim expolirent iuuenem, quem adornare ominabantur cathedræ successorem. Nec à præuisis decidere quidem. Licet enim genium eius alacre, atq; ad omnia factum, statim, ac scholasticis nuncium remittere potuit, actuosis se immiscuerit ad lites Viridarianas curandas delapsus, quod Procuratoris officium dicunt; ocyus tamen quam putabat reuocatus est. Nam, qui præerant Antistites studiorum directioni, vtilius de illo dixere: profiteatur scholastica Pennottus, communicetq; sine inuidia, quod sine fictione didicit, dignitatemue doctrinæ non abscondat: minorum minora sint officia. Exilibus non prælusit initijs in adeunda prouincia, sed & maiores excoluit Academias, & summas conscendit cathedras Theologiam semper elucidans. Per annorum quindecim iuge ministerium Cremonensibus, Ticinensibus, Patauinis positum vix credibile est quota in pectora iuuenum omnis vsquequaq; nationis transfuderit sacræ sapientiæ thesauros, & quanta lectiones eius exciperentur auiditate, transcriberentur admiratione. Nullus illo clarior in enodandis difficultatibus, nullus pressior, nullus fundatior. In disputationibus promptitudo inassequibilis, dum impugnaret acutissimus, dum propugnaret distinctissimus, & breuis: extra conferentias vber, & fluens adeo, vt minora nulla essent

ingenia discipulorum, quorum captus dicta vel fugeret, vel non assequeretur. Nihil profectò distabat, quin vniuersi iurarent in verba magistri. Tum verò exactius apparebat quam maximè diues esset talentorum animi, cum religiosæ relaxationes, quæ ad subleuandam mentis intensionem, atq; occupationes permitti ad stata tempora per sanctissimas leges solent, agerentur. Vir omnium horarum iucundissimis salibus condiebat vniuersa etiam serio acta: musices totius peritissimus nunc voce, nunc sono animos reficiebat. Nulla erant artis instrumenta, quæ ignoraret, quæ non pulsaret, aulotibia, buccina, fistula, cythara, fides, psalterium: succedebant alijs alia, nectebatq; grauiora gratioribus, & in omnibus lucra quærebat spiritus siue ex se, siue ex commissis disciplinę. Aliud quidē agere videbatur narrans ex historicis, vel ex nitioribus musis euenta temporum, locorum, hominum, quæ obliuionis totius expers minutissimus pariter, & lepidissimus oculis fermè palpanda sternebat; docebat tamen, & eò efficacius, quò infigebatur magis, quæ porrigebantur inter iucunda domestici ductus. Atq; hisce medijs assueuerat enucleare pręsertim, quæ de Metheorologicis impressionibus, quæ de Ventorum natura, & numero, quæ de Spheræ principijs, quæ de Figurarum mathesi Euclides, Sacroboscus, Aristoteles, alijue tradidere. Quantumlibet autem totus esset ad scholæ curandos exitus; non tamen ab habendis concionibus seiunxit animos. Potuit vtriq; facere satis operi, dum per Antistites licuit, præsertim à Pentecoste ad vsq; impositi nominis Iesu solemne. Super huiusmodi fundamenta dignitas nominis eius apices superstruebat decoris. Post magistros enim suos primus omnium Priuilegio Præsulatus titularis ab resignatione omni immunis, & in quolibet Generali Synodo suffragij ius habentis insigniri meruit. In ferenda porrò lege fauorabilis istiusmodi facultatis non modicæ emersere difficultates. Cum enim sobrij admodum veteres extitissent super hisce concessionibus, licet alioqui promeritis, ne piræudicium æqualitati Canonicorum sensim inferretur; non paucis eorum, qui legibus seruandis præsidebant, zelus videbatur legittimus, nouas non admittere consuetudines, satisq; proponebant esse, si de formula antiqua Priuilegium expediretur. Tanti ab prudentum Patrum prouidentia ęstimabatur ad eos dies talia gratiosa diplomata relaxare, quæ deinceps penè profusè fuere concessa. Nec obtinuissent, qui fauebant positis laboribus egregij viri, si Flaminius Platus Cardinalis Ordinis Protector ab Gabriele non stetisset. Placuit enim summo illi in sententiam fauorabilem descendere, & suffragium dantibus illam suadere, vt Pennotti exemplo alacrius qui deinceps assumerentur magistri, instituendę iuuentutis opus arduum, diuturnumq; aggrederentur; & essent pręmia noua ad scientias vberius capescendas illicium non contemptibile. Inter Pręsules adnumeratum nulla quietis inertis tentatio prostrauit,

uit, sed ab Gymnasio euolauit frequentius ad pulpita, nullis scilicet præpeditus remoris. Sacros labores habuere Ticinensium, Bergomatum, Nouariensium, Spoletanorum, Firmanorum, Perusinorum, aliorumq; plurium animę, quas de promptuario pectoris doctissimi firma cibi pij soliditas, non fucatus verborum ornatus alebat. Vnus Napoleo Comitolus Sanctissimus Perusinę Ciuitatis Antistes in penè omniscio homine suspiciebat dicendi continentiam salutarem, per quam nollet sibi licere quaquam vagari ad ostentationem, aut ad plausum, acer morum nequam obiurgator, quos ad priscæ probitatis normam recoquere satagebat: cęteris Prę sulum faciebat satis, his quidem doctrina ad omnem captum elucidata, his verò Insubrismo candidiore extra concionem omnibus rationem poscentibus respondere paratissimo. Inter hęc cuditur Derthonę ab Hispano in Italum idioma translatus liber cuiusdam Ioannis Marquez ex Dogmate Eremitarum, Augustinensium, in quo, sumpta occasione friuola disputandi aduersus Antonium Dazam Minoritam de Institutione Ordinum Fratrum Minorum, & Eremitarum; acerbè, & ex professò insurgit contra dignitatem, & decus totius Ordinis Canonici ab præclarissimo Ecclesiæ Doctore Diuo Augustino Regulis illustrati. Textrinam eandem iam à nonnullis annis agebant scriptores varij eandem Eremitanam Familiam professi, alter post alterum scenam occupantes,& semper cũ auctario, quod epimetron dicunt, Auctor Templi Eremitici,Cornelius Lancelottus, Ludouicus de Angelis, nec non (si tamen dignus est qui inter scriptores aliqualis notæ recenseatur) Thomas de Thalamello. Hi, alijq; antiquam refricantes Fratris Ambrosij de Cora damnati antesignani,Pauli, Iacobiue Philippi Bergomatũ, fabellam,ac illã de puluere,blatis, ac sordibus extrahẽtes, & excutientes ad alterius sæculi curam; longa Canonici Ordinis, sanctissimæq; veritatis præiudicia moliebantur. Hinc ne censerentur tanquam canes muti non valentes latrare super gregis custodiam excubantes,qui Patrum terminos positos, ac iura firmata noscebant Canonici, conatus infringere aduersariorum, irritaq; molimina reddere statuerunt. Edixerat Sixtus Quartus Pontifex decretali sanctione perpetua de anno octuagesimo quarto post millesimum, & quadringentesimum, ne de huiusmodi themate inter prædictos Ordines, asseclas, & fauitores quocunq; modo in posterum pertractaretur. Ea propter ad Apostolicum confugere necessum fuit, vt is certior factus de personato recenter classico, deq; indicta pugna post tot annorum decades alto sub silentio ductas, quid agendum decerneret. Re cognita, discussaq; per Sacram Indicis Congregationem, decreuere Eminentissimi Patres, licitum, libitumq; Canonicis Regularibus Lateranensibus stare ex aduerso, iura tueri propria, & quæcunq; Marquezius in eorum præiudicium protulisset eliminare. Placuit ex pluribus vnum Gabrielem Pennottum, Dauidem fermè

alterum

alterum manus conserere, qui Leonem, & Vrsum, non semel proprijs manibus antea prefocasset. Acre Generalis Faseoli iudicium hunc non ex vnis animauit, quod ipse Pennottus attestatum posteritati voluit per hęc verba. Sic enim fieri postulabat, vt opus tuo potissimum consilio, & imperio susceptum, & inchoatum, tuis auxilijs desudatum, tuo etiam nomine decoratum, & munitum in publicum prodiret. Et post aliqua, Illud etiam laudis tibi accederet, istam videlicet non vsq; adeo lenem prouinciam à compluribus quidem laudatam, & ab omnibus optatam, sed à nemine hactenus, quod viderim, tentatam, te suasore, auctore, ac moderatore quadantenus elaboratam &c. Quo verò ille exitu laborarit, ad quamue publici decoris, laudisq; metam opus grande perduxerit, non presentis est negotij referre. Generalis ipsa totius Sacri Ordinis Clericorum Canonicorum Regularium Historia Tripartita omnem ætatem alloquitur, & illam vna tantum cum Orbis incendio desituram ominari licet, Auctorem verò in omnem victurum æternitatem clarissimum certum sit, quod qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt quasi stellę in perpetuas ęternitates. Siquidem Canonicum Dogma non ab impugnatoribus modo parum ęquis tutatum est, quos & triumphat, erectis vndiq; veritati almę tot tropheis, quot sunt lectorum mentes eruditę; verum etiam in claritatem sæculorum futurorum ab exactorum iam tenebris ita extractum est, vt rerum edax tempus, inuidiosaq; vetustas nullum ei vltra inferre valeat præiudicium. Vtrum autem prouincia huiusmodi totum requisierit hominem, non est, qui non cognoscat vel ex ipsa simplici operis narratione; potuit tamen grande viri ingenium, vberq; mentis penu, & alijs ab illa rebus immiscere talenta; cum & per eos dies ab concionibus ilia iam senescentia non subtraxerit, & egregium illud Volumen quod Humanæ Libertatis Propugnaculum attitulauit, maturarit de integro tam aduersus Philosophos, & Astrologos iudiciarios, quam aduersus Hęreticos pro Arbitrij Libertate tuenda, & cum certitudine Diuinæ Præscientiæ, Immobilitate Diuini Decreti, & Efficacia Diuinæ Motionis concilianda. Licet enim non nisi post aliquot prodierit annos, paratū tamen illud pridē ostendunt, quæ Romę fuere curata pro editionis facultate obtinenda sub Paulo Quinto, & sub Gregorio Quintodecimo Pontificibus. Siquidem cum in eo tangerentur quæstiones non paucæ ad materiam de Diuinis auxilijs spectantes, & inseparabili connexione quadā affiniū inter se rerum; non nisi munimine, & placito Primæ Sedis id fieri debere apparebat, pro quo subscripsere Robertus Bellarminus, & Desiderius Scalea Cardinales Gregorio demandante. Inter tot, tantosq; literarum labores non ille adhuc adiutricem manum publico Congregationis regimini porrexerat, non ex naturæ quidem repugnantia satis ministerio propensæ; sed ex moderantium voluntate penè in idem conspirante, siue ne à potioribus virum

doctum

doctum amouerent superquam in eis versatum, siue ne viuido nimis genio, nec obuia quæq;probanti,ansam prebęrent rerum innouandarum sub ideata melioris boni specie. Ad decus tantum Magisterij, adq; ornamentum exantlatorum Abbatialem titulum Sancti Iuliani propè Spoletũ iugiter fermè ab expeditione priuilegij prorogarant. Placuit vni Cõstantino Phaseolo Generalatum ressignanti oculos super illum, amicamq;beneuolentiam ponere,vt Abbas Sanctæ Mariæ Pacis de Vrbe, Generalisq; in Romana curia Procurator totius Ordinis renunciaretur. Munus id ex quadam fascium consuetudine, ministeriorumue inducta vicissitudine in ipsam supremam ressignantem præfecturam Phaseolum deportandum censebatur, aptissimum, & ad rem ipsam quaqua versum factum. Hoc ad facilius obtinendum intentum non leuiter contulisse apparuit, cum ex aduerso plura decertarent, nec minimas haberet partes, consideratio, Maiores haud recepissę, vt qui nulla gubernationis anteactæ laude, nulloq; præstito regiminis alicuius Canonię particularis experimento floreret, ad sarcinę momenti tam grandis propè nouus comportaretur. Nec abesse à consultatione poterant suspiciones illę acris, animosiq; genij ad innouationes propendentis. Peruicit tamen in prouehendo Scriptore benemeritò prompta, probaq; benefactoris voluntas, quam iuuit egregiè Alexandri Vrsini Protectoris Cardinalis nobilis adhæsio, nutusq; placidissimi. Dixerat inter cætera nuncupationis Tertij Libri Historiarum Gabriel Phaseolum alloquens, Non absq; peculiari Dei consilio factum crediderim, vt series historicæ huius narrationis (cuius in Magno Constantino Lateranensis Basilicæ auctore primus limes ponitur) in altero Constantino supremo Lateranensis Congregationis Præside, Moderatoreq; si non imperio, certè pietatis, religionis,integritatis, omnigenęq;virtutis,& eruditionis meritis magno,& maximo nouissimus locaretur. Et verè tandẽ dixerat. Quare decuit vt opere ipso gratus Antistes comprobaret nuncupatorem amicum haud locutum inaniter. Cessit res vtrique fœliciter: huic quidem, quod raro solidæ virtutis exemplo peruicerit, Non minus gloriosum ab administratione cessare, subdiq; quodammodo alterius obedientiæ, quam alios anterire fascibus; quod Constantinus, præstitit in eodem Monasterio Romano aliquando subditus: illi verò, quoniam publicam rem nulli detrimento vidit per triennium obnoxiam, dum haud segniter præterita ex dati,& accepti libris pensans, quid cauendum, quidue curandum hauriret. Capicoctæ litem pretiosam ab eo deglomeratam ad lycia vsq;posteritati vniuersę hic attigisse satis. Commodũ etiã illi cessit ex officio,& loco,rebus affinium absentiũ prospicere,& adiumenta cõsiderabilia innectere, dũ administris throni notus ipse noscens omnes, ardua sternebat ad exitũ.Ita alicui Archipresbyteratũ ex patria ex Dataria solerter expedisse audiuimus, aliaq; non leuia pro alijs impetrasse. Verum non passu pari procedunt.

cedunt semper actuosæ huiusce vitæ negotia. Quippe ex rebus in Generali illa curatione apprehensis, & in substantiam melioris, vt ipse rerebatur, ideæ conceptis, moliri noua, fundamenta totius gubernationis tangentia, zelo quidem (vt par est arbitrari) bono aggressus; deijcitur per Patres in Romana Dieta congregatos ab inceptis, & disciplina seueriore coercetur intra terminos sub vnica, eaq; publica euulgatarum à se scripturarum confessione, atq; recognitione, qui mandatum ad ea non haberet, neque priuato tanta liceret attentare. Anselmum quoq; Semprerium Mediolanensem æris publici iam fermè ab annis duodeuiginti custodem in ius vocatum exagitauit plenius, meliore quidem mẽte, quã exitu;dum is lapidẽ omnem cognitæ,& diù versatæ aulæ mouens,ad computa redactus non vnico Congregationis detrimẽto per sententiam absoluitur Andrea Brugiotto calculatore, & paulò post Visitator renunciatur. In hac quidẽ causa aduersarios eũ experiri cõtigit extraneos,illosq;potentissimos,& primi confessus;in illa verò Viuolum Generalem, Fotiam Procuratorem, Manettum Massam Abbatẽ tem Florentinum,cęterosq;vno verbo Conscriptos. Cæterum non ideo am motam prorsus virtutem conspicuam, deq; rebus communibus bene meritam voluere: dumq; aduersus sciolam defensionem Angeli Vantij Ariminensis Eremitani pro Sermonibus ad Eremitas Apologiam cudit, & dum conatus refringit Fratris Francisci Biuarij Cisterciensis,ad Abbatiam Nouariensem Gratiarum moderandam reassumitur, de facili reposititurus damna, quę per eos dies non modica passa erat, si diutius illi viuere contigisset. Ibi decessit ex calculo, à quo dirè afflictatus per omnem ætatem fuerat, annos natus supra sexagesimum quartum. Plura ex eius lucubrationibus apud N. Pennottum fratrem remansère præsertim, quæ de Sacramentis ad supremam redegerat coronidem. Ea ab Michaele Angelo Parpaglioneo Abbate recuperata propediem visura lucem speramus.

Iam ergo cusa sunt

Generalis totius Sacri Ordinis Clericorum Canonicorum Historia Tripartita ad Alexandrum Vrsinum Cardinalem. Romæ ex Typographia Cameræ Apostolicæ Anno 1624.

Propugnaculum Humanæ Libertatis, seu Controuersiarum pro humani arbitrij libertate Libri decem. Lugduni sumptibus Iacobi Cardon, & Petri Cauellet 1624.

Defensio Censuræ factæ à Card. Baronio, & Belarmino, & à Theologis Louaniensibus super Sermones ad Eremitas Diuo Patri Augustino suppositos. Venetijs apud Euangelistam Deuchinum Anno 1630.

Refutatio Libelli Apologetici pro asserto Chronico Lucij Dextri Auctore Fratre Francisco Biuario Cisterciensi. Ibid. apud eund. eod. anno.

Pauli

Pauli Portarelli Neapolitani.

EST opus egregium, nullum quod destruet æuum,
Quod tua mandauit, Gabriel, musa typis.
Marmora, pyramides, statuæ, grandesq; colossi,
Aerea signa etiam tempore victa cadunt.
Semper at in pretio sunt candida scripta virorum,
Illis nec poterit summa nocere dies.
Tu loca, tu mores, ritus, hominesq; recenses,
Lateranum frenat quos ditione potens.
Stemmata clara virum, titulos, quo tempore Duces
Regnarint, narras, ingeniumq; hominum.
Felix, cui licuit doctis intexere chartis,
Quæ præsens ætas, postea quæq; leget.

Eiusdem

I Liber, & totum securus perge per orbem,
Et tua fama petat sydera clara poli.
Quicquid enim doctis studuit contexere chartis
Auctor, ab antiquis sumere cura fuit.
Et nitido sermone refert præconia laudes
Laterani, dignum quidquid & ore legi.
Quare dexter eas solatia mille daturus
Omnibus, & placeas dum relegere magis.

GALDINVS DE BARDIS PLACENTINVS.



EMINI, vti nos iusta cum gratitudine profitemur, vel plura, vel maiora debet Lateranense Dogma. Frigdionariæ reformatum, etiam si ab ipsis incunabulis ad hæc vsq; tempora rem emensures, quam Galdino Bardo Placentino. Hic enim intra triginta duorum annorum spacium in illo absumptorum ea præstitit solers, vigil, sanctèq; pius, quæ vel Augustioribus quibusq; Heroibus, etiam ad apicem fastus humani captandum, sufficere possent. Inuenit quippe in ingressu suo incho antem Reformationem, quin & pars initiorum extitit in duodenario illo numero comprehensus, in quo primitus terminauere principia; attamen tantus elaborauit, tantosq; ac tam eximios mouit lapides, vt ad extremæ diei obitum sexdecim Collegia in vnum corpus mirificè compacta, & fœcundè coalescentia viderit, atq; reliquerit, quorum accessionem plurima ex parte ipse curasset negotiorum dexteritate mirabili, & in arduis superandis constantia nusquam attrita. Quid verò remorari poterat virum suapte genio ardentissimum, suaq; conscientia tutissimum, quem enixè principibus viris commendaret generis nobilitas, nataliumq; splendor? Animi pietas, fidele religionis obsequium alas adiungebant peruolanti, & dum socij plura desferrent eius prudentiæ, atq; auctoritati, ipse tantorum adiutus precibus, atq; consilio, prosiliebat in medium confidentius, suadebatq; Ordinis decus, & obtinebat Congregationis ornamenta. Inter aulicos Insubrum Reguli Papiæ tum sedem habentis à spiritu Dei inuenitur oleo præuentionis per Bartholomæi Columnij ora effuso. Luxu diffluebat & delicijs in lauta rerum omnium vbertate, præsertim gratia Principis florens super quoscunq; æquales. Nil præter pompam, superbasq; effusiones meditanti, & exequenti repentinæ omninò extitere aggressiones, quas nec admissuras vnquã primo molimine crederet. Verum cum fortius e suggestu sanctissimus Orator urgeret uitæ emendationem in populo vitia procerum conuitiatus; sermo ille, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti, ac velut maleus conterens petras, veterem hominem ab eius corde exuit, atq; perfusum in lachrymas ad altiora produxit rerum cogitata. Hinc eodem subministratore sub equestri sago per aliquot menses occuluit cilicia, quibus & caro edomare-

maretur, & fideles redditi sensus inchoarent nouum militiæ genus, donec Frigdionaria solitudo per anticipantes viros pararetur ad reformatum vitæ Canonicæ genus. Obstupuit aula cum virum talia elegisse sensit, recepit verò Prior Columnius præ spiritus teneritudine ore ad gaudia lachrymabundo, dum ex formula illum paupere lino vestiret. Tres vna die ab vnisq; sacrificantis manibus eadem recepere Ordinis insignia, alias quoq; susim nominati, quorum vitæ sanctimoniam, ipsa de cælo sydera monstrauere, quorum vberes fructus & dies pijssimè consumati,& adiecti hinc inde Congregationi palmites comprobare. Perdomuit solitudo, exercuitq; feruidos naturæ negotiorum omnium capacissimæ igniculos, sæcularia pectoris in arctiores formas redigens, cruda digerens, male cocta recoquens, pessundansue quodcunq; in rectæ perfectionis statu admitti nequibat. Quare cum primum maturato nouo Religionis homine emissus est, vt reflorentem Rempublicam administraret; egit penè mirabilia. Exordium operum eius enituit in vniendis insimul Canonijs Frigdionariana propè Lucam, Donica apud Veronam, Victorina, & Montensi Bononiensibus; tum enim ipse Primum Rectorem Generalem, hoc est Frigdionarium agebat. Et quamuis propè imposibile videretur tanto locorum spatio disſita, tot moribus diuersa labentibus in vnum compingere, præsertim cum Diœcesanorum Episcoporum fauorabiles voluntates exigerentur; tamen eluxit viro optimo constans illa firmitas, florensq; diuinæ spei promptitudo, quę inaccessa penitus plana redderet, ad optatumq; finem vnionem, item & postremè nominatarum Reformationem perduceret. Tabulę publicitus super tam insignibus conatibus Bononię confectę anno decimo septimo currentis illius sæculi per manum Marci Rainaldi Episcopalis Cancellarii,vt facti seriem pręseferunt, Petrum Ridum viro collegam manifestant; sic insigniore prærogatiua Galdinum Dominum Domnum appellant, quod perrarum erat eius cui stipulatoribus tabularijs, ad insinuādum natalium eius splendorem conspicuum, & prudentię in rebus gerendis eminentiam. Biennio dehinc interposito, cum iam Tertium Generalis Rector renunciatus esset, memorabilem illam administrauit, perfecitue accessionem, qua Congregationi vnitum est Portuense apud Rauennates illustre Cęnobium. Diruebant quidem cum parietibus loci vniuersa, antiquitate, bello, rapinis, iniquitate sęculorum vexata, nec longè distabant ab interritu, superstitibus vix incluso Priore duobus Canonicis. Minus tamen isthęc animum viri protriuere, vt fermè dicas menti eius cęlestem aliquam irradiationem effulsisse,per quam futura prospiceret. Dum enim reformationem loci, personarumq; nisibus tentauit omnimodis, vt tam insigne Canonicorum Regularium domiciliū, Congregationisq; vnius aliquando percelebre caput reflroreret; summo pręuidentis sapientiæ lumine (si non altius) Dei, Matrisq; Virginis gloriam

in successoribus Canonicis emensus est, vt exitus ipse post non modica pauperum initiorum discrimina demonstrauit, præsensq; cernit ætas. Per se ipsum loci possessionem adiuit, illam tradente Hieronymo Ariminensi Episcopo Apostolicarum literarum Martini Quinti executore. Opizzonem Polentanum Rauennæ Dominum strenuũ habuit adiutorem ad hæc pluraq; alia religiosè concludenda, apud quem auctoritate viguit per virę austeritatem, & non vulgarem eloquentiam conciliata. Id verò potissimum claruit in recuperatione ædium Mantuanarum Diui Apostoli cute exuti, quæ cum ad Congregationem antiquam Portuensem attinerent, eiusq; iuris essent, à Commendatarijs oppignoratæ, adiuuante, fideiussionemq; pręstante eodem Opizzone pro prędijs à creditoribus redimendis per nostros reobtentę fuerunt ob summam Bardij diligentiam, eximiosue conatus. Nec minora pręstitit mediantibus Pandulfo, Caroloq; Malatestis Arimini, & Brixię Dominis, quos adiutores strenuos habuit, quorumq; opera consilio, protectione, & opibus euectus peruia experiebatur quamplurima, alioqui inaccessa. Testantur id veteres Canonię Diui Saluatoris propè Brixiam, Diuiq; Lazari propè Ariminum ab illo recuperatę, reformatę, nostrisq; vnitæ hominibus. Testatur & Diui Benedicti Placentiæ illustre Monasterium, dudum celebre Monacorum domicilium, quod temporum peruersitate in bestiarum catabulum deformatum, Iuliano de Cæsarinis Cardinali amplissimo exorante, & intercedente, Brandaq; Castellioneo Mediolanensi Cardinali Episcopo Commendatario cedente, piæq; memoriæ Eugenio Quarto permittente, & concedente; tanti Patris virtute, sedulitate, Sanctimonia in priores formas, pristinumq; decus intra paucos annos restitutum est. Cum iam quintum Præfecturam supremam in Ordine gereret bonis operibus plenissimus, licet non ita dierum, austeritate vitæ, rerumq; sarcina pręgrauatus diem extremum sanctè obijt quarta decima die Martij, in cuius locum paulo post suffectus est Thomas Cremonensis Rector Generalis XIV. Sequutus est lucratorem suum Bartholomæum Columnam non adhuc expleto triennio primus ex socijs, superstite relicto Congregationi à se prædilectæ Leonardo Fratre. Omnium lachrymis sublatus est post adeptum Sancti Clementis propè Venetias antiquum Canonicorum Regularium Monasterium tanquam postremum operum suorum pignus. Vniuersa illorum temporum Acta Synodalia Galdinum inclamant.

Scripsit.

De non dimittendis semel aditis Canonijs Opusculum luculentum, & solidum, in quo sanctimoniam vitæ politico gubernio mirabiliter copulatam legitimè est admirari. Seruatur manuscrip. Lib. 2.

Leo-

Leonardi Sarctij Bargæi.

Vltima cur tibi nam sedes, atque iam Barde charta?
Habesq; laudes carminis supremas.
Cur non prima tibi laus? cum sis primus ordo,
Iunctusq; primis gloriæ triumphis,
Inter bis senos celebrat quos clara fama Patres;
Defertq; sanctæ præmium Reformæ?
An quia donec erit tellus, dumq; astra fixa Cælo;
Piscesq; pontus nutriet, leonem
Sylua alet vnguipetum lustris ille cæca
Aut edit agnas, aut trahit iuuencos;
Quid tum? semper honosq; tuus, laudesq; vbiq; viuent;
Canentq; tristes vltimum sorores.
At prius in propria spectabis mole tu sepultos,
Ludentq; tantos machinæ labores,
Quam tegat obscuro te obliuio cæca sub sopore;
Aut dente, turres quo ruunt superbæ,
Vltimus illæsus ridebis strata saxa terris,
Nec te præsumet mors, fabulæq; Manes.



GASPAR PASTERINVS BONONIENSIS.





X elucidationibus L. Ioannis Trulli Aragonij ad Philippum Secundum Hispaniarum Regem editis anno eo, quo ad Echinadas Insulas Ottomanica classis feliciſſimè per nostros deleta eſt; Canonico Ordini quamplurimum decoris in hominum luce obuenit; & acceſſio non modica ad inflammandam probitatem virorum talis instituti facta eſt. Id e ſuprema ſpecula commiſsi ſibi gregis attendens Camillus Beccius Caſalenſis, qua erat in ſuos animatus pietate, diligentia, ſedulitate, vt pretioſiores huiuſmodi margaritæ, quæ ſolis Hiſpanis hominibus proſtare videbantur, communes & Italis fierent complanatiore via; duos ex proprijs Canonicis Theologos deputauit, qui vniuerſo opere diligenter conſiderato typis nouis prodeſſent, & præeſſent. Nec mouere à propoſito virum lapſus, qui non pauci ex humana imbecillitate in eo referebantur ex malis fontibus hauſti Ambroſij de Chora circa ſinceritatem veritatis hiſtoricæ, & in propriæ Congregationis aliquale præiudicium; quando multo plura abſq; comparatione beneficia, atq; commoda inde prouentura confidentisſimè ominaretur, quod ſperandum maximè ſe offerebat ex operis eruditione, & animorum religione, atq; candore. Perluſtrando volumini aſsignati fuere Hercules Mamellinus, dudum primus Tyrocinij noſtri director pijsſimus, atq; ſanctisſimus apud Archipresbyteratum Diuæ Virginis de Monte Bello, quem amoris, honoris, & gratitudinis ergo nominatum volo; atq; Gaſpar Paſterinus utriq; Bononienſes uiri illuſtres, ac de omni re literaria optimè meriti. Verum Mamellino poſt aliquot dies ad alia tranſlato, oneris, & honoris totius moles ad Gaſparem deuoluta eſt. Hic ſolertisſimè rem totam curauit ea animi compoſitione, quam ex ipſiuſmet uerbis ad prædictum Reuerendisſimum Beccium perſcriptis dignius repręſentandam putamus. Ego, inquit, quo potui emendatiori prælo excudpi curaui, ut perilluſtris Religionis noſtræ Canonici, cæteriq; Deo addicti Regulares uberiores fructus inde colligere ualerent. In eo enim ueluti in ſpeculo quodam uultus ſui ſpeciem, inculpatæq; uitę imaginem poterunt contemplari. Oculis itaq; noſtris, iuxta Sanctisſimi Gregorij proloquium, quaſi quoddam ſpeculum opponitur, ut interior noſtra facies in

ipſo

ipſo uideatur opere. Hic etenim fœda, pulchra noſtra facilè cognoſcemus, hic utiq; experiemur quantum in dies proficimus, hic à profectu quam longè diſtamus. Proinde, Reuerendisſime Pater, cum omnia tua conſilia ad Deum relata nihil aliud ſpectent, quam cęleſtes diuitias, uirtutumq; theſauros: faxit Diuina clementia,ut opus regiè inſtructum prę manibus dic, noctuq; tua asſiduitate habentes, excellentiori typographia conſulgeat in morum honeſtate, & perfectione, quam in hac ipſa impreſſorum cęlatura, & editione. Hæc ille. Cæterum erat Gaſpar ad omnem ſcientificam prouinciam arte, naturaq; propenſisſimus, qui pertinaci ſtudio euolutis omnium ferè doctrinarum optimis auctoribus, tantas eruditionis opes cumulaſſet, ut inter pręcipuos conterraneos ditisſimus crederetur, & pręſentisſima ſemper numerata intellectuali pecunia campſor optimus appareret. In ſcribendo tamen moroſa quadam tarditate, & ſemper cunctabundus, ſerò, uel nunquam, niſi ſumma necesſitate laceſſitus, animum ad enutriendam poſteritatem applicuit. Florebant tum temporis ex Bononienſibus parum inter ſe ætate diſcreti Florianus Nanius, Paulus de Grasſis, Petrus Bonſignorius, & alij nonnulli, quos tamen in adminiſtranda Republica ipſe auctoritate præibat,non dignitate. Seuerioris nanque ſectator diſcipli- & in compeſcendis moribus dilabentibus præpotens, approbationem ſortiebatur commēdatisſimam apud ſupremos Magiſtratus;maximè verò quod pręiret exemplo,quos extimulabat verbis,& ſobria quadam dicendi fœcunditate. Honos etiam ætatis ſicut illum aliquibus poſteriorem agebat, ita quoq: alijs anteriorem declarabat adiecta maximè rerum experientia mirifica,ſecundum quam Principibus viris, egregiè probabatur, admiſſus non modo ad propria monaſteriorum pertractanda, ſed & ad intima quęq: adhibitus conſilia, in ijs pręſertim, quę interiorem reſpiciebant hominem. In concionibus popularem quandam dicendi formulam ſecutus, dum ſolida vigeret ætate, minora literarum ſapere videbatur, ſed maiora pietatis, qui propterea ſe deijceret ad minima vtpote maiori hominum numero, & acceſſibiliora, & penetrabiliora. Neque tamen, experimento poſtmodum diuturniore cognitus, de opinione ſolidiora quęrentium dilapſus eſt, qui ſanctam quandam illam ſimplicitatem ſtudio maioris fructus admiſſam proſpiciebant. Porrò declinanti iam ad ſenium, gubernijſq; totaliter occupato quieſcere à ſuggeſtu neceſsum fuit,eo præſertim quod aduerſa tētaretur valetudine. Verum quod abſtulit verbi miniſtrationi totum contulit orationi, frequentiore vſu huius compenſans deceſſum ab illa. In hac verò parte mirus euaſit familijs illis, quibus pręfuit ex comitiorum deputatione nunc Abbas Sancti Anſani Spoletani, nunc Diui prædilecti Euangeliſtę Bononię, nunc Archipresbyter Montisbellij.

L.Ioan. Trulli Aragonij De Ord. Canonic. Reg. Lib. jv. Bononiæ apud Rosſium.

GAS-

GASPAR SCOTTVS PLACENTINVS.





MBIGENDVM nullo quidem modo eſt, eorum animos incendi protinus ad digladiandum tanta pro gloria, cum illis, qui flagrant, atq; ſuſpirant pro regno cęleſti (quod viribus niſi maximis, infractiſq; lacertis acquiri poteſt) eorum proferuntur exempla, qui dimicando fortiſſimè victores euaſere, & eius deuicti, triumphatiq; regni municipatum tenuere. Sed neque eſt omninò difficile, vt qui ſegniores etiã torpent, cum fortiſſimos aliquos præuadentes in prælium, & primos impauidè ſe obiectantes periculis inſpexerint, ſurgentes illos ſubſequantur quanta vi poſſunt, quod non ſolum eſt proprium bellicæ artis, & hominum, qui ratione aguntur, atque conſilio; ſed cæteris quoque in animantibus prudentiæ expertibus animaduertitur ſæpè, ſic eſt in cunctis efficax, & prouocatrix imitatio. Ita quidem, qui felicibus coaleſcentis Eccleſiæ temporibus primi extitere Chriſtiani: immò & Chriſtianorum ipſorum tortores tanta inſpectantes magnæ, & admirandæ virtutis opera, ſi quam charitatis ſcintillam habuere, ſtatim efferbuerunt; ſin nullam verò prius habebant, inde aliquam compararunt. Atque hoc quidem modo præclarè actum eſſe cum viro, ad cuius refricandam memoriam accedimus, quæ ſubſequentur edicent breuiter. Ab Calixti Furnerij obitu anno propè quinto, inſtauraturus tanti viri venerandam virtutem, ſubſtituitur focis Laterani Placentinis Gaſpar Scottus. Numen propitium grandem ſubrogationem egit: neque enim ea brachij minoris erat. Quis nanque virum ætatis flore, nobilitatiſq; prærogatiua conſpicuum, doctoratus iam trabea inſignitum, atq; medias inter vndas mundanarum voluptatum naufraganti proximum ad veræ ſalutis portum reducem perpuliſſet, præterquam vna aura cæleſtis illa, quæ quacunq; ſpiret haud ſpirat inanis? Tutuderat ſæpius Calixtus, cum viueret, vocis tonitru familiarem adoleſcentiam, reluctantemq; magè, vt abduceret ab nimium prolabente ſemita ſenſuum, quam vt receſſum Religionis inſtillaret; ſed euentu illo, qui ad ociorem perniciem luxuriaretur. Auctus autem ætate inter cętera ludum alearum deperiens regionem vniuerſam excurrebat, compares vt aſſequeretur colluſores, victoria æque, atq; amiſſione proteruiens, lætus, ac contumax. Cæterum pręſtat vocationis eius

exor-

exordia,& progressiones ab illius ipso ore haurire singillatim in epistola operis, quod infra reddemus, ad Rosciunı Generalem. Cum post viginti tres, inquit, & eo amplius annos, in omni peccatorum sorde miserabiliter insumptos, diuinæ placuit benignitati, quæ me segregauit ex vtero matris meæ, finesq; circumscripsit immensæ malitiæ meæ, vltra quos vel inuita non progrederetur: vt eò copiosiorem ostenderet in me verè peccatorum primo, immò vnico omni sorte peccati, supereffluentis gratiæ suæ misericordiam, quò dirioribus eum, atq; inauditis sexcenties, atque infinitis propè vicibus cruci affixeram peccatis, ad suum dulce me pertrahere iugum; transmissus fui Reuerendissime Pater, ac mihi in Christo obseruandissime, non ita multo post Cremonam, sanctissimi, ac plane diuini Patris Seraphini Cremonensis erudiendus sanctissimis institutis,ac moribus. Cuius è præstantissimi viri collocutione, monitisq; pijssimis: prout me semper ad heroicam virtutem, imitandaq; perfectissimorum exempla, nedum opere potissimum, sed & verbis admodum penetrantibus, quippe quæ ex fundo interiore prodibant Deo pleno, purgatissimoq; cohortabatur: cum Domini Patris Seraphini Firmani Canonici nostri Regularis sanctitatem simul, ac doctrinam admirabilem, quam ipse intimè cognouerat, intellexissem; contuli me ad legenda ipsius Patris, quæ scripsit spiritualia Opuscula. Quorum è lectione opusculorum, vix dici queat, quanto fuerim feruore succensus, quanta ea legerim, ac relegerim cum suauitate, quamq; mirum in modum proposuerim, diuino suffragante auxilio, quod opere ipse simul, & ore seu scripto docuerat,ipse quoque pro modulo meo operi mancipare. Hæc autem vt & amplius degustarem, altiusq; meditando operi mandare non desinerem, omneq; aliud derelinquerem studium, eidem placuit benignissimæ pietati tot me languoribus in dies magis confici, atq; prægrauari, vt & sensim, paulatimq; coactus fuerim cæteris omnibus renunciare, quæ aggredi mens erat, studijs, & occupationibus. Ita vt diuina super me facta manu, ingrauescentibusq; quotidie languoribus, nihil aliud ferè mihi superfuerit, cui me possem occupare, nihil aliud grauissimos inter externos, internosq; cruciatus, atq; derelictiores solatij, seu perfugij, quam huius assidua libri lectio, atque meditatio. Vnde cum maximam illius vtilitatem in dies magis opere deprehenderem, atq; sentirem,cœpit mihi mens esse mirabili succensa desiderio, vt non Italicis tantummodò hominibus, quibus ille propria eorum loquebatur lingua, sed & exteris quoque simul omnibus prodesse nationibus: immò & in Italia quoq; ipsa, illis qui Latina fortasse magis, quam materna eorum oblectarentur lectione. Cum maximè eodem in tempore sanctissimorum illorum, ac nunquam satis collaudatorum Coloniæ Agrippinensis Carthusiensium opera, qui antea Germanis tantummodo Germanicè loquebantur, nobis quoq; communicati essent

Dominus Ioannes Rusbrocchius Canonicus noster Regularis, & Dominus Ioannes Thaulerus præcellentissimi, planèq; singulares internæ vitę tractatores. Verum diuino ita disponente iudicio, vt & adhuc reliquis omnibus omissis, immò ipsa penè etiam destitutus omninò ob excedentem pręsertim capitis infirmitatem, viriumq; omnium derelictionem, crucemq; omniformem libri lectione (vt solet quos diligit castigare, crucisq; cum filio suo suspendio affigere) huic soli vacarem praxi, vitiorumq; meorum, quam ex libri hauseram lectione, extirpationi, factum est, vt quo magis hoc mihi semper increuit desiderium, eo & minus semper vires suppeditauerint. Ita vt octo ferè annos ingens, & incessans huius rei frustra me tenuerit desiderium. Quadriennio tamen antè cum e balneis Villensibus primò redijssem, licet nihilo adhuc magis conualuissem, increscente, glisce̅teq; mihi semper magis desiderio; decreui diuino inuocato numine (licet omninò me huic imparem oneri viderem) quid hac tandem in re possem, aggredi, atque experiri: nactoq; non inidonei vnius ex pueris, seu neophitis nostris cui reddat Dominus mercedem) scriptoris auxilio (nullo enim pacto ego pręsertim frigore constringente pressus, calamum manibus tenere potuissem) cœpi, vt melius poteram scribenti dictare. Qua in re licet innumeris penè me vicibus coegerint dolorum increscentes aculei inceptum opus abrumpere, deficiente memoria, caligante intellectus acie, totoq; atterito penitus,atq;omni ferè virium,ac sensuum vsu destituto corpore:tamen omissa interim, vbi minus sęuiebant dolores, repetens, quę effugerant recolens, intermissa restituens, maxima, Deo dante, pro parte absolui. Veruntamen cum ad finem minimè me posse perducere viderem, diuini ita arbitratus esse numinis, vt non tunc extrema ei manus imponeretur, edereturq; statui omnino supersedere, donec, si Deo esset placitum, recuperatis non nihil viribus, diuinæ agnoscerem esse voluntatis illud ad finem perduci, alijsq; communicari. Fluxere itaq; anni ferè quatuor, neq; ego melius habui. Cum tandem diuino ita disponenre numine, ex Hetruria in patriam reuersurus, Bononiaq; transiens, tecum nonnullos dies, quę tua est humanitas, & singularis beneuolentia, humanissimè sum commoratus. Quo in tempore exposuisti mihi, mentis tuæ esse, præter alia multa, quæ reformandę adhuc in melius religionis nostrę gratia in animo habes, atq; moliris, emendari, atq; in lucem edi denuo nonnulla Ordinis nostri Patrum, tum antiqua,tum recentiora monumenta: velle vt hac in re partes ego quoque meas pro virili obirem. Quod ego tanquam diuinitus tibi allatum verbum accipiens, aduenisseq; tempus illud ratus, quo & perficiendum, & edendum esset hoc qualecunq; opus meum; & si me adhuc pessimè haberem, prout & in præsenti habeo; nihilominus diuino fretus auxilio, spopondi excellentissima Patris Seraphini nostri Firmani Opuscula, quæ tanto iam cum animi ardore

apud

apud Hispanos in maternam eorum linguam fuere translata, sæpissimèq; iam prælo Salamanticę impressa cum maxima excellentissimorum tum Salamantinæ Academiæ professorum, tum & aliorum etiam collaudatione, prout verè sunt aurea, & nullo vnquam satis collaudata eloquio, in latinam linguam conuersurum, in omnem omnium omninò nationum commoditatem & in nostra etiam natione eorum, qui fortasse magis latina, quam materna eorum tametsi pulcherrima, oblectarentur lectione, emendaturumq; ea etiã in vulgari nostra lingua, in integrumq; restituturum, quæ corruptissima, ac lacera passim, maximo cum eorum, qui ea delectantur lectione, incommodo atq; offendiculo circumferuntur, ac tanti nedum viri, sed & ordinis simul nostri non modica cum iniuria, atq; dedecore. Placentiam itaq; regressus, cum nihilo melius haberem, maximaq; præsertim capitis infirmitate constringerer, diuino tamen inuocato auxilio, qui mortuos excitat, cuiq; nihil est factu impossibile, hoc quicquid iam tandem est operis Deo Optimo Maximo, cui soli omnis honor, & gloria, adiuuante, vt vides abolitum, cancellatum, repositum, intermissum, ad finem perduxi atque absolui. Tibi igitur Reuerendissime Pater, cuius potissimum hortatu ad finem perductus est hic liber, cuiusq; opera, & impensis in lucem prodibit in gratiam omnium salutem sitientium, prout & alia multa emittere in animo habes & tu, & qui iam bis eadem Ordinis præfectura honorificentissimè est perfunctus vir præstantissimus, ac planè sapientissimus, omniq; virtutum genere ornatissimus Marcus Antonius Bagarottus Abbas in præsenti meus optimus, studiosorumq; omnium verè Mecœnas; tibi inquam, quod tuum est iure transmitto; nominiq; tuo amplissimo iurè meritò nuncupatum, ac consecratum volo. Accipe igitur mi Pater lucubratiunculam hanc non meam quidem, sed illius, de quo initio memini, sanctissimi præceptoris mei. Illius est enim quod viuam (quod viuam inquam tantis in doloribus, ac pręssuris tum externis, tum internis: tantis inquam non re ipsa, sed vt mihi videtur imperfectissimo, minusq; crucem sitienti, peccataq; mea, præsertim præterita enormissima, totaq; Italia infinito cum scandalo vulgatissima, atque famosissima ponderanti: quas vtique illius absque post Deum fulcimento nunquam sustinere potuissem, siue didicissem) quod viuam, vt spero, in Dei gratia, erutus è Diaboli faucibus, quod sitiam, licet semiplenè, Christi vitam graphicè hic pictam imitari. Deum optimũ, Maximum, vt facis, tuis semper Pater optime obsecrare precibus non desine, vt quam mihi ostendit viam cum in D. Seraphini Firmani Opusculis, & doctrina, famaq; illustri, tum verò maximè in viuo illo exemplari Seraphini Cremonensis vitę crucifixæ: quod mihi vt contempler assiduè, & iuxtà illud me componam, est ostensum; sectari non desinam. Desidero enim (parcat, parcat quæso hic mihi Pater, humilitas hic cedat tua: non

enim possum quæ vidi,& sensi, & persensi expertus in fundo meo,soli Deo, eiusq; intimis amicis, ac verè familiaribus per eius Verbum accessibili, non loqui) desidero inquam, quod de Domino nostro Ioanne Rusbrochio, referente nostro pariter Thoma à Chempis, dicere solebat Magnus ille Gerardus, suorum & in præsenti, & in futuro sæculo fieri pedum scabellum. Siq; non alia superest tutior (prout verè hactenus sum expertus) hanc incedendi viam, omnemq; aliam sepiendi spinis, & tribulis ratio, quam vt hac maneam multiformi præssus Cruce dulcissima; illa dignetur suauissima sua ex benignitate me semper associare: sin minus, id fiat, quod suæ gratissimæ visum sit volontati. Aliud enim non mihi est cordi, quam vt eius semper sanctissimæ morem geram voluntati, & hic, & in æternitate omni. Vale, meq; iterum complectere, vt facis, penes Deum, tuis clarissimis cum Collegis Columbino præsertim Cremonensi præcipuo Religionis nostræ firmamento, cui debeo, æternumq; debebo, quod fęlicissimis eius sub auspicis, ac sacro ducatu, ipso nempe Abbate, tali ac tanto dignatus sum præceptore: præter alia innumera cum corporis, tum verò animę totos octo annos mihi impensa beneficia, prout & illis debeo, ęternumq; debebo omnibus, qui prętertim me labentem quotidie, & ad barathrum infinito meo peccati pondere, malitiaq; planè Luciferina tendentem (non enim alio possum loqui, Pater mi, modo: immò & arbitror longè me infra eam, quam sentio veritatem loqui: prout & norunt aliqui, & ego omnibus, si in rem esset, palam aperirem: omnibusq; vt spero, magno meo cum gaudio reuelabit Dominus in die iudicij) suis ipsi penes Deum ęstuantissimis orationibus, ac meritis in Christo Crucifixo sustinent, atq; fulciunt. Datum Placentię in cænobio nostro Diuo Patri Augustino sacro, ipso supergloriosissimę Deiparę Virgini ad Niues sacro die, cui etiam prę cæteris Sanctorũ intimè me commendari semper desidero, prout prę cęteris eam omnibus Sanctis offendi semper vir ego spurcissimus, omniq; immunditiæ genere sordidatissimus, atque aleator tota Italia famosissimus. Anno 1569. Porrò lubuit tantam epistolam ex integro producere, vt quantus is vir esset, suo ipso appareret collineatus penicillo. Quis enim maximam non agnoscat in ea viri humilitatem, admirabilem in doloribus tollerantiam, perexcellentem erratorum contritionem, & perfectam in Christo Deo sui resignationem? Eructabat autem quod altè biberat. Deus optime similem nobis impertitor omninò spiritum, eandem largire imitationis sanctæ gratiam. Sacram igitur Ordinis Cottam Placentiæ induit anno quinquagesimo septimo supra sesquimillesimum, indeq; Cremonam transmittitur ad formam Canonicam figurandus per sanctissimi Seraphini Cremonensis piam eruditionem Columbino Rapario loci Præsule. Inungitur ibi fæcundiore spiritus pinguedine per varias ab alto immissas ægretudines, quibus donatur dome-

domesticum præbere incolatum, donec in terram, de qua sumptus est, reuertitur, quod est tricennariam penè societatem dicere. Peruicit admirabilis patientia virus, vimq; attrocissimam, alioqui suoptè natura tenuuior compage, & complexione languidior. Studium perfectionis, quo prolixè accendebatur, in bonum vertebat vniuersa, & feruidior salutis cupiditas martyrij familiaris spem nutriebat. Hinc nunquam sibi ius dictum voluit, vt aliquando vel studia, vel exercitia Ordinis assueta ad plenum seponeret: atque ideo per communes semitas ex iuris prudentia ad penetralia Naturalis, Sanctæq; Philosophiæ perrexit, laureaq; decoratur, quorum ministerio Sacrorum Voluminum, Diuinorumq; Patrum latices prælibaret. Quantum verò talentorum æternus illi distributor contulerit, deuotissima illa, quibus calamo inseruiuit præloquuntur. Nulla omninò ex parte infæcundior in eo manus super papyro, quam lingua super suggestu alio cuiuis declamatori fuit. Licet autem lucubrationes assiduus peruolutaret præcipuorum Sacrosanctę Religionis Doctorum, quantum vis morbosa permitteret; illas tamen in delicijs assumebat post octo priora Græcæ, Latineq; Ecclesiæ lumina, quæ Theologiam tractarent Affectiuam, siue in Purgatiuis, siue in Perfectiuis, siue in Vnitiuis insisterent, Dionysios Arcopagitam, & Chartusianum, Ioannes Cassianum, Rusbrochium, Thaulerum, Gersonem, Thomam Kempensem, Henricum Harphium, Lanspergium, Titelmanum, Ferrum, aliosq; illuminatissimos. Opus, cui se primum addixit totum, Versio extitit Operum Beatæ memoriæ Seraphini de Portis Firmani, vt ex præadducta Epistola liquet; ita tamen vt talis ferè versio non mera, & simplex versio sit, sed simul aliquando & Paraphrasis quoque, ex ipsius tamen semper se ipsum dilucidantis Auctoris alijs in locis verborum, atque sententiarum collatione elicita, atq; desumpta. Huic adiecit proximè Diuorum Ordinis Canonici præcipuorum sub Aurelio Augustino Antesignano Vitas, quas in Diuinis Officijs celebrandis Congregatio haberet Pio Quinto Pontifice approbante per suas anulo piscatoris obsignatas epistolas. In ijs verò secernendis ex historica veritate, prolixitate, & ad sacrum ritum redigendis laborem adhibuit penè inexplicabilem, prout penè & opus inextricabile videbatur. Quamuis enim ad illam vsque diem Ordo solemnitates illas celebrasset sub proprijs lectionibus; tamen Sacræ Tridentinæ Synodi decreto superueniente, nouoq; lumine desuper Ecclesiasticis immisso rebus, decuit vniuersa ad subtiliorem incudem reuocare, ad exactioremue formam Romanarum Breuiarij precum exornare. Sed in viro tam multiplici ægretudinum flagello visitato quis non obstupescat tantam lectionem, tamq; iugem historicorum voluminum volutationem? vt scilicet duplicaretur ei palma ad coronam duplicis patientiæ merito. Ab ijs digreditur ad Italica facienda Ioannis Thau-

Thauleri pijssima, & ardentissima Opuscula ex latino idiomate: quod enim sibi experiebatur summopere proficuum sanctissimi simul, atq; doctissimi Auctoris, illud idem & alijs exoptabat euenire; nimirum Dei spiritu in omnem se animam per lectionem feruentissimam diffundente: quod etiam per eadem tempora præstitit Alexander Strozza Florentinus Volateranorum Episcopus, vtroque illorum alterius conatuum inscio. Demum totas confert animę vires ad Beatæ Sanctimonialis Baptistæ Vernacciæ perlegendas Lucubrationes manuscriptas, in quibus cum digitum verè Dei inesse intelligeret, ex spiritali degustatione ad mentalem ascendens contemplationem, ab Cordis inflammatione in Deum vberiore motus, illarum primus editionem suadet. Dehinc summa circumspectione omnibus obseruatis, addit eis opusculum singulare, in quo collatis locis ad loca complura declarat præfatæ Beatæ Sanctimonialis dicta; quę minus versaris in ea parte Theologię scrupulum aliquod inijcere potuissent: ad cuius præuiam lectionem quemq; suadet eruditissimus Antonius Posseuinus in Sacro suo Apparatu ad nomen Baptistæ Vernacciæ tanquam apprimè necessariam non modo ad capienda eiusdem sanctissimæ scriptricis inflammata sensa; verum etiam & ad Mystarum Contemplatiuæ percurrenda inoffenso pede volumina. Vt verò Summi Boni ignitus amor, proximiq; candida dilectio industrij sunt quam maximè, & ad nouas iugiter adinuentiones profectus spiritalis aspirant, prædicta omnia inexplebile benè agendi desiderium in viro optimo minus saturabant. Hinc semimortuus corpore, sed viuidus ac perpetim florens spiritu ad subsellia conuolabat auricularis confessionis, in quibus dies penè integros absumebat à quauis procul refectione, reconciliandis Deo peccatoribus per sacramentalis pœnitentiæ administrationem semper intentus. Hæc dicebat pulpita sua, in his declamationes ab valetudine interdictas pro virili compensare, animasq; Cælo mercari. Profectò longè æquius, cum procul à quouis periculo popularis auræ, à plausibusq; fauorabilis susurrationis soli vacaret charitati. Sacros quęstus indicant Clara Bergontia, Andronica Anguisola, Cornelia Piouana, aliæq; nonnullæ sanctimoniæ non fucatæ sectatrices, quarum memoria semper in benedictione erit apud omnem posteritatem: illo nanq; directore, ac Patre spiritus ad perfectionis ideam aspirare, alijsq; matronarum exemplar extitere intaminatum. Præ cæteris verò quantus in hac parte fuerit, nobilis declarat ad religionem accessio Petri Francisci Palastrelli Legum Doctoris eximij, cuius in Sanctiore vita laudes ministerio omnis omninò calami maiores sunt. Quippe Gaspar ad affinis secundum carnem, & ad filij secundum spiritum salutem intentus in tuto ponendam pro viribus, Genuam vsq; perexit illo potissimum tempore, quo ab medicis desperata salus eius assereretur, vt conuenta Sancta Virgine Baptista Vernaccia, & vna cum illa communicatis charita-

charitatis consilijs vxori Petri Francisci locum, & habitum deprecaretur in eo ipso Gratiarum Monasterio : quod non absq; superioris virtutis euidenti adminiculo operatum esse ob plurima, quę salutariter accidere, alibi prosequemur latius. Vixit posthęc Gaspar ad triennium, auctusq; in dies ęgritudinibus,ac merito exemplaris tollerantię sanctissimo tandem fine quieuit vix quinquagenario maior relictis semitarum sequacibus non obscuris.

Sunt quę scripsit.

Operum Spiritualium Seraphini de Portis Firmani versio in Latinam Linguam adiectis nonnullis praenotionibus, Ad Archangelum Rossium Generalem. Placentiae apud Vincentium Comitem Anno 1570.

Vitae, seu officia Sanctorum Canonicorum Regularium ad Marcum Antonium Bagarottum Generalem, Placentiae 1570.

Operum Spiritualium Ioannis Thauleri versio in Italicam linguam ex latino idiomate, Placentiae apud Vincentium Comitem Anno 1568.

Opusculum, in quo collatis locis ad loca complura declarat dicta operum Sanctimonialis Baptistae Vernacciae. Continet Opusculum Decem doctissimas praenotiones, & Nouem conclusiones. Editum est in prima volumine operum eiusdem Baptistae post Gasparis obitum ab Dionysio Capretta ad Nicolaum Sfondratum Cardinalem & Episcopum Cremonae. Venetijs apud haeredes Francisci Zilietti Anno 1587.

GEOR-

GEORGIVS CAMPVS VERCELLENSIS.





NNVS postremus superioris sæculi dedit inter plures alios diuersarum prouinciarum, & nationum Congregationi ex Ciuitate Vercellarũ Ioannem Baptistam Campum, Paulum Franciscum Manfredium, Ferdinandumq;Bulgarum adolescentes indolis egregię.Inter hos eluxit ex primo loco Cãpus per singularia Dei,naturæq; dona. Cum ad tesseræ Canonialis impositionẽ exueret cum vetere homine vetus quoque nomen, Georgius appellatus est, functurus eodem sanctissimi dudum equitis munere in virulentum baratri draconem virgini animæ ex instituto perditè insidiantem. Antistitis Rouescalæ iure, zeloq; vigilanti in prima rudimenta assumptæ militiæ exercitus est præfinito tyrocinio ad summum vsq; consumationis Regularis. Molle, cereumq; ad bona omnia genium exercitatoribus,magistrisue rem nullam fecit: ferebat animus ipse volentem ad ardua quæque, cui frænum magis inijcerent illi, quam stimulum adhiberent, vt sensim coorta, adeptaue, & altius radicata, diutius, hoc est ad extremam vsq; diem perdurarent. Permittitur Dialecticis addiscendis post emissas solemnes pollicitationes, non ita sucto exemplo; tum quia spiritui haud futurum impedimento scholam in summo illo æstu pietatis signa omnia prædicerent, tum quia benè dolatus per humaniores disciplinas animus torpere absq; prosecutione videretur. Dignos tanta præmunitione præceptores inuenit Camillum de Alegrettis Bergomensem,& Honoratum Robertum Iuuenatensem Philosophos, ac Petrum Nicolaum Lucensem, Gabrielemq;Pennottum Nouariensem Theologos. Viridarianæ Vniuersitatis donum doctoratus tentatiua habuit, thęsibusq; palam defensis vicissim dignas rependit grates, cum excellenter locatam operam, opesq; magnificè insumptas similia publica experimenta doceant. In album illorum, qui suoptè officio concionibus habendis dantur, adscribunt Comitia Ordinis sub Bonsignorio electo Generali. Pauca egit in eo genere, licet plura mente, linguaq; valeret: quoniam debilior stomacus, lentaq; illium firmitas, & vocis lenis mansuetudo minus permitterent ad grandia assurgere. Si quando tulit occasio, vt aliquid concitatione non indigens oraret;mellifluus stetit pro concione. In ijs præsertim, quæ pateticam dictionem exquirebant,

& pro-

& profitebantur, emicuit. Thaidem ex prophanis amoribus ad sacros conuersam pro scena & Patauij, & Ticini habitam, in qua defluentis, pœnitentisq; personam is tulit, adhuc testem vnam in ciuitatum illarum memoria vigentem inuocamus cuius ministerio plures conuersi, Deoq; conciliati sunt ex nobilioribus, quam ab multiplici concionatore in non vnis maioribus ieiunijs vix excitari queant. Quidem nos ad catastrophem posterioris recitationis vidimus, quæ fidem, si narrentur, vix teneant. Vineæ tamen Domini vtcumq; potuit operam non fraudauit ex minoribus speculis classicum spiritale bucinans, & ab rudioribus turbis quærens seponere sibi aliquid in tabulis dati, & recepti cum Deo. Quotos vixit annos ab innunctione Sacerdotali, totos pagis, oppidisq; oppignerauit per cineres ad festa vsq; paschalia, in delitijsq; ducebat fermè repuerascere, vt catechismo necessario ditaret nomine tenus ex inscitia fideles. Et licet aliquando maiora pertractanda accederent, illa aut respuebat omninò, aut per quatuor illas dierum decades ex permissu superiorum seponebat. Qui Ordini præerant, vt prædisponeret agnitam probitatem Reipublicæ oneribus subeundis, cuius fulcirentur successione, Abbatiæ Vercellensis Vicarium decreuerunt. Guido quoque Ferrerius Messerani Princeps, sub cuius ditione in oppido Crepacorij cõtigerat ei vsura vitę frui, à sacris illum confessionibus, dehinc, & à prædicationibus sibi elegit: quin & paulò post cum Romam adire ab arduis dictionis negotijs cogeretur, vt & secum iret, quamuis ægrè, obtinuit Consultoris, & Theologi ornatus officio. Neutra tamen occupationum harum, aut similes abduxerunt virum à prædicto munere agendi cum rudioribus, agrestibusq; sibi enim semper reseruatum voluit illorum dierum ius. Sed & vitam si diù superstitem habuisset, vt in eo se totum munere immergeret contingebat: Nam cum ab Maletto Præfecto quæsisset sibi licere, vt qualibet die festiua rudimenta Christianæ fidei edoceret villulas excurrendo Canoniæ subiectas, nec obtinuisset; imperata abstinentia ardentior sobriè factus concupita aliquando exorasset. Mors illum sustulit in tempore non suo, cum vixisset ad ætatem plenitudinis Christi; satis fœliciter tamen, qui præiuit domesticorum sanguinis infortunia ab ijs exorta, à quibus minus ille formidasset, aut fortè illo superstite aueruncata fuissent. Scripsit

De Viridarianis visitationibus Ad Celsum Dugnanum Generalem Patauij apud Laurentium Pasquatum Anno

Solliloquiorum Sacerdotis libros duos ante, & post sacrificium, Italicè ad Mercurinum Gattinariam Comitem apud Andream Viatum. Lib. 1.

GEORGIVS VEDANVS VERCELLENSIS.





EORGIO Vedano Vercellensi inter viuos agenti præfecturas omnes detulit illa ipsa Lateranensis Congregatio, quæ seueræ censuræ iudicio semper composita, nec vnquam immeritis adulatrix, plura desiderare vel ex suis primordijs consueuit in Magistratibus suis, quam fortè alia quæuis Respublica Regularis. Eidem quoq; post tam plures annos tumulato florentem conseruat decorem, & nominis verè plausibilem famam. Ipse verò per omnes gradus ordinatim ad apicem domesticorum honorum conscensus, & omnes omnium personarum ærumnas, atq; commoda expertus, operibus ijs inhæsit, quæ non interiturum eum etiam post obitum repromitterent. Longa annorum suppellex, maior doctrinarum, maxima experientiæ reddit virum vsquequaq; nostris spectabilem, & qui suopte genio paucorum negotiorum erat, omnium factus est. Hinc enim certam illam præsagitionem sibi comparauit, qua ex solo intuitu, quasi numine quopiam afflatus esset, prænunciabat imminentia aliquando pericula. Id autem vnico tantum exemplo hic declarasse sat erit. Iosepho enim Vercellensi viro inter nostrates plurima scientia gymnasiorum claro prædixit mortifero præcipitio ad vnum aliquod tempus afficiendum. Nec defuit post aliqua annorum interualla prædictioni veritas. Ab mente nanq; destitutus per alicuius temporis spacium Placentiæ visus est, siue morbosi virus præiudicio, siue alia fortiore de causa; cum à lecto surgens, seniliaq; membra vix humi reptans furore magis percitus, quam viribus animatus, se e fenestra ad ima deiecit. Sed qui Angelis suis mandauit hominum custodiam; virum etiam innoxium à quacunq; offensione immunem reddidit, licet horrendo saltui non capitale modo periculum, sed & membrorum omnium minuta decompaginatio adhuc locum considerantibus protendatur. Antequam habitu Canonico Georgius honestaretur probitatis cuiusdam naturalis specimina præsetulerat non leuia, quæ ab magno illo Patre Gratiano de Bugellis obseruata, viam spiritualis vitæ iuueni frugiferam futuram præindicarunt. Suasionibus ardentibus præcordia aperuit ille, atq; exorato, obtentoq; nosttorum consortio puritatis semitas excoluit vsq; ad assem, quæ veluti vehicula doctrinarum extitere non prorsus absq; miracu-

lo

lo. Siquidem non modo propensionem speculabilibus se non habere ostendebat, sed & aduersam omninò habitudinem ingerebat, à qua raperetur ad simplicis cuiusdam vitæ, atq; latentis conditionem, imparatus promptitudini, & nullo viuidæ, acutæq; naturæ signo in ipsa etiam membrorum compage repræsentato. Vt verò ex Prælatorum obedientia studijs sectandis se dedidit, alter euadere visus est, atq; à priore illo naturali sopore raptim expergefieri, non labore, aut vigilijs (quibus tamen incubuit perquam viriliter) sed interna quadam genij se mutantis afflatione. Propterea ex octenni auditorio potioribus profitentibus nostrarum Academiarum præstito dimissus est laureatus, statimq; ad tyrones instituendos tam moribus, quam scientia electus. Ex minorum exordijs coronidem doctrinarum tenuit viginti annorum Magisterio functo. Vnus præ cæteris habitus est, qui locum concinis Riccardi in Tridentino Conuentu demortui supplere posset, ac vicem; ni conditioni negotiorum paucula quędam pro tempore considerabilia obstitissent, quę honorem deputationis vna omnium acclamatione assecuto profectionem distulere. Biennio post expletum Concilium in Visitatorem electus est Primum, vt qui particulares Canonias pridem gubernauerat nunc Abbas, nunc Prępositus, vniuersam ipsam Societatem lustrando de facie recognosceret. Tertium id muneris peregerat cum Epidimialis lues anno septuagesimo sexto post millesimum, & quingentesimum inclitas Italię Ciuitates depopulans, terroreq; mortis vniuersa replens, Generalem Ordinis celebrandū Conuentum interdixit, vetito videlicet nationum commercio, clausisq; per gubernatores populorum, ac per Principes itineribus. Quare ne vniuersitas per suspensam huiusmodi dilatiōnem detrimenti quidpiam pateretur, Pontificio indulto Synodus quædam Romæ permissa est in ædibus Sanctæ Matris de Pacē septendecim tantūmodo suffragantium, Rectoris nempè Generalis, ac collegarū Visitatorum resignandorum, decem Abbatum, atq; duorum Monasteria repræsentantiū, quos Socios capitulares nostri nominant, cū facultate vniuersi Capituli Generalis, secundum quam deuenire possent ad electionem quorumcunque Magistratuum. Ab huiusmodi congregatis ad apicem Generalis Rectoratus Georgius assumptus est, vna fermè ratione omnes impellente, vt is eligeretur, qui etiam absentium vota, desideria, approbationesq; merito suo, & nota virtute expleret. Sustinuit pro dignitate prouinciam temporibus ærumnosissimis, suisq; profuit, ac pręfuit plusquam affectu paterno: atq; cum resignandum ex consuetudine officium esset, sæuiente adhuc peste, pestisue timore, præcipuè Mediolani, Venetijsue, præcauens accessum suffragatorum ad congressum aut difficilem, aut impossibilem, ac propterea vel prauum, vel nullum futurum, ne acta synodalia inualiditatis, aut nullitatis notarentur, diplomate Apostolico sibi cautum fecit imperium differendi Capitu-

lum vltra tempus assuetum, atq; illud peragendi, absoluendiue iure pleno per eos, qui interesse quiuissent suppleta absentium vice. Is tamen fuit sedulitatis eius fauorabilis exitus, vt ex Prælatis vigintiquinq; & ex procuratoribus Canoniarum nouem conuenerint, concorditerq; vniuersa fuerint abundè peracta. Atq; hæc quidem ornamenta dignitatum viri fuere, ad quę probitate morum, doctrinæq; fructibus euectus est. Quamuis verò vberrimæ mentis muneribus donatus esset, stylum tamen scribendo nec per minima exercuit ex voluntaria electione. Solo supremę necessitatis impulsu paucula quędam, & adhuc obiter, atq; ex tempore exarauit. Cum enim Cęsar Baronius Soranus Congregationis Oratorij presbyter, needum ad apicem Cardineum euectus in notis eruditissimis Romano Martyrologio adiectis edidisset Sanctissimum Patriarcham Augustinum anno ętatis suę trigesimo sacro, salutariq; baptismate renatum fuisse; prænoscens ex viri doctissimi lapsu plurimum pręiudicij veritati, quod summè refert, Congregationiq; nostrę successu temporum enasci, pręinferriq; posse, arrepto calamo, rationibusq; confarcinatis perbreui libello in modum epistolæ longioris exarato, illum lapsus sui admonuit copiosè, & eruditè indicatis locis ex eodem Beatissimo Patre apertissimis, per quæ veritatis facem, ac faciem agnosceret. Ex quo ipsemet Baronius ingenuè postmodum in secunda eiusdem Martyrologij recussione, ac in editione Voluminis quarti Annalium sub num. 71. se retractauit: licet in aliud quodpiam extremum prolapsus iudicetur, dum non ex integro Vedani sententiam admisit, atq; codicem corrigendum iudicauit. Georgius maturo senio confectus diem Vercellis obijt. Est ergo eius ingenij fœtura manuscripta.

De vero Anno, quo Sanctissimus Pater Augustinus baptizatus est, Libellus in modum epistolæ ad Cæsarem Baronium postea Cardinalem scriptus. Lib. 1.

GEOR-

GREGORIVS BARBADICO VENETVS.





ARBADICAM gentem nobilissimam, & Venetos inter Patres praeclarissimam Canonico ordini affectam amore praecipuo post alia plurima declarauere quidem Marcus, & Augustinus Barbadici fratres Serenissimae eius Reipublicae quondam inclyti Duces fulgentissimaue lumina, qui mortalis carnis sarcinam voluere depositam apud eosdem Canonicos Diuae Virginis de Charitate, vt augustissima adhuc testantur, diùq; testabuntur mausolea, quae ibidem assurgunt caelaturae miracula. Sed adhuc illustrius dilectionem eam notiorem reddidit Gregorius ille, cuius memoriam posteris refricare hoc loci aggredimur, quippe qui nuncupata Deo Religionis vota ob restitutam ab mortali aegritudine incolumitatem perfecturus, praetulit Canonicam Sanctionem caeteris quibusque religiosae vitae dogmatibus, & Sodalitio eius adscriptus illam honestissimis vitae exemplis, intaminitatisq; doctrinae fulgoribus decorauit. Quo anno Vrbs Roma direpta est (funestam prorsus recordationem sub Borbonio duce) recepit ille in sui clientelam praedicationis officium, vel potius sub illius ipse patrocinio (quod foelix faustumq; fuit) se contulit. Nam vtrinq; subsecuta sunt commoda, & mutua bonae societatis beneficia. Quippe apostoli eam sarcinam in vehiculi modum, aut in plumae speciem ille habuit ad apicem Religionis attingendum, & ad matrem Rempublicam summo loco moderandam; & pariter vice versa sanctissimum munus ab illius ore vigilijsq; commendationem obtinuit qualem tempora bellorum perditissima ferebant. Licet enim ab debilibus initijs exordia sumpserit; paucos tamen intra annos maximas tenuit conciones. Initia verò exilia fuere, non quidem aut doctrinae, scientiaeue egestate, aut spiritus interioris inopia; sed seculi iniuria, qui cum haud multos admitteret praecones, hos terrebat nondum officium aggressos, illos deturbabat stadium ingressos, omnes vrgebat per arma fulgurantia, per tormentorum strepitus, perq; diras malorum debachationes, ad myriadum mensuram cursitantes. Verum enimuèro sensim ille emergens, & sensim quoque serena dies pacis nubilo dissidiorum succedens, factus est inter paucos acceptior, & vbicunque aut pede staret, aut voce inclamaret, attentus audiebatur, laudatus dimittebatur, cumulatus me-

latus meritò ditabatur. Locutionem Venetam ita Etrusco acommodauit candori, vt decorum in eam inuexisse primus ad ea tempora dici possit. Et licet Patritiorum eius Reipublicę genium esset procliue satis in retinenda prisci sermonis antiquitate, illaq; nō fortè perperam delectarētur osores nouitatum; probabant nihilominus in Ecclesiastico Oratore, quantumuis ex proprij ordinis sinu edito, studium excultę loquelæ, non modo de suggestu(quod in quolibet concionatore libenter admitterent)sed etiam in alijs quibuscunq; apud eos negotiationibus. In his verò prçualebat vbertim supra quoscunque siue intra Ordinem ageret, siue extra: primum quidem prudentiæ non vulgaris adminiculo, quæ vna lampas est præambula in actuosæ meandris; sed magis adhuc per summæ sagacitatis tramitem. Hinc ipsummet quandoque de se ipso dixisse relatum pluries à senioribus Seraphino Merlino, & Innocentio Gatto audiuimus, Nihil se acceptum naturę referre pręter animi sagacitatem, quam, citra philautiam, eam fuisse asseucrabat, vt nihil Canonico Ordini, nihil sibi priuatim magni obtigisset, quod prçscientia vel supra vices ferè humanas diù ante non attigisset. Ea propter intra ambitum annorum triginta vicissitudines pręlaturarum in se talis expressit, quales solent, qui de summa specula, vel de summę proxima prospiciunt. Per quadragesimas septendecim sacro codici facem prętulerat concionis, cum ab Generali conuentu Cremonę congregato Visitator censetur: & posito per huiusmodi exactam sarcinam veluti tyrocinio claui moderandi, Rector Generalis declaratur post quadriennium. Summam Ordinis sedem Tertium tenuit interiecto inter vtrasq; vices octenni spacio. Clarum autem magistratum, perenniue dignum memoria reddidere non modo eximia viri maiestas, & verè insularum digna, exactaq; in quoscunq; subditos charitas, secundum quam radios transmittebat nunc humanioris, nunc seuerioris imperij, nec non & illibatè seruata maiorum disciplina; sed & fęlices quoq; rerum ipsarum euentus. Nam sub prioribus eius fascibus lex Christi Domini, Euangelijq; lux per Canonicos nostros conuehitur ad Indos Francisco de Aiala Hispano Congregationis nostræ professo duce: atq; tantopere adspirauit Deus sanctè inchoatis, vt post annos decem in Capitulo Generali Rauennæ coacto lectæ fuerint literæ, quibus agebatur, vt eiusdem Synodi facultate idem Venerabilis Franciscus Vicarius Generalis institueretur in Insulis Indiarum tam nuper inuentis, quam inueniendis, cum potestate Monasteria Ordinis tam virorum, quam mulierum erigendi, & viros probos, ac religiosos de licentia suorum Superiorum illuc causa conuersionis Infidelium profectos recipiendi, congregandi, & gubernandi. Cum verò secundum idem munus obiret, Illustrissimi de Ferrerijs Messerani Principes in finibus Pedemontanorum, & Montisferrati in Congregationem egregiè animati, & de illa alias beneme-

riti Monasterium Sancti Benigni in eorum ditione positum Ordini obtulerunt: atque ideo Abbas Diui Andreę Vercellarum, & Præpositus Bugellanus Commissarij ad videndum, & transigendum deputantur: licet postmodum ij minus è re communi illud censentes, infectum negotium dimiserint. Demum sub postremo eius magistratu Beatissimus, semperq; felici memoria recolendus Pius Papa Quartus Mediceus diuturnam litem diremit qua Ordo Canonicus ab Monastico per tot annorum decades diuexatus fuerat, grandi illa sententia, per quam Canonicos Monacis præferendos decreuit, & per quam declarauit probatum in difficillimo iudicio fuisse, Frigdionarios Lateranenses verè, & nunquam interciso tramite ex antiquis illis esse, quos gloriosissimus Antistes, & Patriarcha Aurelius Augustinus Hippone Regio instituit. Dignum autem vt recolatur ex actis capitularibus talis postremi eius Rectoratus est, quod prima illa sessione ad nonum kal. Maias, qua dictus est Vicarius Generalis post resignationem Hieronymi Calini Brixiensis prædecessoris, præter antiquam Ordinis consuetudinem datis suffragijs Rector etiam Generalis vnanimi acclamatione renunciatus est. Id autem cum ideo actum dicatur, ne ex occasione Pontificij interregni aliquod detrimentum Cōgregatio ab dilatione subiret; & tamen Petri sedem per eos dies minus vacasse legamus, arbitramur, facta temporum supputatione, id accidisse ex publica fama post Accoltanam scelestissimam coniurationem diffusa. Porrò vniformem huiusmodi consensionem in illo ad solium maioris prefecturæ extollendo non aliundè exordia sumpsisse, quam ex illius laudatissima probitate scimus alias in ea dignitate, & in minoribus prælaturis demonstrata. Canonias namq; Venetam, Vicentinam, Veronensem, Rauennatem, Taruisinam moderatus, vbique insignia reliquit veri Antistitis documenta. Taruisino quidem præfuit Collegio post decessum Siluani iunioris electus Romæ die decima octaua septembris ab Marco Antonio Bagaroto Generali, & duobus Collegis Visitatoribus Constantio de Vecchis, & Sigismundo de Cremona: atque ideo opere pretium fuit abdicare se Prioratu Insulæ Sancti Clementis Venetiarum, quem sibi in speciem sacri secessus seposuerat ab anno tertio. Demum viam vniuersæ carnis ingreditur Abbas Sanctę Mariæ de Charitate anno sexagesimo octauo post millesimum quingentesimum. Narrabat nobis Vincentius Gonzaga dudum Abbas eiusdem Canoniæ reliquisse eum sequentes lucubrationes, quas & vidisse manuscriptas dum iunior esset referebat.

Commentariorum in Librum Ester Libros duos.
Commentariorum in Librum Iudith Libros duos.

GREGO-

GREGORIVS BRVNELLIVS
MEDIOLANENSIS.





X ijs, qui almæ Crucis Cæſenatum Canoniam incoluere, & Academiam per dies illos, in quibus Iacobus Certanus Philoſophus ab ea florebat, alter extitit Gregorius Brunellus Mediolanenſis, qui ab vltimo Minacienſi ad Rethos ſeceſſu acceſsum ad illam obtinuit eruditionis, qua calebat egregia, intuitu. Nil enim ſuauius ſibi dari poſse arbitrabatur is, qui tum familiam eam moderabatur Antiſtes, quam viris de literarum, & morum cultura benemerentibus ſinum aperire hilarem, atque beneuolum. Benè autem accedenti ceſsiſse (tam etſi non pariter recipienti) exitus ipſe comprobauit, cum inde ad honores, & officia Congregationis exordia illi patuerint; atque eodem receptore Abbatem Scalamontium, & Cęſarem Contarenum Archipræsbyterum exorante, Diui Præcurſoris Montani, ſuggeſtum Anconę, & pręclari Oppidi Portus maioris primum aſcenderit. Annus ſextus ſęculi, quod peruolamus, huius natiuitatem recepit, vigeſimus primus verò Lateranenſis illum armauit lorica clericali, Gabriele de Cittadinis Abbate viro notiſſimę probitatis ad aram maximam templi Paſſionis benedictam imponente. Dolabram exercuit ad animum adoleſcentis perpoliendum in ęquam complanationem morum Canonicalium Clemens Mortarienſis ſeuerioris diſciplinę aſsecla Prior, & Magiſter ad ſeſquiannum. Bonam ex paternis ędibus ſuppellectillem ſecum aduexerat politiorum literarum per ſeptennium Collegij Braidani almę Societatis Ieſu alumnus ſub prę̨ſtantiſſimis prę̨ceptoribus Theſauro, Natta, Reſtagno, Boido: & hæc Studiorum Reformatores ſuaſit, vt ad vlteriora ſcientiarum ſolidiorum capeſcenda promoueretur. Philoſophi, & Theologi illius labores enutrire per ſexennium Ticini, atque Placentię vbi profitebantur Ordinis ornamenta Petrus Franciſcus Lucenſis, & Petrus Franciſcus Montalerus Caſalenſis. Porrò tanti valet prędiſpoſitio illa ab ſęculo comportata, vt vix aſsurgere queat ad honeſti quidpiam, qui abſq; huiuſmodi accedit cultura in Congregatione humaniores non edocente. Feliciter deſudauit inter auditores illos, qui ad optimæ meſſis Operarios attinere rerebantur: & cum plura non deberet naturæ donorum corporis, plurima & illi, & arti debuit intellectualium omninò talentorum,

per

per quæ subtiliter disputaret, solidè sustineret, omnis expers obliuionis. Quare ex Synodo Bononiæ congregato anno trigesimo præterito Doctorea facultate insignitur vna cum alijs pluribus, vt quodammodo multis messoribus pateret campus Italus exarescens iam per epidimiæ morbum ad aream flabris, & cribro comportandus, qui postmodum per Apostolicam confirmationem capitularium actuum consequenter & ipsi quoq; confirmati in eo fuere munere. Dedere primum ascensum ad pergama Mediolanenses sui ad Basilicam de Passione, atque ex illo deinceps se diffudit ad Minacienses, Anconitanos, & bis, ac iterum ad Venetos, alibiue, plus quidem valens compositione, quam pronunciatione. Sed à quonam vsquam verbum Domini ieiunum exiuit, & absq; fructu? Labores ponant alacriter ij, quibus illud commissum est, fructus ab Deo non ab ministro est. Laurus Astulphus ex Generalis ab Cæsenaribus eum ad Ariminenses lætabundus traduxit, vt Vicaria potestate Diui Marini Canoniam gubernaret, commendarumue illi arundinibus transfixi Sebastiani Gyneceæum, sicq; ianuam ei pandere visus est ad Rempublicam sensim curandam. Dispar tamen ab ingressu egressus extitit, cum non mentiatur Gentium Doctor, esse nos homines mortales, infirmos, fragiles, lutea vasa portantes, quæ sibi inuicem angustias faciunt. Ibi quoque inter Adagiatos nobiles Academicos cooptatus improbationem recepit ex habita quapiam literaria exercitatione de more, qui siue lubens, & volens, siue casu & imprudenter, dum alteri prodesse putat ad directionem ętruscæ facundiæ, turdus sibi obfuit. Scissuræ argillam imponens officium luxato adfuuit per Prioratum Anconitanum Præsul Troilus; tanti vrget charitas corda proba. Venetam deinceps adijt Ciuitatem, quam diutius & incoluit, & excoluit verbo, atq; omologesi proficuus. Emporium illum opportunum erat perstudioso qua parte vberem subministrat librorum suppellectilem, & ingenia feracia se inuicem expolientia in bibliothecarum præsertim accessu, ac frequentatione. Sed cum solitudini magis inhiaret siue ex naturæ terreę vi, siue ex assuetudine locorum, quos inhabitauerat, Bellianum exorauit in agro Bononiensi ab Gentili oræ illius quo ad Canonias curatore, cuius etiam genio probatus arrisit multiplieiter, vnde non inaniter conciperet se apud suos aliquando iri commendatum. Tunc autem magis in spes bonas adauctus est, cum ille Rector Generalis ex legum nouitate curata assumitur: at superueniens fatum vrnam inuertit, cum in ipso Visitationum exordio Gentilius Papiensibus mortale suum curandum reliquit. Quare optimam suppellectilem virtutem expertus est nullo casu pereuntem, cum ad eius vnius intuitum, & idem Monasterium teneat, & Gauiniani paręciæ præficiatur regresu ad libitum permisso. Plorauit in grati animi signum lugubri oratione funus Bononię in Montana Euangelistę dilecti magnificè curatum ab Petro Gypsio

Abbate defuncti alumno, quam & ad perpetuam rei memoriam edidit. Lubet autem hic proferre, quam nobis aliquando oblatam voluit, compositionem Cæsenæ illum recipientibus; vt probus lector discat ex vngue Leonem, vtq; virum (quod dixit Socrates) loquentem agnoscat, & viuat (si lubet) æternitati mentis sibi stantis attestatum. Quæ mecum diù dimicauit, quamuis deficiente comeatu, Fortuna retro pedem agere nolebat. Insolens mirabar spectaculum: quod infulato vt plurimum infesta vertici hæc mulier, & sollicita ambitione ad nobilissimam perniciem semper anhelans, pauperis etiam pulsaret secessum. Quid hoc portenti, aiebam, ò mulier? Non est, cur limini assideas meo. Apage te, alio penu tua grauidanda suppellex. Scenam paras ad multiplicis euentus effingendam imaginem? Non hic Aulea reperies, nec Dedalæum acu per telas luxuriante opus:non serica,nec turgida lacinia inflatas vestes,queis pompatico lusu mortalium sortem rideas. Sed effera crudelitate adhuc sequiebat, speciem fraudi prætendens, & risu muliebri in diuersa crudeli lenocinio trahens;cum tu Reuerendissime Præsul obducta supercilio nube, efferatum hoc monstrum finium meorum extorrem fecisti. Facesse, facesse, ò malè sana mulier. Quid mihi orbis tuus? Quid rota, seu potius fritillus? Lude, lude aliò; nusquam me incesses magni huius Patroni clientem. Abijt illa: abiere pariter tuo nutu illius assecla Eumenides. Cœpit nunc primum inuido rubore suffundi ad Rosæ conspectum Erynnis, & spinis vltrice Rosa insequentibus latebram quærit. Mox Portus me excipiet, si diuina afflabit aura, deuijs ad vitæ Portum vocandis. Tibi grates Reuerendissime Præsul. Tibi exiguum hoc grati animi monumentum, maiorum harram per tempus licebit.

O qui pressum sorte sinistra
Erigis, & sub mole cadentem
Fortunæ das varios lusus
Spernere; laudent humili quamuis,
Laudesq; tuas barbita versu
Fundent, nullo moritura æuo.
Velut ingenti vexata Noto
Inter dubios vita tumultus
Mœrebat: nunc requie optata
Fruitur, gaudens te auspice Præsul.
Domuit motus tua dextra feros
Animi, cara & redijt salus,
Placido excipiens gremio fessum.
Me Neritij militis instar
Magno vagum pelago ad Portum
Ducis, recipisq; lubens.

Habe-

Habemus ergo ab viuente, & alia perpolliente apud suos Mediolanenses.

In Funere Reuerendissimi Marci Antonij Gentilij Abbatis Generalis Orationem, Ad Reuerendiss. Patrem D. Constantinum Phaseolum Abbatem, & Definitorem. Bononiæ apud Ioannem Baptistam Ferronium Anno 1641.
Epigrammata plura in hoc eodem Elogiorum opere euulgata.

Clementis Iacobij Bononiensis.

AVdes ah Cloto vitale incidere stamen,
Quo pereat satis gloria, luxq; viri.
Hæc manet æternum: nescit succumbere virtus:
Non habet occiduos inclyta fama dies.
Hæc manet, & fascis ferales negligit ictus;
Fortis habet pugnæ præmia digna suæ.
Occasum nescit virtus cum sole creata;
Assidet in Cœlo non caritura face.



GREGORIVS COMANINVS MANTVANVS.





TALICA illa Poeseos, quæ à tertio ab hinc sæculo exordia sua, floresq; adultæ iuuentutis agnouit in duobus notissimis Francisco Petrarcha, & Danthe Aligherio; vltimis hisce temporibus tantum incrementi, ornamentiue tulit in Gregorij Comanini castigatiore vena, quantum vel non satis explicari potest. Licet enim ad apicem illum Dignitatis, & Gloriæ nunc eleuatam Deliciarum Literariarum Reginam intueamur, & veneremur, ad quem aspirasse quidem, suspirasseue, Græcam, & Latinam, peruenisse verò nunquam certo certius est; non modica tamen sunt, quæ viri huius conatibus in opere tanto deberi dignoscuntur. Cucurrere quidem felicissimo studio sub vexillis Maiestatis Heroicæ, dixerimne militantes, an triumphantes? immortalis Ductor Torquatus Tassus, Io. Baptista Marinus, & ad primi vestigia Franciscus Bracciolinus, Capoleo Guelfuccius, Augustinus Galluccius, Iulius Strozza, Scipio Ericius, alijq; huiusce falangis non modici. Apparuere fortunatissimo Sydere ad tesseram suauissimę Lirę, cohortes, choros, coreas, coronas ducentes, gubernantes, moderantes, portantes Mirabilis Marinus, Hieronymus Pretus, Claudius Achillinus, Rodulphus Campeggius, Cæsares Rinaldus, & Abellius, Ioseph Salomonius, Marcellus Macedonicus, Ioannes Capponius, Thomas Stilianus, Augustinus Nardus, & alij vsq; ferè ad Myriadem: Floruere benignissimo cælo Drammatum prouectores Baptista Guarinus, Vidus Vbaldus Bonarellus, Gabriel Chiabrera, Piergirolamus Gentilius, Franciscus Contarenus, omnes in vniuersum memoriæ renouantes, æmulantesq; Areostos, Bentiuolos, Casas, Bembos, Guidicciones, Molzas, Venetios, Grottos, Sanazarios, Borghesios, Thebaldeos, Gradenicos: coronatus est tandem operibus immarcessibilibus non vana lauro Ioannes Baptista Marinus sęculi huius, & totius artis Apollo. Verum non vnus, non omnes Comanino aut laudem ademere, aut sedes occupare. Illi materias, & obiecta sæcularia pro maiori parte sectantes, vel arma fortia, vel vanos amores, profana deniq; carmina cecinere; & in moralibus vel diuinis perpauca potius delibare, quam ex professo prouexere. Hic verò semper castus, semper pius, nunquam suæ immemor vel conditionis, vel professionis

fessionis pro sacris tantum rebus stetit, pro moralibus. Fuere alij (manifestum est) qui & talibus omnem operam nauare, qui suorum carminum labores Diuinis appellere rebus; at eos vel defecit felicitas, vel deseruit venustas, vel non est sociata maiestas: & dum seriò ludunt, nec serium probatur, nec lusus delectat, labentes nempè infimiore tono, nullo innixi sono, nullo florentes numero. Gregorius autem rebus carmina, carminibus res aptauit ex arte, nunc dulcedine mella stillans, nunc maiestate cælestia sapiens, nunc decore politica cerpens; vt absq; fuco dicere queas, Sacri Carminis, veræq; scientiæ illum Poetam Theologum, Italicumq; Orphæum, & ex Manto fatidica solum veræ Religionis in hoc idiomate Vatem, vnoq; tali capite primo Marone maiorem. Cui si floridos, si castigatos associes Gabriellem Flammam, Angelumuè Grillum, nil in hoc genere superest, quod vltra iure desiderare queas. Quis leget vnquam Mysticæ Theologiæ varios illos Affectus, quos in summa quidem materialis cibi sobrietate, sed in maiore prorsus cælestis spiritus pinguedine composuit, & non excitatam in se aculeatam dulcedinem sentiet? Quis etiam vel in cor data superficie patheticos illos excurret dicendi characteres, & non intimas animi regiones experietur innenarrabili suauitate perfundi? Ad exemplar soliloquiorum Diui Patris Augustini nobis dictata videntur, dum imi cordis supremos Amores erumpit, dum flammas veræ charitatis erga Creatorem, conseruatorem, Reparatorem Deum euiscerat. Ex sacris paginis cogitata illa cribrauit, præsertim verò ex Canticis Canticorum sumpto themate; sed ista disposuit modo per solutæ orationis arua vagatus, modo per ligatos carminum colles ascensus, vt Seuerini Boetij de Consolatione Philosophica libris sanctam quandam videatur æmulationem instruxisse, solus omnium, aut primus qui hoc idiomate tantam dignè prouinciam adierit. Valeant nunc, qui vt Italicum purgatiorem sermonem addiscãt assiscunt Decamerones, Filocopos, Flammettas, Asulanos, cęteraq; id genus similia, indubio ferè si non religionis, saltem morum, saltem castitatis naufragio. Habent fideles in hoc vno opere, quod legant ad pietatem animi, quod legant ad scientiam sermonis, si illi præsertim addatur quod alterius materiæ edidit volumen dialogisticè compositum, quod Figinus adnorauit, de Fine Picturæ disserens, vbi sub nomine trium illustrium virorum Stephani Guazzi, Ioannis Ambrosij Figini, & Ascanij Martinengi disputans Vtrumne Picturę finis sit Vtilitas, uel Delectatio, multa promit, multa coaceruat Ecclesiæ vtilia circa Sacras Imagines ex Scripturis, Patribus, & Historicis. Item edisserit rationibus, exemplis, & auctoritatibus quisnam exactius imitetur Pictor ne, an Poeta. Quod verò pro re nostra facit, habent, inquam, pij lectores quonam pacto exactum, candidum, tutum sermonem Etruscum addiscant in hisce lucubrationibus nil fucatis, nil abiectis, & quę

solo etiam ipso sermonis intuitu digna sint, vt legantur casta curiositate scatentes. Post eius obitum item prodiere in vnum compacta illius Lyrica non pridem edita verè aurea, verè sublimia, in quibus Ideam Torquato Tasso ter maximo concinendi domesticam ad viuum expressit, vt scilicet quem moribus, & familiaritate iunctissimum habuit, carmine non seiungeret, & amicum exprimeret uel ex Musa præceptorem. In tres partes distributa fuere, Spiritus, Moris, & Honoris, vt sub hisce tribus titulis vniuersum veræ vitæ genus comprehendisse videatur. In Congregatione pluribus functus honoribus Præpositurae Diuorum Iuliani Imolæ, & Vbaldi Eugubij, Abbatię vtriusq; Mantuanę, atq; Ponticuli, & Diuę Virginis de Frigdionaria. Principibus viris pręsertim Gonzaghijs in summo pretio fato functus est senex Mantuę Anno 1608. ibidem Abbas. Eius edita sunt Italico Idiomate.

Affectus Mysticæ Theologiæ ex Canticis Canticorum. Venetijs apud Io. Baptistam Somaschum 1590. *Lib.* ij.

De Fine Picturæ, videlicet Figinus. Mantuæ apud Franciscum Osannam Anno 1590. *Lib.* 1.

Carminum variorum Italicè il Canzoniere. Mantuæ apud Aurelium, & Lodouicum Osannam 1609. *Lib.* 1.

In Assumptione Gregorij XIV. Sfondrati ad Pontificatum Oratio Italico Idiomate. Mediolani apud Michaelem Tini Anno 1591. *Lib.* 1.

Bernardini Baldi.

Difficiles aditus sublimis ad ætheris arcem
Esse viatorem mystica verba docent:
Nimirum neque enim quisquam cælestia dona
Lucratur, gratè non tribuente Deo.
Vitales quamuis hic purus, & integer auras
Carpserit, atq; huius Dij benefacta probent;
Comanine viam te dignus sternit ad axem
Dignus & innumeris laudibus iste liber;
Qui numeris aures hominum, Thuscoq; lepore
Allicit, horum animos vt iuuet arte noua.
Qui fructus non hosce legent, his sensus est æger
Mensq; nec est vitæ, nec requietis amor.

FINIS.



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER OCTAVVS.



HERCVLES MONALDINVS RAVENNAS.



INTER fructus vberes illos, quos, Vitalis Mercate, Congregationi tuę vigil peperisti, Herculis Monaldini accessum ad illam cum primis enumero. Memoria tua semper in benedictione sit, qui in filijs spiritus tãta bonorũ operũ fęcũditate floruisti. Et qui integrum adhuc ergastulum carnis apud nostros Cęsenates ferè octuagenarius in sepulchro retines; integra quoq; apud posteros fama fruere. Me verò non immeritum pręstet ad hęc paucula calamo libanda, qui de indigno dignum fecit, vt ossa tua pia Abbas contrectarem prętcritis diebus in noua Ecclesię, in qua quiescis, reformatione. Labente anno pręcedentis sęculi quinquagesimo sexto Augusti vigesima tertia die Christo sub vexillis Lateranensibus ad stipendia promerenda se dedit Bernardinus Monaldinus Rauennas. Noua hominis acces-

accessione Hercules vocatus est, bonos labores ominante Ioanne Francisco Gorio ex Bagnacaballo, Bagnino nuncupato, qui præfectus (Priorem dicunt) nostro illum cingulo præcingebat in sacris ædibus Ariminensibus Diuo confessori Marino dicatis. Quintumdecimum annum vix agentem lucratus est Vitalis Mercatus Sanctissimis moribus apud Rauennates suos, & exteros notissimus, qui tum Visitatoris munere Congregationi fungebatur, Gregorio Barbadico Veneto totius gubernij clauum moderante. Eodem ferè momento ad Academiam Patauinam Diui Præcursoris in Viridario translatus est, vt tyrocinium vtrumq; præstaret tam intellectiuæ, quam affectiuæ partis. Et satis quidem opportunè cessit, vt quæ mater illum pepererat cœtui, item & enutriret, lac non aliunde atracturus, quam ex pijs vitę Vitalis vberibus. Visitatoreo nanq; functus munere Academię illi præficitur, atq; in eius manibus tria Hercules emisit Religionis solemnia vota ipso Deiparæ Virginis Natali die, receptus nomine, & vice Generalis Columbini Raparij Cremonensis. Octo annis in eo Viridario curatus falce gubernationis, rore doctrinæ, pluuia gratiæ cælestis ad omnem dulcissimorum fructuum fœcunditatem; spes ipsas cultorum, & expectationes exitu non æquauit modo, sed & impensius superauit. Feruidas naturali genio locutiones sortitus; dum ex tempore etiam loqueretur, exagerare rem premeditatus, & ad lucernam compositus videbatur. Quare toto imi cordis affectu populis esse posse vsui sensit, si indefessas veri Ecclesiastis partes indueret. Ne tamen in tam vasto mari linum vento committeret absq; nautica, quam aiunt, pagina, & absq; uersoria pixide; Ioannem Franciscum illum Bagninum Sancti Iuliani de Foro Cornelio Prępositum apud Mutinenses e maioris templi suggestu Quadragesimalia concionantem audire, adiuuare, sub eo scribere, se ad eius oratoriam effingere, atq; componere statim à studio voluit. Felici vtens consilio; feliciores habuit palmas, cum Bagninus inter primos tum floreret verbi Dei pręcones facundissimos. Tantus euasit in munere, vt à paucis omninò omnium ordinum coequatus, à nullis superatus appareat, siue longam diem, siue plausibilem semper exitum spectes. Ad integros quadraginta perpetes annos in Ecclesia Dei populis laborauit per vniuersa Italiæ, Sciciliæ, Dalmatiæ preclariora Templa Quadragesimalibus concionibus satis frugi, & semper eximiè declamatis. Primam annorum decadem hoc ordine absumpsit, vt anno 1567. inchoatis prædicationibus ad Casium Bononiense, in Gallipolitana Ecclesia Magnæ Gręcię desierit, ennumeratis medijs Carrarię, Vallis Capini ad Benacum, Anconę ad Nosocomium Annunciatæ Virginis, Taruisij, Bononię apud nostros, Eugubij ad Diuum Vbaldum vrbe vniuersa ascendente per alpes, & niues, Ragusij per duplices succedentes Quadragesimas, ac Spoleti in maiori Templo. Secundę decadis exordia fuere Barrij in Cathedrali

finem

finem sortita Genuæ in Metropolitana cum ordinatis intermedijs Mantuæ, Fani Fortunę, Romæ, Regij Lepidi, Maceratæ, Papię, Pisauri ad Serenissimũ Regulum,&Rauennę semper in Ecclesijs maioribus vna excepta Roma in qua concionatus est ad Virginem in Vallicella. Tertia decas initia habuit in Episcopali Cremonensi, & terminum in Bononiensi Diui Petronij secundum, cum anno videlicet millesimo quingentesimo octuagesimo nono ibidem primum prædicauerit. Quis non tam Magna peregrinationum itinera? Quis nõ tam diuersarum gentium moribus, & necessitatibus accommodam dicendi suppellectilem? Quis nõ semper vegetem, semper validam claræ vocis tubã,& membrorũ sanitatẽadmiretur? Certè pro eo vsurpare illud possumus ex Homero de Philãtropo suo Vlysse, Qui mores hominũ multorũ vidit,& vrbes. Quibus si adijcias, quæ de Aduẽtu, quę de Annualibus festiuitatibus commentationum, prædicationũ, lectionũ genera per viginti quinq; saltẽ diuersos annos, non satis mirabere quo pacto vnus homo tantis sufficere, (& quod summum est) satisfacere prouincijs potuerit. Vbertatis fructuum ex bonis operibus venator esto. Pauca hic ex innumeris libabimus. Romæ integras Hebræorum familias vsque ad septuaginta animarum numerum Christo lucratus est. Ex Republica Ragusina innumeros transmisit ad sancta Vrbis loca peregrinanda Magni Iobelei Anno Septuagesimo Quinto Concionator. Conuentum Melitensem Apostolica facultate visitauit iniungente Clemẽte Pontifice,& literas motu proprio expediente, dum ipse ad eius pedum osculã prouolutus peteret benedici ad nauigandum accinctus. Anno octuagesimo octauo per Ordinis Magnam synodum Camillo Becio Generali curante eximio priuilegio ornatur. Plures egit monasteriorum Præfecturas. Abbas Portuensis Basilicam solemni ritu sacratam reddidit Petro Aldobrandino Cardinali Archiepiscopo Sacratore. Debitum Naturæ soluit Rauennæ & inibi tumulatus. Ex Fauentina Ciuitate semiuiuus deportatur, cum ibi plusquam mediam quadragesimam de more prędictus in morbum incidisset exauditus à Domino, quem sępius exorasset vt tolleretur concionum tempore, quo se compositiorem reddebat per horam ante suggestus ascensum pectore in terram extensus, & in faciem procumbens ante sacram Crucifixi imaginem. Vixit annos 66. in Religione 51. Verus certè nõ iam fictus antiquorum Hercules. Atq; ideo hic illud iure optimo vsurpare nobis expedit, quod de Hercule alio cecinit Gabriel Flamma in suis Theorematibus.

Nam mores domuisse malos, firmasse beatos,
Plus est quam cunctas perdomuisse feras.

Extant scripta ingenij tanti monumenta.

Lectiones centum in Librum Iob. Lib 1.
Expositio in Canticum Zachariæ. Lib. 1.
Quadragesimale, Aduentuale, Annuale, & alia.

Ccc HER-

HERCVLES SALAROLVS BONONIENSIS.





ERCVLIS Mamellini Patris quondam, Preceptorisq; mei in via uitę, ac spiritus memoriam semper uenerandam innouaturus Gentilius ille, qui uitam Generalis Abbas pręcox holocaustum Congregationi dedit; Herculem hunc de Salarolis non ex fonte, sed ex ara nominauit, cum non Fidei, sed Ordini initiaretur, prius Carolus filius Pauli egregij, nobilisq; viri. Digna prorsus viri viro substitutio. Quippe, qui benè præsunt Angelica peculiari, à qua singillatim illustrentur, bene potiuntur, beneq; gaudent assistentia. Ameniorem Bellianam Canoniam ad colles inter Bononiam, Mutinamq; feraces Archipresbyter moderabatur Gentilius, cum de secunda annorum decade huiusce, in quo viuimus, rotantis ad quinquagenam centenarij lineo sagulo demanicato Canonicæ vitæ adiungit adolescentulum. Orbitam Eclipticæ Sol sexdecies absoluerat ab initiati ortu ad hoc vsque Religionis limen prægressum, eodemq; is spacio orbitam Grammatices, Rethoricesue peregerat, de meliore vehiculo, quam Phæton quondam, frena gubernare edoctus ab Paulo Mazzio humaniorum in Vniuersitate Bononiensi professore egregio, & pluribus editis lucubrationibus claro, licet prima rudimenta prius posuisset sub Cæsare de Abellis Poeta Italici Idiomatis famigerato. Lux celebris illa, quæ recordationem quotannis instaurat dicati in Vrbe Pantheonis per sanctissimum diuinæ religionis ritum ex inanibus simulacrorum superstitionibus; valuas huiusce reseraurit ingressus; vt ingrediens sub Diuorum omnium tutela vitam curaret agere, qui omnium exempla imitari tanta solemnitate inuitaretur. In ea probationis domo plures in spem virorum adipe spiritus educabat quidem solers ille Prælatus; sed inter plures selegerat aliquos ex proprijs Bononiensibus, qui præirent nouam scholam, quibus & nomina dabat veterum iam gloriosè vita functorum: sic & Hippolitum Ottofredum Hippolito Maranello innouarat, Hippolitum, inquam, illum, qui & pluries Abbas Montanus, & Spoletanus, & Generalis in Vrbe Abbas, ac Procurator, & Visitator illuxerat innocentia vitæ, & suauitate morum admirabili: sic & alios plures, de quibus alij alibi scribent. Sebastianus de Cellis Cæsenas morum præfectus antiquam probitatem exprimens in se vno iugulabat.

labat qua dictis, qua opere quidquid laicæ labis inficeret recentes dogmati animas, tantusq; erat in opere absoluendo, quantus veterum Patrum quisq; in excelsam huiusmodi prouinciam esse consueuerat. Ab euigilato taliter nouitictu, clericatus munia adoriri iubetur, quæ de more tempus illud absumere solent, terrereq; quod sacerdotio interiacet ineundo. Munia communiter scholastica sunt, vt scientiarum talento lucrato, æs alienum ignorantiæ contractum á populis, numerata huiusmodi pecunia liberaliter extingui ab inunctis presbyteratu possit. Charitatis hęc negotiatio est: sudores, algores, vigilias, dispendia corporis, ac fortunarum, doctrinis commutare ad alienas debitorum tabulas extinguendas. Tu vera charitas Domine Iesu Deus hæc primus edocuisti, primus scholam hanc gratis aperuisti. Post annuam Dialecticam exercitationem, quam Archangelo de Archangelis Anconitano commonstrante didicit ad Diuum Marinum Ariminensem, quinquennio iugi campanulam matutinam, vespertinamq; gymnasij pręnunciam excitatricem, auocatricemq; pręambulam apud Rauennates audiuit, professore præcipuo Antonio de Parmesanis illo, illo, inquam, qui deinceps aliquando biennes summas tyaras Gentilio emortuo substitutus gessit. Ritè Portus debebatur nauigationi tantæ, in qua Hercules ad aureum vellus asportandum adesset: Hercules, quem Hilas nullus euerteret de conatu, deturbaret, deuiaret de itinere: nauigationi, in qua potiori Canonici Dogmatis ephebiæ Zephirus, Fauoniusq; propitij carabasa inflarent extenta. Qui nauigant mare enarrent pericula eius. Immensum porrò pelagus quis non fateatur & Stagiritę Acroases, & Petri Lombardi Abbreuiata, quas Sententias dicunt? OEpeo quippe, Typhiq; indigent, qui talia fulcant. Periculum virium ingenij postremum tum demum fecit, cum tentatiua quę nominant, quęstiones difficillimas ex vtrisq; auscultatis scientijs, Draconesne igniuomos, an Tauros ęneos? obtruncare extimulatur. Aculeum autem huiusmodi sensit ex oris ministerio illius, qui modo manu, calamoq; isthæc volens exarat, lubensq; cum scilicet Abbas de Cruce Cæsenati potestatem commissam à supremi claui moderatore ad id præstandum accepit. Periculi comitem habuit Maranellum Hippolytum illum, de quo supra; cuius ęmula virtus, ætas æqualis studium, stadiumq; vniforme disiungi non postulabant: licet hic postmodum luminum acri tentatus ægritudine, studiorum coronatorum conatus prosequi vltra nequierit; sed acto Prioratu, speciosiore Pręlaturarum sarcina Abbas Sancti Stephani de Ponticulo pręgrauatus fuerit, quam & alias quoque gessit laudabiliter. Cæterum Hercules laboribus intentus, quos iam, iam vorare didicerat, Euristeum illum relinquens, in Canonia Matris almę Gratiarum ad Regium Lepidi Ludum Dialecticum aperit, varioq; vsus auditore per plures annos cohortem docet, & ducit: quod & pręstat deinceps ad Bellium montem, vt

functis insimul operibus, quasi per gradus pedetentim ad cacumina gloriæ importaretur. Iunctura autem ea erat, quam Gordij nodum præsecuisse legimus: Vicariæ enim Prælati potestati, nouitiorum Magisterio, Lecturæ muneri insimul supponitur; quæ singula onera fortem quemuis prægrauare solent. Sed hic Hercules contra duos, & contra plures; quia Vir obediens loquetur victorias: & directoribus imperantibus adesse virium cognitionem, earumq; liberam quis non credit? Certè eos opinio non fefellit: tanta nanque erat morum integritas, tantus vitæ candor, talis solicitudo, & vigilantia, tamq; salita doctrina, vt vnus omnia faceret, vnus pro pluribus esset. Verum quoniam moderata durant, ruunt quę sine modo; vt diuturniori seruaretur rerum ministerio, ab intensiori dimittitur, & in signum aliquod adaucti decoris Prior Montanus sub Abbate præficitur. Officio præclaro in Vrbe pręclara, & in Basilica ex insignibus confessionis auricularis vt plurimum ministerium adnectitur, ob quod (adhuc expleto sarcinæ eius triennio) per illicia charitatis, & per mitis obedientiæ iussa cogitur perseuerans esse subsellijs: & non ita multo post paræcię illius, ex præcipuę nobilitatis eam inhabitantis numero per quam insignis, curam in se vno assumere. Satis difficile dictu, vel & creditu est, quanti profecerit ipse ad pastum ducens, quanti profecrerit & plebs ad pascua ducta. Sedulus, alacer, semper vnus, semper compositus, omnibus omnia factus, omnes in Dei amorem volens, in sui nolens rapiebat admirationem. Verbo ad aram Eucharistico pani dicatam, consilio ad cellam, auctoritate ad tribunal auris, & mentis, exemplo vbiq; pascua exhibebat non innoxia tantum, sed & suauissima, sed & in substantiam Empyrei pro modulo transmigrantia. De suggestu etiam Basilicæ intonuit per pomeridianas conciones (quas nostri lecturam dicunt) quod & per plures quadragenas maioris ieiunij varijs præstiterat in locis. Tot non gregariæ virtutis acta virum ita comendauere, vt iustum operari crederet quicunque in eius consentiret ornamenta. Hinc post paucos annos ab Fabiani Landi Theologiam ad Euangelistam Ioannem nostrum profitentis aggregatione, Collegio & ipse Doctorum Theologorum aggregatur eodem promotore Lando. Decus huiusmodi in ea vniuersitate summę existimationis, & cuius penè auctores fuere Canonici Regulares (quod ex vno Archidiacono de Baiffio coniectare potest quisque minus rerum peritus historiarum) adeo eisdem Regularibus Canonicis obsolcuerat ex seueriore disciplina Reformationis Frigdionarię, vt diuersorum opinio esset, vel nullum, vel paucissimos saltem eorum in illo fuisse enumeratos consessu. Custodiebant quidem priuata aliqua Congregationis documenta Theseum Ambrosium Albumesium Papiensem, & nonnullorum aliorum nomina; verum rigor seniorum non admittebat memorias prodire huiusmodi sub strictę cuiuspiam humilitatis prætextu.

Quin

Quin adeo inoleuerat quale quale institutum hoc, vt, qui postremus Bononiensium Generalem gessit, Marcus Antonius Gentilius (quamuis alioqui vir multanimus, & ornamentorum Ordinis curans) aduersaretur huiusmodi adoptionibus vniuersitatum non modicè: nec Landus, tametsi illi probatus, eo superstite vel tentasset, vel obtinuisset ascensum. Hic igitur ex professa Sacra scientia nostris hominibus per plures annos maximè notus; & ex Thesibus frequentissime propugnatis, & oppugnatis apud quoscunque Regularium Conuentus in pretio habitus: nec non & ob alias scientias diuersis nobilium adolescentum indefesso expositas labore, bene audiens apud omnes; non semel prouocatus qua suasu Procerum, qua aculeis æmulantium; reassumere intermissa Religionis iura, consuetudinesq; elegit. Quare inter plausus, approbationesq; communes Collegio Theologico nomen dedit, honosq; contulit, accepit ue multipliciter multiplicans gentem, magnificansque lętitiam: quod laurea Doctoralis, qua ab Ordine redimitus erat, ab tanto Vniuersitatis eius præclarissimæ Theologico intromissa Senatu, virorem veluti Veris cuiusdam iucundata perspiceretur. Iuuit Theologi sui conatus plurimum Abbas Honoratus Montecaluus, nedum quia postulata admisit viri; sed quia polens auctoritate dignitatis, opinione intelligentiæ, experimento dexteritatis, & comitatis dignę viro nobili, complanauit ardua, dissoluitq; gryphos. Contulit & præsentium scriptor de paupere ærario Exemplum eorum, quæ sibi in patria contigerant Vniuersitate, & quę tam pro eo stetere, Decretum Principis, & Sententia Magistratuum, & Generalis Fossæ Beneplacitum. Faxit Deus, vt scientia, charitasq; se inuicem osculentur in commune commodum: & vt fulgeant sicut stellæ in perpetuas æternitates qui ad iustitiam erudiunt multos. Hercules ergo ab amici Doctoris, & dudum condiscipuli persuasus exemplo, verbisq; eidem se dedit adnumerandum Collegio: post cuius decus, & illud quoque obtinuit virtutis, morumq; testimonium, vt Sacræ Inquisitionis Consultor, ac postmodum Synodalis Examinator sub Archiepiscopo Cardinali Albergato Ludouisio renunciatus sit. Demum ex Dieta proximè celebrata Bononiæ Troili Generalis Secunda Patres Titulum illi Archipresbyteratus decreuere. Sunt ex eius calamo

Vitam Diui Vbaldi Canonici Regularis Episcopi Eugubini Italicè libris quinque comprehensam, mox edendam.

Faui Sacri, Columba Symbolica, Aquila volans Panegirici Tres de Diuo Petronio Bononiæ Episcopo, & Protectore.

Item de Laudibus Diui Hieronymi Oratio habita in Metropolitana Bononiensi Anno 1646.

HIE-

HIERONYMVS BOSSVS MEDIOLANENSIS.





VI lumina hominis interni ab splendoribus dignitatum auertens de infimo accubitu retinendo semper contendit, summo iure Quartum Supremam Canonici ordinis Præfecturam gessit Hieronymus Bossus Mediolanensis. Ita sanè ex lege Christi Dei obseruare præstat, vt dicatur huiusmodi, Amice ascende superius, & fiat ei gloria coram simul discumbentibus. Neq; verò sola abiectionis religiosæ ratio, quæ in viro emicuit quam maximè, sed & rerum ipsarum series, quas egregiè operari obtinuit desuper, Prouinciam eam iure tali sustinuisse docuit. Expedit alterum de plurimis ab illo preclarè gestis actum recensere ne longius ab instituto nimia omnium narratione, etsi alioqui digna scitu, diuagemur. Iam de anno nonagesimo sexto post quartumdecimum salutis humanæ centenarim Raphael Riarius Cardinalis Camerarius datis ad Generale Capitulum literis egerat de reformanda præclarissima Canonia Apostolorum Principis in cælo Aureo nuncupata Regiæ Ciuitatis Papiæ, sibi iure fiduciario, quod commendam dicunt, pridem ab Apostolica Sede concessa: Iam legatis ad Vrbem Patribus nonnullis, quibuscum setiò ille sæpius pertractauit, & seriem ardui negotij sub certis conditionibus composuit, Alexandro Sexto Pontifici porrectæ supplicationes gratioso rescripto dimissæ fuerant: Iam post annos tres, in quibus dilata executio fuit, ob grauia nonnulla, quæ Raphaelis in Gallias profectionem induxerant, veterum Canonicorum Regularium eiusdem Canonię consensus accesserat per publicas, solemnesq; tabulas præstitus: Iam plumbibullium ab Iulio Secundo Alexandri successore Pontifice expeditum fuerat post annos tres alios: Iam prior accersitus ab Canonia Sācti Frigdiani Lucensis cum nonnullis suorum Canonicorum, (quos Lateranensium loco Cardinalis substituerat ex Eremitanorum Patrum suggestione mutatus, quorum protectionem per eos dies adierat) cum susceptum munus neutiquam ad vota responderet, domum fuga repedauerant: Iam tandem idem Riarius ipso ab exitu irrito edoctus frustra vias alias tentari inuito Numine, iusserat Pontificij, Cęsareiq; Iuris Doctori, eoq; Archiepiscopalis Pisanę Prępofito Petro Bertolinio Foloiuiensi, quem Syndicum, & Locum tenentem in eadem Cęlaurea

Canonia

Canonia sustinebat; vt Reformationem per ipsos Lateranenses ad normam pactorum alias initorum perficeret. Quare Hieronymus Placentia accersitur, vbi Abbatem Canoniæ Magni Patris Augustini gerebat, vt actualem præclarissimi loci Congregationis nomine possessionem acciperet. Is pridem Generalatus munere semel, & iterum functus, & inter eximios totius familiæ opportunior habitus tum sanctimonia innocentissimæ vitæ, tum doctrina, & eloquentia coniunctis, tum etiam rerum gerendarum dexteritate, ac prudentia, orisue maiestate, ab summis Comitijs ad tantum operis præstandum delegatus fuerat. Hinc ipse accitis Collegis Angelo de Electis Placentino Sanctæ Crucis Mortarij Præposito, & Baptista de Tortis Papiense Diui Epifanij eiusdem Ciuitatis Abbate in manipulum fortem, valdeq; pium sceligit, & componit Nicolaum Becariam, Hieronymum, Alexium, Archangelum, Epifanium, Vbaldum Papienses, Albinum Mortariensem, Timoteum Mediolanensem, Titum Placentinum, Ioannem Antonium, & Bernardum de Castronoueto, Matthæum Nouariensem, atq; Baptistam laicum conuersum de Mortario, sexdecim omninò Lateranense Dogma professos. His instructus Ticinum pergit currente anno nono supra sesquimillesimum, & die Sancto Antistiti, Martyriq; Blasio dicata tertia Februarij summa cum hilaritate, spiritualiq; gaudio excipiuntur in nomine Domini tam à prædicto Præposito Bertolino Commissario, & Locumtenente, quam ab prioribus octo Canonicis eiusdem loci Antonio de Varisio Vicario, Eustachio de Confalonerijs de Badalodio, Iacobo de Iudicibus, Gilio de Busseto, Francisco de Linguardis, Petro de Grassis, Bartholomęo de Papia, & Dominico de Sonzino, & in actualem loci, Ecclesiæq; possessionem inducuntur, & immittuntur adstante nobilium,ciuiumq; multitudine copiosa, atq; publicæ conficiuntur rei tabulæ per Ioannem Iacobum de Caneuarijs Notarium, testibus inter alios Scaramucia Vicecomite, Ioanne Stephano de Riccijs, Ioanne Antonio de Bunijs, Francisco, & Vrbano de Becaria, Nicolao de Belixonis, alijsq; viris illustribus plurimis. Verum post octo menses indeptę possessionis, pacificiq; incolatus(connitentibus adhuc Eremitanis Fratribus pridem per Ioannis Vigesimi secundi indultum ad pristinos Canonicos æditius sacri templi adiectis, & constitutis pro diuina habenda psalmodia) nouæ lites suscitantur, nouæq; crescunt contentiones, titulo quidem, Lateranenses absque legitima facultate sacro cęnobio inductos, re autem vera ad auertendam Congregationem arctiori conuictu, & canonica reformatione potentiorem. Ea propter Cardinalis ad componendas discordias, & ad tollenda dissidia Antonium de Villa Lucensem, cuius opera in conscribendis epistolis vtebatur, Ticinum transmittit. Sed is parti Eremiticæ impensius fauens, siue deceptus opinione gratius futurum Riario, si pro illis staret, qui sub ipsius præpotenti

Pro-

Protectione mererentur, siue fractus gratia, donisq; eorundem aduersariorum, apud quos ante valde notos diuerterat, & quibuscum inhabitabat, negotium pessumdedit. Si quidem animos contegens nequiores sub pacis, & amicabilis compositionis speciosa imagine, subq: verborum suaui anfractu, auocat ad se Canonicos omnes, illosq; calidè in parato cubiculo claudens, ac binos, binosue adducens, ad Sancti Epifanij Canoniam, quam dudum possidebant, commigrare imperat; atque ita per fraudem, & dolum, perq; vim, & impotentiam illos Cælaurei Canonia spoliat. Verum Dei misericordia, iustitiæq; intaminatę tenor tumentes persecutionis fluctus fregit, irritosq; conatus reddidit. Atrox etenim violentia ex se ipsa propalam apparens adeo exciuit ciuium animos facti impietatem stomachantes; vt vim vi repellere pro Canonicorum vice parati ad arma properando, penè vniuersa ad tumultum, seditionemq; inclinarent. Sola proximitas Principis dedit motibus antidota. Nam Ludouicum Duodecimum Galliarum Regem Christianissimum, & ad eos dies Mediolanensi Principatu potitum adeuntes qui Ciuitati iura reddebant, quo ruerent innouata dixere. Hieronymus quoque, qui paucis ante mensibus Tertium colla subiecerat supremis Ordinis infulis, damna sibi, & Reipublicæ illata seriò cognoscens, non iniuriæ vlciscendę studio, sed gratia tuendi iuris, & finium recuperandorum lapidem omnem mouit in horum tutelam. Quis verò non acerbissimè sensisset per administri & fraudem, & improbitatem expoliari se antiquissimo iure Patrum Canonicorum à primæua vsque sacratissimi templi ędificatione deuotissimas ædes non perrupto tramite possidentium? Quis vel ignauissimè socors non deplorasset sanctissimorum Maximi Patris Augustini pignorum inibi tumulatorum non amissionem, sed passam rapinam, & grassationem? Adijt ergo Generalis Bossius Regium Ducalem Senatum, deinde & Regem ipsum Ludouicum, eoq; animi ardore, & eloquentiæ, sobrię quidem, sed efficacis, vi inusta Canonicis, iustitiæue grauamina ob illorum pios oculos posuit; vt Senatu primum, deinde & Rege ipso rescribente Papiam se contulerint & tres ordinis illius Patres, & iustitię, quem dicunt, Capitaneus, & alter ex ijs, qui Regi à secretis erant. Hi porrò rebus bene visis, & examinatis expulsos in possessionem reintegrarunt, & aduersariorum alios terrore affecerunt solo, alios qui magè deliquerant exilio mulctarunt: quin & datis ad Riarium, adq; alios Romanæ curię administros grauissimis epistolis, de optimo Canonicorum iure referunt, & in impetitores animaduertendum adhuc acrius vrgent. Prætulit tamen Cardinalis tutari aggressa ab de Villa, & per responsiuas apud Senatum, Regemue Lateranensibus pręgrauis fuit. Eos enim licet ad subeundum sanctę eius reformationis onus excitasset primus, & animasset voce, scriptoq; tam per se, quam per suos, & in corporalem possessionem immitti iussisset inter lętas appro-

approbationes non Papiensis Ciuitatis modo, sed & Insubriæ Prouinciæ, vrbisq; ipsius Religionis magistræ; tamen profiteri sustinuit, sibi mentem fuisse nunquam, vt in illud Collegium amotis prioribus Canonicis Lateranenses inducerentur, cum nihil preterea qæusijsset, quam vt vnus, alterue ad summum accerserentur horum, qui veteres illos melioris vitæ institutionem docerent præuijs exemplo, verbisue. Adeo procerum aliquando studia intenduntur ad incohata quoquo modo tutanda, ne videantur ab causa decedere, licet alioqui parum æqua. Quin & difficiles maximè excitans lites omni prorsus conamine ab recuperata illos possessione abdicare enixus est. Sed aliud fuit cordi Deo iusta tuenti. Nam Senatu Mediolanensi in legitimè peracta constanter persistente, & pluribus Sacri Ordinis Purpuratis Patribus protegentibus, Ludouico præsertim de Aragona Regij seminis, & Hadriano Boijsiuo Gallo Albiensi Episcopo, dum Hieronymus hos, illumq; & omnia qua qua versum mouet; & in indepta possessione ob eius officia manutenemur, & post septennem controuersiam pacis, concordiæq; lux affulget, atq; firmatur. Quippe Riarius quacunque tandem ex causa in manus Leonis Decimi Pontificis fiduciarium eius Abbatię ius ressignat ad fauorem Cæsaris Alexandrini Patriarchæ, & iste postmodum cum Patribus fœdera init sub conditionibus, vt certa pecuniarum summa per illos soluta pro expensis, & pro redimendo castro Gerenzago appellato, reseruatisq; Commendatario pro illius Abbatiali mensa Castro Ardiragi, cum prædijs Pescaroli, & Zoe; alia quæcunque bona, iura, feuda, castra, villæ, prædia, & census Canonicis in ius, possessionemue perpetuam cederent. Transactionem autem diplomate suo firmauit Pontifex Leo Pridie kal. Martij Anni decimi septimi post sesquimillesimum, rem nostram in curia agentibus Sereno Patauino Almæ Virginis de Pace Præposito, & Ordinis totius Oratore, atque Ambrosio ex Comitibus Albumesij Mortariensis Collegij Præposito. Inter hæc Bossus anchoram spei tranquilla in statione componit, & plenam cælestibus diuitijs, & æternis mercibus nauem optato in litore collocat longa rerum mole fatigatus, nusquam tamen obrutus; Deo scilicet ad laborum præmia illum euocante post Generalitios fasces Quintum præclarissimè gestos, ad annum quartum decimum elapsi centenarij sub Placentinæ Canoniæ Tyara. Habemus solertiæ, prudentiæq; eius præclarum adhuc perpetuitatis monumentum Abbatiam Beneuentanam Modesto martyri nuncupatam parochialibus varijs in ea Ciuitate, eiusq; diœcesi, alijsue priuilegijs Imperatorum, atque Regũ insignem, quam Iulius Ruuereus Papa Secundus ab Monastico Diui Benedicti temporum iniquitate penitus destitutam ad Canonicum dogma transtulit, rei pridem inchoatæ exitum acrius vrgente Hieronymo sub initijs Generalium fascium Secundum initorum. Cæterum de viri virtute memoria penes po-

 steri-

ſteritatem adhuc efflorescens virescit quoquo versum accipiatur illa. Nullus apud exteros ab Ordine commendatior, nullus in Canonijs acceptior. Vis eloquentiæ promptissima, eaq; prudentiæ sale ad omnem vsque incorruptionis laudem condita, charitatis quoque in proximos ardor promiscuè adhibitus Apostolicum ingerebant virum mentibus pia in illum deuotione affectis: atque hinc maxima illa auctoritas dimanauit, qua penes eximios quosq; eluxit perhonorificè. Hinc quoq; non obscura ea sui ipsius despicientia, secundum quam supremis caput suum obijcere periculis pro communi iustitia tuenda, proq; Reipublicę suę iuribus promouendis non semel non dubitauir. Ecclesiasticę nanque libertatis assertor,& dignitatis vindex illustris in ipsissimę virtutum omnium,supremęq; Reginę Humilitatis penetralibus enutritus, adeo pernoscebat temporum, rerumue momenta: vt sine labe nunc se murum pro domo Israel opponeret, exhiberetq; faciem velut scilicem, & adamantem, nunc ad omnium se pedes prouolueret tanquam hominum vermis, & nullius omninò frugi. Porrò purior anima ab maioribus sacram artem didicerat Hieronymo Barisano, Cambio Bosso, & Augustino de Nouis viris in Augustiniano canone aureo Sanctitatis stylo notatis. Quippe sub Barisano tum rerum summa Quartum potiente ad consanguinei Bossi Visitatoratum agentis officia lineo induitur stamine, & tyrocinia pręstat seuerissimi quaque conuictus in Casoretano Virginis Deiparæ seminario: Augustinum verò de Nouis gubernationis directorem, ideamue habuit sub cuius priore Generali Pręfectura primum exercuit Censuram in Ordine. Post se reliquit egregius vir sequentia ingenij monumenta, quæ manuscripta apud Basilium Serenium Asseruari dudum audiuimus.

De Fide castè seruanda Libros quatuor, In Communi, Deo, Amicis, Inimicis. Lib. jv.

De Iuramento Libros Tres, Exhibendo, Acceptando, Reijciendo. Lib. iij.

HIE-

HIERONYMVS CARANDINVS MVTINENSIS.





OBILI ortum loco Hortenſio Carandino, & Terentia Molſa parentibus, atque ſibi oblatum adoleſcentem quindennem, vt probauit aſpectu, cathechiſi, examine Hieronymum Carandinum Mutinenſem Camillus Beccius Generalis; ſibi in animo expectationem excitari ſenſit, futurum illum facultatis eximiæ ad agendum de ſuperiore loco cum populis, ac ſi ritè perpolliretur, vitam quoque ipſam comparem euaſuram. Et quidem longè ſuper ætatem gradiebatur alacritate ingenij, verborumq; quæ fulta humaniorum literarum præſidijs, ſiue in ſolutæ, ſiue in adſtrictæ orationis tentaretur themate, exundabat in torrentis ſpeciem, laxior quidem, ſed quæ maturitate annorum ſe ipſa intra alueum collectura ominaretur. Atque hæc erant initiandi ſpecimina, cum eodem Generali mandante Bugellam amandatur Ciuitatem ſub Alpibus, in cuius tum ſolitudine inſtitutum erat noſtris ſeminarium celebre receſſu ipſo, & omni, ac quolibet arctioris diſciplinæ inſtrumento. Collimatur pædia eximia pro animo atque moribus: nec amouetur niſi iactis etiam Dialecticæ fundamentis Ambroſio Vercellenſi præceptore. Dehinc Placentinæ Academiæ inſeritur ad Philoſophica proſequenda ſub Petro de Magnanis Placentino viro in ijs, atque Theologicis cum paucis exercitato. Vt verò ętate maior, robuſtior quoq; apparebat eloquio, doctrina, ſpiritu. Patauinum Diui Præcurſoris Viridarium omni pomo veteri, nouoq; fęcundauit, exornauitq: irrigatoribus eximijs Honorato Roberto Iuuenatenſe, Marco Antonio Ottellio Vtinenſe, & Valeriano Zampetrio Imolenſe. Benedictum Iuſtinianum Cardinalem Congregationi perofficioſum,& Fridericum Corneliũ Ciuitatis Antiſtitem vario tempore diuerſos ad eam Canoniam, & religioſo hoſpitio exceptos, bina oratione latina, eaq; fermè extemporaria excepit ita; vt prudentiſſimi Præſules deprædicarent adoleſcentem ad omnem eloquentiam natum, etiam impræmeditatum,abſoluti oratoris munia prorſus obijſſe. In ijs etiam, quæ ad cohoneſtandos potius parietes, quam præclaros hoſpites, appenſa erant diuerſi idiomatis poemata, non poſtremè commendabantur, quæ de penu Carandini prompta legebantur. Athanaſius Arcellius Placentinus egregij nominis concionator in Patauina

Cathedrali publicas multa cum laude habebat conciones. Preclarę indolis adolescens Hieronymus Abbatis iussu adibat, attentè audiebat, & statim ad Monasterium, pulpitumq; ascendens auditam concionem facunda non minus, quam fæcunda oratione recitabat. Quibus artibus & benè audiebat apud omnes, & nulla erat in præclarissima Vniuersitate palestra, cui non aliquid symboli apponeret, præsertim in disputationibus: non contentionis, aut ęmulationis spiritu, sed indagandę, & cognoscendæ veritatis studio: & eos, quibus præsto esse non poterat publicus disceptator, ne Ordini Canonico notam inureret primum locum ritè possidenti, Magistro Sententiarum primam cathedram tenente, si ab eo lubens, ac volens decidisset; priuatis congressionibus adibat, aggrediebaturq; profitentes vna & dexteritate, & alacritate receptissima. Inter has exercitationes quadriennium ponit, & dimittendus ad Doctoream rudem vix in Leuitarum numero cooptatus, Generalis Rouescalæ permissu triduanam publicam concertationem cuiq; volenti exhibet, euulgatis Theorematibus ex omni scientiarum genere, Grammatica, Rethorica, Poetica, Logica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, Cabala, Physica, Medicina, Metaphysica, Iure Pontificio, ac Cęsareo, & demum Theologia. Continebat vix ampla alioqui Basilica non promiscui populi, sed eruditorum confluentium coronam: nec fortè quispiam fuit, qui aliquo nomine disciplinę cuiusquam sibi placeret, qui pugnam solemnem non exornaret, aut pręsentia, & iudicio, aut arenę descensu. Altera quapiam die inter pugiles pugnacem iuuenem Franciscum Sauiolum excepit stadium, qui acri & iudicio, & lingua disceptationem aggressus ad easdem qualitates aduersarium compulit induendas. Ipse enim ex nomine academico vt moris apud Italos est, quo vocitabatur, disputationem orsus, in hęc verba exiuit. Pertinax sum ego, si nescis, Reuerende Pater, atque argutè pręfatus, promptum, & repulsantem inuenit ictum. Assumpserat sibi Hieronymus Paradisum Terrestrem pro disponendis pulcherrima methodo Thęsibus suis: Hunc in Emblemate suo Academico gestabat, figurabatq; Sauiolus; ideoq; in pręfatione quęrebatur, quod is peculiare sibi surripuisset Insigne, pro quo recuperando bellum legitimè inferebat. Factum est in Theatro tanquam in pelago murmur vocum quasi aquarum multarum. Ideo prę cęteris enituit pugna, quo ferocius sæuire videbantur alter in alterum argumentorum, & responsionum telis athletę, & fermè par florens ętas, & vniuersitati cognita virtus, ac studium vtrosque committebat gloriosæ veritati de tenebris medijs eruendæ. Per omnia igitur tentatus, & redimitus Magisterium init non tenuis nomine, sed ipsa re, & exercitio. Philosophos primum, Theologos dehinc interpretari iubetur, & annis meritum augentibus, doctrinamq; præcipuarum Ordinis Academiarum moderatur studia nunc Mediolani,

nunc

nunc Cremonæ, Rauennæ nunc, nunc Placentiæ. Nec ſchola interdicit concioni; ſed vna ſufficit virtus eminens vtrique. Ieiunij maximi tempore ponit populis labores; in reliqua anni periodo mentis epulum parat gymnaſio. Nunquam ſibi vacat, qui horam omnem ſtudio iugi vacat. Quantum verò in arte dicendi excelluerit, vnica illa Oratio in laudem Diui Caroli Borromæi in ampliſſimo Mediolanenſi templo nobiliſſimo totius Inſubriæ concurſu habita ſatis ſuperque indicat, quam typis impreſſam neminem ſatis admiraturum putem, cum eam legerit aureum vndique eloquentiæ flumen emanantem. Tota denique teſtis Italia, in cuius inſignioribus vrbibus & Eccleſijs Regij Lepidi, Romæ, Cremonæ, Bononiæ, Placentię, Neapoli, Venetijs, Anconæ, Mutinæ, Ferrariæ, Parmæ, Lucæ, Nouariæ, Mediolani per annos circa viginti quadrageſimas verbo, & exemplo egerit pari laudis, atque fructus exitu. Et in horum nonnullis binas, ternaſq; habuit quadrageſimas. Venetijs autem in nobiliſſimo Incurabilium Hoſpitali per integram quadrageſimam bis quotidiè mane, & veſperi admirabilis potius, quam imitabilis, concionatus eſt, vt populi illius animos ob anni præcedentis Interdictum, cui ſuppoſitus fuerat, aliquo modo ſauciatos ex incuria curet. Theologicas Placentiæ habebat prælectiones ſub Abbate Angelo Gabriele Anguiſſola per eos dies, quibus feſtum Diuiſionis Apoſtolorum celebrandum erat: vndiq; audiebatur ſacrorum metallorum ſonus fideles conuocans ad infinitum ſibi comparandum Indulgentiarum Theſaurum in celeberrimo D. P. Auguſtini Templo Apoſtolicæ Sedis benignitate, ac liberalitate aſſeruatum: cum publicata eſt Bulla Pauli Quinti reuocatoria Indulgentiarum, quæ per prædeceſſores ſuos Regularibus conceſſę fuerant, cum reſtrictione ad certum quemdam, & paruum numerum. Coactus ſuper eius interpretatione Theologorum conuentus in eam deſcendit ſententiam ſublatas fuiſſe omnes, & ſingulas Indulgentias tum perſonis, tum Eccleſijs Regularium conceſsas, proinde actum eſse de Indulgentijs Auguſtini Eccleſiæ conceſſis. Summo animi mœrore omnes afficiebantur; cythara noſtra verſa erat in luctum; cum Carandinus lecta, & benè conſiderata Bulla coram Epiſcopo, Inquiſitore, & primario Societatis Ieſu Theologo demonſtratiuè oſtendit reuocationem Pauli comprehendere tantum Indulgentias perſonis Regularibus non eorum Eccleſijs conceſsas, propterea intaminatum remanere Auguſtini theſaurum, quę ſententia fuit iudicio Vrbis Orbis Magiſtrę approbata, & populorum pietas frequentiam adhuc retinet. Lucæ coram Excellentiſſimo Senatu in funere Frigdiani Burlamachij Viſitatoris de Congregatione Lateranenſi, & ea Republica benemeriti orauit improuiſus, ac ſi paratiſsimus fuiſset. Neque verò inter tam varia Reipublicæ pepercit ſuo loco moderandæ nunc Abbas Regij Lepidi, nunc Mutinę, nunc Præpoſitus Vincolæ, per iteratas vices

iugo

iugo oneris magis, quam honoris colla subdens inter nodos semper rerum, ac temporum. Sed aurum depuratur igne. Mutina secedere aliquando cogitur imperio Francisci Ducis, & liuore quorundam, qui animi robur, constantiamq; in tuendo iure suo, & liberam mentem, solidamq; doctrinam in eo profitendo illi vitio vertebant, miscentes adhuc calumniam veris. Stetit tamen infractus, & pro illius existimationis indemnitate Congregatio, donec post paucos menses intercedente apud filium Fratre Antonio Capuccino (illo nempe qui terreno regno abdicauit se raro prorsus exemplo, vt cęlesti vim faceret) gratię Principis, sediq; suæ restituitur bonis omnibus non oculte lætantibus. Inter tot, tamq; varios exanthlatos labores, siue colimantibus sensim studijs, ac vigilijs, siue natura in id flectente, ante tempus conspergitur prorsus veneranda canitie, qua & ori alioqui florido decor augetur, & proceræ staturæ dignitas. Vrbani Octaui decreto gratioso, quod Breue dicunt, Prælatorum iure perpetuo, nomineq; donatur: nec benignam minus Congregationem tulit, à cuius Comitijs Bononiensibus creationis Generalis Cappelli in idem ius stabilitur qua concionum, qua lectionum iugiter habitarum intuitu: & ab Definitorio Dietæ Regiensis inammouibili Abbatis titulo cumulatur. Decessit anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo Mutinę sexagenario maior Abbas Trinitatis, & successorem habuit Angelum Morbiolum Mantuanum Definitorem. Scripsit autem

De Sancti Caroli Borromæi laudibus Orationem Mediolani in summo Templo habitam, Ad Ranutium Farnesium Ducem. Mediolani apud Tardatem 1608.


Item scripsit Scholia ad Libros octo Iosephi Mozzagrugni de rebus Gestis Canonicorum Regularium; verum quoniam acrius suggillarent virum alioqui Canonicam normam professum, à prælo ablegauit, notat aliqua temperatius Basilius Serenius in suis Dilucidationibus.

Item De Iusta Regiminis à se abdicati repetitione. Ad Policarpum Chiozzum Generalem, & ad Collegas Visitatores Librum vnum. Extat apud me manuscriptus.

HIE-

HIERONYMVS RIGHETTVS VENETVS.





IERICVNTINAM Publicani vocationem à Seruatore Deo factam in se quodammodo innouatam sensit Hieronymus Righettus Venetus; vna scilicet corporis exiguitate Zacheo comparandus, ex qua Righettinum communiter, non Righettum, nec Hieronymum audiebat. Sed & ad telonearij illius exemplum cum Iesum videre quis esset, cuperet, & præpediretur pusillus à turba ascendit in arborem Sicomorum, eiusq; sic hospitio dignatus est. Clericalis instituti normam quis Sicomorum appellare vetat? ficum fatuam mundo, quando stulta elegit Christus, vt confundat sapientes; sed proceritate sublimem: florentem quidem more sęculi in extimi linei supparis lenitate; infęcundam tamen eiusdem sęculi fructu, fæcundissimam fructibus vitæ, & homines reddentem, maturantemq; (etiam repentinis impulsibus in morem humilis illius) peccatores, notos, publicanos auctori Deo. Hanc ascendit cum salutem quereret Hieronymus, & ideo Iesum interioris domus recepit hospitio, vt naturali excisus oleastro in bonam oliuam insertus fructus posset legis afferre. Iesum quidem vident omnes quot quot Triadis Sacrosanctæ nomine baptismalibus lymphis abluuntur; sed penitima eius, quidditatem ue ij aut soli, aut præ alijs assequuntur, qui de turbarum lato numero, & infimo situ se tollunt altius per sacratum Religionum accessum, legitimamq; scansionem. Et benè quippe cum illo actum fuit, cum membrorum pusillitas spiritus proceritatem peperit, & probam animi indolem exiguo hausit ab corpore. Dimidium verò bonorum suorum non dedit pauperibus, nec reddidit cuipiam in quadruplum, qui sub fortunis arctioribus ortus neminem fraudauerat; sed horum loco totum sic dedidit se se, vt veræ subiectionis, perfectæq; humilitatis alumnus meruerit in conuiuio excipi ab conuiuato, conuiuanteq; Deo illis verbis, Amice ascende superius. Id certè illi coram simul discumbentibus cessit ad gloriam, & eam non inanem, quia sic honoratur vir, quem voluerit Rex Dominus honorari, & quia non ad inanitionem tendit laus ab Ecclesiastica Prælatione proueniens; sed (quod magis illi curæ fuit) gloria huiusmodi vadimonium quoddam extitit, & vehiculum

filiculum ad gloriam illam maiorem æternitatis sęculorum, quæ occasum non nouit, & quam repromisit Deus diligentibus se. Numerum annorum peregrinationis Christi expleuit in Ordine, de more per dimensum stadium Naturalis, Diuinæq; scientiarum plasmatus in bonum Ecclesiasten. Canonicas tamen sanctiones, & partem illam potissimum, quam Casuum conscientiæ dicunt, coluit exactius, & peculiari quadam animi propensione, atq; delectamento: & munus illud notum eum magè reddidit apud Venetos, exterosue, quam prędicatio. In hac enim vix ab Ephebis mediocritatis extulit caput, quæ oratorem exigat conspicuum etiam donis naturæ liberalis, aspectu, tono, voce, laterum firmitate; in ea verò in virum perfectum euasit prudentię, zeli, scientiæq; talento singulari. Confluebat ad Charitatis subsellia multitudo languentium animo, & tanquam oraculum excipiebant hominis monita, consilia, cohortationes, in ijs quoque quæ œconomicam dispositionem spectare videbantur, morumue præsertim compositionē: nec soluissent ad remotiora ij, quorum negotiatio mari inhęrebat, quin prius virum adijssent monita, bonasq; precationes recepturi. Ab vnis se immiscere politicis abhorruit, vnde nec quęsitus respondere, nec interrogare etiam de ijs, quæ fiebant in dies, patiebatur. Rarissimus extra domum, ad forum nec semel in anno, quod in elegantissima, liberaq; vrbe, & patria non communis continentiæ signum est. Senatores non paucos in filios adscripsit spiritus tam per homologesim, quam per cōferentias, quorum vicissim beneuolentiam veluti patrum admisit experimentis vtrinque probatum. Constantinopolim, Romam, Viennam, Parisios adeundi ab Oratoribus ipsis postulatus instanter, digredi non aquieuit. Ad prima vocationis tempora vt laborum leuamen, solamenq; animi calamo lusit delineationem sui ex naturę propellētis ictibus, cuius exordia secum tulerat in sęculo atramentata. Verum dierum successione, & praxi auxit adeo intellectum, & accumulauit ita peritiam, vt ex lusu ad serium, ex canicularibus diebus, horisq; succisiuis ad omnem horam, & ad noctis vigilias studia huiusmodi exercitationesue transtulerit. Incubuit etiam numerorum apprehendendę notitiæ; non eorum inquam, quorum exercitatio mercatoriam non excedit, calculos solos, summas, partitiones, multiplicationesue agnoscens, Abachistica communis, & ordinaria; sed illi apprehendendæ, & exercendæ operum dedit Arithmeticæ, quæ Mathematicam matrem noscit, Algebram facit, Algebraicasq; speculationes versat: & adhuc ab ista ad eam penetrauit, quæ Mysticam Numerorum notionem distinguit, & à perpaucis agnita communem etiam latet Doctorum gregem. Porrò quid ex duabus hisce exercitationibus profecerit, index esto infallibilis dignitas, quam recepit: adeo placet, probaturq; Deo per diuersa variæ virtutis media homines extollere, populisue conspicuos, atq; imitandos reddere.

De

De Numerorum quidem Sophia libros sex edidit, quorum altera pars Algebræ, arcanisq; eius pluribus detegendis insistit: altera verò altius adhuc se tollens Pythagoricam, Platonicamq; sectas elucidans, conuincit, veram extitisse Auenzoar Babilonij sententiam ab Arabe Albumasar contestatam, Omnia scire eum, qui nouit numerare. Adeundum profectò opus ab ijs omnibus, qui abditiora, superstitione remota, nosse peroptant. Quæ Sonchedes Ægyptius Pythagoræ tradiderit, quæ ab Schenufide Heliopolitano didicerit Plato, quæ in hoc explicanda Aglaophemus, Iamblicus, Philolaus in medium adduxerint per singulas sectiones, quatuorue singularum capita in medium eruditè profert. Neque semotos facit Christianorum peritissimos Aurelium Augustinum Patrem, Boetium Seuerinum Consularem, Origenem Adamantium omniscium, Clementes Alexandrinum, & Hierosolymitanum, Iustinum Martyrem, Ioannem Picum Mirandulanum, Augustinum Steuchum Eugubinum, aliosq; claros, quibus & adnectit non perperam Philonem, Leonemq; Iudeos, docens ex vno Moysi sapientiam hanc omnem fuisse profectam. Cæterum quonam pacto ex his ad Episcopalem cathedram ascenderit excipias. Inter cætera, quæ ad minutissimi operis perfectionem delinearat calamo, diuersisq; dono dederat Principibus viris, ac Senatoribus Venetę vrbis formas amplissimas Laurentio Priolo Equiti sibi familiaritate iunctissimo obtulit tam affabrè, tamq; adamussim elaboratas, vt nulla prorsus amplissimi emporij particula non modo non prætermissa, sed neque extra situm locata dignosci posset, oculisq; sic obiectata, vt ad primos quisq; obtutus quęnam quęque res esset colligeretur. Plura vir clarus alia viderat laborum eius, & commendauerat sæpius: verum adeo captus est in horum examine, vt post multa hinc, atq; hinc discussa auctor Righetto extiterit, vt aliquid simile moliretur Romano Pontifice dignum, pollicitus acturum se Oratore Reipublicæ mediante, vt osculo pedum, & oblationi admitteretur. Almam Vrbem Orbis dominam, Religionisq; sedem reddidit intra paucorum dierum curriculum, auctore ipso, & archetypo naturali (adsit verbo veritas) fermè mirabiliorem, formis quidem augustis hędinę papyro commissis, sed pro re adhuc angustis. Sixtum Quintum acrem illum, emunctissimiq; iudicij Principem cœpit primus oblati operis obtutus, mensq; mox diffusa in cuiusq; partis perpensionem prouoluti ad pedes erectionem iussit, vt signaret artis industrias. Cumulauerat emblematis, vallaueratq; formas hieroglyficis talibus ex stemmate montium, Leonisq; gentilitio ductis tanta intellectus subtilitate, vt oblectarit mirum in modum excelsam summi illius indolem. Verum cum ab differente excepit, leua manu producta, se illius ministerio opus absoluisse; qualecunque illud; vix quasi fidem adhibens asserenti, virtutiq; fauiturus, se quidpiam exequentem intueri velle dixit: statimq;

introducta papyro, ab paratiſſimo artifice Tremitanam Inſulam, arcemq; ex ideato exemplari extenſum eiuſdem ſinixtrę opus accepit breuiſſimi temporis perlabente ſpacio. Aſſueuerat munificam manum Sixtus liberalitati, dum virtutes haberet coronandas. Hinc Righettum haud poſt multa, Reipublicæ etiam adminiſtris poſcentibus, Caprularum Epiſcopum declarauit multiplici pauperum populorum bono, quibus per annos aliquot vixit Pater, Paſtorq; verbo pariter, & exemplo per temporalium directionem illos ad ſpiritualium exercitia, qnod leuiter vix antea curatum fuerat, introducens, deceſſitq; relicto ſui deſiderio. Nos dum adhuc in Leuitarum numero Anconæ Lectorem ex Patauino Archigymnaſio ageremus vidimus plura apud Marinum Gondolam Patritium Raguſinum ad Mermecidis propè artem ducta ab Hieronymo, quæ digno viri clari zelo inter pretioſiora aſſeruabantur. Habemus ab eo

De numerorum Sophia Algebratica, ac Myſtica libros ſex ad Marcum Antonium Barbarum Equitem, & Diui Marci Procuratorem. Venetijs Anno 1586. apud Iolitas.



HIE-

HIERONYMVS SIRINVS TARVISINVS.





LYCEI huius exornare aulas prorsus cogimur Hieronymi Sirini pia commemoratione; & tamen nobis, licet curiosè conquisierimus, nil innotuit, quod de ipso singillatim referamus. Summæ quidem lectionis vir inclytus Antonius Posseuinus è Societate Iesu in Præclaro suo Sacro Apparatu virum & adnotat, & adscribit; sed breuibus hisce tantummodo verbis, Hieronymus Sirinus Canonicus Regularis Italicè libellum edidit, De Diuina Gratia aquirenda, qui non semel à Typographis Venetis est euulgatus. Sed hinc argumentum non ineptè sumimus de viro hæc profari, super solidam illum petram inconcussè firmatum extitisse: quandoquidem ex humilitatis radice, exq; propriæ abiectionis amplexu id contigisse certo certius autumare est, eum operi nomen quidem, cognomenq; apposuisse suum in Pontificiarum sanctionum, & Regularum Indicis obedientiam id pręcipientium, silentio verò obuoluisse quæ exactius illum manifestum agere potuissent. Opusculum ipsum quinam, quantusq; Auctor extiterit testatur, & euincit: cor etenim id tantum eructauit, quo plenum erat: vnde exiguæ molis paginarum, voluminum plurium maximorum victor gloriosè triumphat. Hinc mirum non est si sæpe, & sæpius ab Impressoribus cussum extiterit. Italico idiomate dictatum, in alienas linguas oppurtunissimè, & summa cum vtilitate, si transferretur, id futurum arbirramur. Libello Thomæ de Kempis De Imitatione Chri.i ritè annecti posse videtur, & Stimulo Diuini Amoris Seraphici Bonauenturæ, Meditationibus Sanctorum Bernardi, & Augustini, atque huius Confessionibus, Manuali, Soliloquijs, ac alijs quibusdam paucis huiusce classis pijssimis omninò lucubrationibus. Docet etenim breuiter, dilucidè, ac sanctè sub stylo plano, puroq; tria fidelibus omnibus verè pernecessaria, Modum Diuinæ aquirendæ Gratiæ: Modum cognoscendi illam assecutam, quantum pro præsenti statu agnosci potest: atq; Modum illam conseruandi, seu se in illa firmandi. Per viginti quattuor gradus autem ad perfectam beatitudinem perueniri docet à Fide scilicet ad signa vsque, quibus animæ nostræ Spiritum Sanctum inesse cognoscitur. Porrò quantum nobis coniectari datum est ex pluribus, Hieronymum hunc opinamur illum Taruisinum

HIERONYMVS STROZZA MANTVANVS.





RATORIVM extra Mantuam cute exuto Apostolo dicatum Regulares Canonici Portuensis Congregationis possedere longioris ætatis curriculo. Ab fiduciarijs Prioribus oppigneratum pridem, post Restrictionem Frigdionariam veneranda semper Galdini Bardij Placentini solertia recuperauit; dum verbo, factisq; & opinione sanctimoniæ potens apud Opizzonem Polentanum Rauennæ Dominum, eius auctoritatem, nomen, fideiussionemq; ad illud,& alios Prioratus, prediaue à creditoribus redimenda iugiter interponens, nouæ Congregationi summo fuit vsui, & ornamento. De anno vigesimo quarto ab Reformatione placuit Generali Synodo Rauennæ congregato illud in Monasterium formale sub Petro Rido Generali erigere, octo Canonicis, Prioreq; actuali eidem assignatis, quod post annos quatuordecim, cum Philippi Mariæ Vicecomitis Ducis Mediolani exercitus Portuense cænobium occupasset, Eugenius Quartus ab omnimoda illius subiectione, & obligatione liberauit. Sed cum adhuc nimia præmerentur ægestate ibidem inhabitantes Canonici etiam diminuti numero, iuuit illos Iacobus de Strozzis; qui cum Augustinum fratrem Canoniæ ab Ordine iam Præfectum impensè diligeret, prędiues moriens,omnes facultates suas loco reliquit, hac lege, vt inibi Ecclesia, Domusq; capax competentis numeri Canonicorum erigeretur, quod & postmodum ille fidè diligenter, egregięq; præstitit de anno secundo ante quintumdecimum salutis operatæ centenarium. Hoc igitur nobili familiæ de Strozzis præstans beneficium debet grata Congregatio, non tamen vtique solum. Ad ea enim tempora prærer nuncupatum Augustinum dedit & nobis Hieronymum, quem proximi Veronenses aluere lacte Religionis, & ijdem solido cibo scientiarum nutriere crescentem. Oppiparè vero exceptum ab eis sancta vitæ totius acta ratio demonstrauit, in qua illud reddidit cum fęnore casto, quod gratis acceperat. Adulti iam, mundumq; stomacantis fuit eius ad illos accessio, quæ quoniam inuenit ex non ita pridem operata Frigdionaria Reformatione pectora diuum ignem tam intra domesticos lares, quam extra penates eructanria; facili negotio escā addidit pabulatori illi. Totum eius studium in veræ sanctitatis inueniendis,

sequen-

cantem. Plurimi ex nostro, plurimi ex alieno dogmate sequi præeuntem, easdemq; semitas signare satagebant, irrito tamen quoad multa opere, atque conatu: quippè non omnes pariter à natura, pariter ab cælo instruuntur, & idem zelus in proximos diuersimodè administratur, cum vnus, atq; idem spiritus diuidit singulis prout vult. Hinc dum ferebat occasio, vt ab ciuitate in ciuitatem pergeret ex præscripto Prælatorum obsequentium necessitati rerum, concidebant quicunque habenas illi iam commendauerant animorum, & erigebantur qui excipiebant in spem melioris frugis. Ipse verò nil sollicitus totum se committebat dispositioni procerum, & quiete vbiq; pace ue spiritus potiebatur, in cuius alimentum licet varii calamo cudisset ingenij, pijq; animi monumenta, non tamen illa ope Calchographorum vulgari permisit. Emissum tantum legimus quod statim reddemus opusculum mage ad excitandos deuotionis sensus erga Saluatorem Deum, quam ad ostentandam vel eruditionem, vel scientiam. Demum dierum plenus sanctè obdormiuit in Domino. Edidit ergo

Opusculum quod inscripsit, Psalterium quinque cordarum ad honorem Christi Domini, quadraginta psalmos continens ex diuersis Prophetæ Dauidis versiculis compositos, & ad prima elementa Sanctissimi nominis Iesu in inchoatione cuiuslibet versiculi accommodatos. Venetijs Anno 1521. apud Ioannem Antonium, & fratres de Sabio.

HIP-

Franciscusq; Panicarola ex minoribus, quorum virtutis decor, nominisq; celebritas eò peruasisse videbatur, quo dudum peruenere vni Demosthenes, & Cicero. Vox item efluebat per doctiora Italorum ora neutiquam addi posse tantorum Ecclesiastum conatibus, vel appositiore, compositioreue forma suaderi haud populis Sacrosanctę, & illibatę Religionis Mysteria, salutisq; ęternę curam sedulam in declinatione mali, & in actione boni. Non tamen ideo aut fugit, aut declinauit comparationem Hippolytus, sed ex arduis animos acuens studium velocius cucurrit, vt brauium comprehenderet, ne qui aliquali ætatis honore anteibant, vbertate fructuum in Vinea Domini Sabaoth anteirent, sancta quadam concurrentia charismata meliora, vt Doctor Gentium suadebat, æmulatus. Videre autem præ cæteris præsentaneo exemplo hanc Athletarum Domini nobilem cōcertationem, & amicabilem pugnam Genuensis Reipublicæ Patres, ac Populus, dum vno, eodemq; anno in maioris ieiunij die Panicarola ad Marianas Vinearū ædes, Carachiolus vero in summo Templo verba mirabiliter quidem, sed fructuo sius haberent. Nouam quandam rerū explicationem, & methodum inuenisse videri potuit in suis concionibus iste, qui nō vltra per fecundos & facundos memorię tractus (quos discursus appellabāt) vber appareret. Assueuerāt populi aures ad illos hauriēdos auidè iā à pluribus annis antecessore quoad talem dicendi Ideam prę alijs Cornelio Musso, Franciscoq; de Visdominis, qui res quasi excursim maiore ex parte potius libabant summis labijs, vnoq; verbo innuebant pertranseundo, quam quod exactius digererent, & ponderarent, vt videlicet summo fluxu multo plura tangere possent, & ex omnibus doctrinarum ærarijs semina aliqua, figurasq; adducere. Egregium profectò orandi gen us, qui & memoriam excellentem requireret, & omnifariā ferè scientiarum omnium cognitionem, atq; pruritum, vtilem tamen gigneret. Verum (si quod sentimus fari lubet) vt non omnibus datum est adire Corinthum; ita non omnes capiebant tantam molem auditoribus solummodo eruditis accommodam, licet per apparentiam illam pręsentem, etiam imperitorum hominum haberet commendationem, qui sublimia, si non caperent, admirarentur tamen. Quare Carachiolus aliam ingressus viam, non Discursus, nisi perrarò concionari, sed Conceptus adorsus est. Vnde & Pater Cōceptuum, atq; Auctor huiuscemodi viæ in concionando habebatur. Ea autem est, quę multo pauciora dicit, sed dilatatiora, ponderatiora, & ex quibus succus spiritus, & doctrinę eliciatur, sumpta ex Diuinis Scripturis sententia, quę meditatu ipsum ad vnguem animet. Qua verò id inchoauerit felicitate, ex eo vno constare potest, quod hisce etiam temporibus (atq; si ex ijs, qui talem formam secuti sunt, & sequuntur coniectari licet) futuris quoq; per longas ętates in vsu est, atq; erit consuetudine ipsa vim induta naturę. Hinc etiam plausus ille, quo procurabatur, excipiebaturq; Testantur celeberrimę

Ciuitates, quibus eloquentiam castam impertitus est, innocuosue mores, ac commendatissimam vitę conuersationem. Sub Gregorio XIII. Pontifice in summa frequentia anni septuagesimi quinti vniuersalis Iobęlei sub Romano Cælo, atq; censura quisnam populorum exterorum confluentium illum non audiuit Annuas, Aduentuales, Quadragesimales conciones habentem in ædibus Sancti Spiritus? Palermitani, Mantuani, Cremonenses, Ianuenses, Neapolitani, Rauennates, vt alios taceam, viridem adhuc memoriam tantæ virtutis custodiunt, & celebrant. Vnus in Diuorum apotheosim iam relatus Carolus Cardinalis Archiepiscopus pro millibus sit, qui Mediolanēsibus suis annuam hanc escam in summo tēplo exhibuit quasi esuriens & ipse, qui spiritus pinguedine exuberabat anno vno antequā ad beatas sedes beatus euolaret. Quid Venetijs præstiterit in Sanctorū Apostolorum ędibus concionator quasi per vmbram colligatur ex eo casu, quem ipse refert in Concione Vocationis Gentium ad suam rem maximum conducente eloquentia, sibi cum Iudęo quodam accidisse; dum non solo publico munere, sed & priuatis allocutionibus, conferentijs, visitationibus animarum lucra scrutabatur, promouebat, & sitiebat. Ex hac verò siti in discrimen non leue aliquando adductus est, vt hortis Satan semper talibus struit insidias. Siquidem cum per integram Quadragesimam Pedemontium, atq; Sabaudiæ Regulo conciones Taurini habuisset vsq; ad admirationem commendatus; nacto ex locorum vicinitate occasionis uehiculo, facultateq; sibi per superiores facta, ad Ianuensium hæreticorum Asellum dixerim, an stabulum? certè non Asyllum, nec Ciuitatem, quæ uerius Lernea palus est, quam lacus Lemanus; excursionem executus est. Tentabat uerò in illa Marchionnem Vici affinem, qui diabolica suggestione per indignationem impotentem in Gubernantem quendam conceptum illac perexerat, adiuuare, lucrari, atque reducere. Quare diù post redditum ad Summos Fidei Censores, quibus de facultate pridem facta nil notum erat per delatores accusatus, custodiq; traditus, examinatusq; est lustratis etiam abundè scripturis eius, ac deinde usquequaq; absolutus, vt videlicet aurum commendaret ignis non combureret. Tandem eloquentiæ viri laudes vno eo pietatis officio obsignemus, quod parentem bis à morte redemerit iterato delapsum in indignatissimas manus Neapolitani Proregis, qui facundissimo filio, vt aures præstiterat sępissimè delectatus in finem: ita per occasionem bis animum gratię inclinauit. Decessit Hippolytus magno Congregationis incommodo vix quinquagenarius in Patria apud consanguineos, cum esset Abbas Sanctę Marię de Frisa Lanciani appostemate in capite orta haud quaquam Medicis cognita. Sepellitur insigni funere in ædibus Virginis Pedisscriptę anno 1588.

Conciones per manus omnium egregia approbatione circumeuntes prodiere Venetijs apud Iacobum Antonium Somascum anno 1599.

HIP-

HIPPOLYTVS CHIZZOLA BRIXIENSIS.





LLVSIT perſonatas Fortunæ machinationes Hippolytus Chizzola in ipſo penè adoleſcentiæ confinio, quæ ideo fortaſſe hactenus cum prolixè opulento, & florenti blandiebantur, vt incautum abigerent in deteriora. Nobili quippe loco Brixiæ natum licentia penè militaris comitabatur ad quælibet audenda, partim ex regionis genio patritiorum natis profusè indulgenti ſub modica parentum diſciplina (vt fama eſt) partim ex coetaneorum laſciuientium exemplo, ac monitis. Neque modus fuiſſet modum ignoranti, ni corporis ægritudo mortifera animi peiorem amouiſset ægritudinem. Haud implorata fruſtra benignitas Dei in præſentiſſimo periculo corda aperuit, excuſſitq; tenebras caliginis exactorum dierum: atque ideo vt viribus conualuit, nihil præterquam cautè delitescere intra Religionis ſepta. Quippe iterato congredi cominus cum cœtaneis pertimeſcebat, ne à propoſito deflecteret, ratus titillamenta ſupra ſuſtinentiam ſuam fore. Florentem nimis ætatem, & corpus adhuc imbecillum prætexentes Saluatorienſes noſtri per Abbatis ora, nobilem iuuenem expunctum volebant à cathalogo, & Abbas ipſe vir egregius, vt ab eo deſiderium auerteret intempeſtiuæ aſperitatis, obtrudebat arctam, & præruptam Religionis ſemitam, quam ſtatim à conſpectu refugeret. Re vera animi patrum diffidebant in eo ſtabilitatem, & perſeuerantiam ex famoſa anteactæ vitæ libertate ſub Ciuitatis oculo nemini non nota. Ipſe tamen precari, vt in ſemitam admittatur, nunquam ab ea pedem relaturus. Satis conſuluiſse quæ opporterent, & ideo Canonicum cæteris prætuliſse inſtitutum tanquam mediæ, regiæq; viæ inceſsu ſtatariũ. Quare perfecta charitas peruicit, foraſq; miſit timorem, & ex habita Congregatione, inter Tyrones locum habere iubetur, prece ſcilicet in omen futuræ virtutis, ac firmitatis accepta. Non pręſtat ſingula proſequi, quibus, ſe damnauit, aſpera, vt corpus labori duraret, & animũ pręterito exueret homine. Separauit aurum, argentũq; à ſcoria in camino ardẽti diſciplinę caſtigatioris, donec purus inuẽtus eſt in Sacerdotij dignitate ipſa, quam cumulauere proceres miniſterio ſacrę prędicationis. Ex breui paucorum annorum periodo inter primos Italorum Eccleſiaſtes colitur, & adnumeratur populorum, procerumq; vniformi

suffragio. Decennis exercitatio gradum fecit apici, secundum quam creuere agones facundię, & cum eis creuit agonistę facundię fama. Facundia verò facilitate naturali commendabatur in primis, ad cuius intuitum eloquens diceretur, non emendicata ab artificio, nisi stipe illa, quæ aut amputaret superflua, aut compesceret anomala. Ornatum, vel flores orationi nullos inferebat; candorem eloquio pariter exhibebat, & habitu. Sugillabat vitia, hęreticamq; perfidiam acerrimè, tum præsertim cum panem Euangelij frangeret Ciuitatibus Germaniæ proximioribus Mantuę, Bergomo, Brixiæ, Nouocomo. Quoniam etsi luridum virus in catholicos populos nihil sibi adsciuisset imperij; tamen ne excita inde fama seduceret mentes infirmiores ad curiositatem nequam, prout contingit in rebus, quæ nouitatem redolent ex lapsu humanæ imbecillitatis, ideo occurrebat ipse antidoto, & per rimulam insinuatis erroribus summa manu, latè illos cum perditis sectarijs auctoribus conuincebat, eliminabatue. Quin ex casu quopiam, quo tentari meruit, exarsit adeo in nouatores Ecclesiæ perduelles, vt linguæ ministerio, minus tribuens, quam calamo: vtpotè quod transeat irreuocabile verbum, & solis præsentibus instilletur, quæ verò calami sunt, & perennent, & longè, lateq; ad remotissimos etiam deportentur; ideo scriptis etiam illos insectari elegerit. Indixerat OEcumenici Tridentini Concilij prosecutionem Summus Christi Vicarius Pius Quartus, & destinatis maximè ad Germaniæ Proceres nuncijs omni paternæ charitatis officio ex vniuerso penè Christiano orbe ad tantum inuitarat conuentum Patres, qui de iure, consuetudine, aut priuilegio interesse consueuerunt; cum Petrus Paulus Vergerius ex Iustinopolitano Episcopo factus apostata, & trāsfuga in eiusdem Indictionis diploma, & contra Sanctum Domini stylum contorsit, tribus diuerso tempore libellis amarulentiam euomens animiârociter proditoris, italico idiomate non transmontanos, aut transmarinos populos seducturus, sed Italos ipsos, intra viscera ipsa throni Apostolici discordias saturus turbas, ac tumultus. Aduersus sycophantam armauit piam manum Hippolytus, & fulmine veritatis, orationisq; tonitruo deiecit sacrilegum, triplici responsione eodem idiomate edita intra paucorum dierum spatium imposturas, mendacia, insaniam, ignorantiamue perditi nebulonis dispergens. Et qui paulo ante causam catholicæ doctrinę in vniuersum contra septentrionales hydras volumine edito egerat, adiecit tali argumento, triphaucis Cerberi obtruncationem. Hæc quidem munia erant Magdalenæ eius. Eodem verò tempore & actuosis Marthæ operibus manum adiutricem porrigebat vir factus ad omnia. Quandoquidem ab assuetis minoribus gradibus ab vsq; Visitatoratum ascenderat, dignitatem in Congregatione supremo apici proximam; vt hinc liceat inferre quarum ipse qualitatum fulgeret ornamento, cui peruia erant subsellia maioris

exigen-

exigentię, non doctiorum, sed cordatiorum, sed prudentiorum laboriosa præmia. Eo autem id clarius enitet, cum & per eosdem dies florerent inclyti inter Cōcanonicos,& Conciues Hieronymus Calinus,Cyprianus Pontecaralis, & Basilius Phisonius ministerio publicæ rei, & ipsi commendatissimi, atq; vnius fortè scholæ Thomæ Brixiensis senioris omnes alumni. Tam multa igitur miscens vtriusq; vitæ, vitam collimauit ad senium quidem perductam, sed quam ex optimo temperamento protraxisset quoque ad vlteriores annos, qui proximis magè, ac posteris, quam sibi vixit. Eligitur Abbas Trinitatis Mutinæ anno sexagesimo primo superioris sæculi suffectus Illuminato Volpino vita functo per electionem Pauli Veneti Generalis, & Calixti Mazzolæ Vicentini Censoris extra Comitia. In sequentibus Visitator renunciatur, & biennio post decidit Abbas Præcursoris Viridariani Paduæ successore Ioanne Baptista Brixiense.

Viget verò immortalis in hæc monumenta.

Italicorum Discursuum, seu Tractatuum ad confutandas particulares hæreses libros duos Ad Franciscum Gonzagam Cardinalem. Venetijs apud Andream Arriuabenum 1562.. *Lib.* ij.

Responsionum Italicarum ad tria scripta Petri Pauli Vergerij hæretici Indictionem Concilij Tridentini impugnantis libros tres ad Carolum Borrhomæum Cardinalem, postea in Apotheosim relatum, Venetijs apud eundem Arriuabenum 1562. *Lib.* iij.

De Cultu, & Inuocatione Sanctorum, Concionem in Cathedrali Mantuana habitam, quam Thomas Porcachius edidit in volumine Concionum illustrium Prædicatorum à se collectarum, Venetijs.

De Potestate, & Maioritate Summi Pontificis supra Generale Concilium, Tractatum vnum, quem se latinè composuisse testatur libro primo contra Vergerium pagina mihi 81.

Discursus super Psalmum Eructauit cor meum &c. quos se composuisse testatur libro primo aduersus particulares hæreses discursu 4. *Cap.* 6. *Verum duo hæc posteriora nondum edita.*

HIP-

HIPPOLYTVS CHIZZOLA
SECVNDVS
BRIXIENSIS.





VO anno excessit è viuis vir inclytus apud nostros, extero sue Hippolytus Chizzola Senior, ex eadem familia, sed non ex lege, lucis vsura fruebatur iuuenis secūdus iste, de quo hic texitur sermo; ceu quodam modo repositus, vt cum adueniente aliquando maturitate deperditum instauraret in Congregatiōne. Reluctari tamen plura cœperunt ab ipso pubertatis exordio, ne quod de super statutum erat ad exitum perduceretur: laxa satis (quod de more in similibus accidit) parumue dolata educatio, genium tam ad bona, quam ad mala peruium, ac procliue, & quod in vtrāque partem iuxta flecteretur, prout pondus accedebat aliundè. Id tantum boni agebatur in supina alioqui cura, vt non deessent vberiora semina literarum, quas humanas dicunt: quoniam ingenium eius in feracis telluris speciem cultoribus haud iniquè respondens ipsam met excitabat segnitiem. Quare hórum adminiculo post longè distractas religionis ineundæ inspirationes, & flamina; tandem emersit ab cœno. Cum enim iam annos natu viginti duos, iuuenili eloquentia polens sub non leuibus aduersis corruisset; sensit prępotentem manum ad meliora retrahentem. Serius agressam disciplinam sensus acriorem indoluit, quem reprimebat lubens, volensq; spiritus sub certamine iugi, fortique. Hinc distulit initiari sacris etiam ætate idōnea cum fine tyrocinij inita, vt vegetiore succo, firmioriq; radice rem tantam aggrederetur. In virum alterum, vt oportebat, sub legibus canonicis euasit: & licet aliquando sub prioribus studijs erumperet natura vehemens, per totq; annos malè sueta; non tamen aut eleuabat se, aut progrediebatur, sed fræno coercita calcar erat ad maturius prosequenda animi bona. Cum anno sexto nouæ vitæ, iam satis dolatus, sacerdos inungitur, & post biennium prædicatorea laurea redimitur consortibus Angelo Gabriele Anguissola Placentino, Ambrosio Marliano Papiense, Iacobo Sanmartino Bononiense, Ioanne Paulo Lercario Genuense, & alijs triginta tribus per Collegium Nouemuirorum in Comitijs Cremonensibus sub Beccio Generali. In messem populorum immissi tot operarij adamussim efformati, & vndiq; per omnes Italiæ oras diffluentes, non

obscura

obſcura piorum conatuum ſpecimina ediderc proximorum ſaluti quaqua verſum incubantes. Vnus Hippolytus tenuit Apoſtolicam arenam per triginta penè annos. Nulla omninò ab re diſtrahitur, quin vigeat, & peragat ſacram prouinciam. Primum quidem, quoniam illi perferendæ ab natura eſſet formatus, per omnium conſenſum partium, quæ oratorem bonum decent congenitæ: dehinc quoniam adminiculis ſcientiarum apprimè inſtrueretur: demum quia pius animi ardor (quod caput eſt) labores, vigilias, ſudores, ærumnas ponebat in lucris. Abſque his verò punctum non attigiſſet, quem attigit, etiam ſi non ſupremum: & cum illis perſeuerat in ore poſteritatis laudabilis, non euacuata adhuc (vti ſperamus) in cælis mercede. Sub ipſo virilitatis flore incertam quodam modo ſedem habuit tam anni, quam concionum: cum eius confinium attingeret ingreſſurus in ſenium Patriæ ſe permiſit, eamq; & incoluit, & excoluit pro ſuo poſſe ad extremum vſque ſpiritum. In ſuo fluxu innundauit nunc Ciuitates, nunc Oppida abſq; delectu, Venetorum præſertim, ac Inſubrum, Opitergium, Cornelianum, Veronam, Bergomum, Cenetam, Taruiſium, Cremonam, Placentiam, Mutinam, Ticinum: & licet æquales plures in miniſterio habuerit, neque paucos ſuperiores ex tot agminum religioſorum numero; non ideo tamen minus reponitur ei, quam lucratus fuerit. Ingraueſcente iam ætate cum paulatim vires deficerent ita, vt cum populo agere vltra nequiret e ſuggeſtu, aliud induit illius iuuandi cogitatum; quod & ſi commune quidem, non tamen eo ſe inueſtiri pridem tulerat, de ſe non vltra mediocritatem ſentiens. Superinducit aliqualem iam habitis concionibus limulam, eam ſcilicet, quæ non degeneraret opus in aliam faciem à prius habita quæcunque illa fuiſſet; & ope Typographorum illas legendas, palpandaſue præbet; vt quod vox præcipitarat in templis ad obliuionem incurioſi auditoris, illud ipſum ſtagnaret impreſſio penes lectorem cordatum, & pium. Non vna, nec leuia ſunt, quę contingere perpeti virum ſenem, & valetudinarium in impreſſione molienda, curanda, promouenda; vt profectò appareat pluribus omninò medijs crucem baiulari, ab ijs qui pro merito æternitatis alijs, non ſibi laborant. Cum aliquando ageretur de illo promouendo Reipublicæ, oppoſuit legem natalium Seraphinus Verdellius; nec abſterſit virtus nota maculam penes tenaces diſciplinæ ſuffragatores; tamen ad honoris intuitum Prioratus Montis Clari appellatione donatur. Vixit ad annum vſque trigeſimum huius ſæculi, & deceſſit piè, fermè ſeptuagenarius in Patria. Vel præceſſit vix epidimiæ debacchantis flagellum, vel in ipſo eius cladis exordio & ipſe proſtratus eſt. Sunt prædictæ ingenij fœturæ

Concio-

Conciones annuales, seu dominicales infra annum viginti quattuor habitæ Papiæ in Summo templo Ad Iacobum Serram Cardinalem, & Protectorem, Brixiæ apud Franciscum Tebaldinum Anno 1615. *Lib.* 1.

Sacri Conceptus texti super Euangelia Dominicalia totius anni ad Desiderium Scaleam Cardinalem Brixiæ apud Io. Bapt. Bozzolam Anno 1623. *Lib.* 1.

Pallas, seu Minerua armata Conciones Quadragesimales Ad Nouemuiros Ordinis supremam potestatem Brixiæ apud Paulum Ricciardum Anno 1626. *omnia Italicè Lib.* 1.



HO-

HONORATVS
MONTECALVVS
BONONIENSIS.





ONTECALVAM Senatoriam gentem præcipuis Ciuitatis Bononiæ, exterisq; pluribus familijs fœdere, ac matrimonijs iunctam cernit ætas hæc nostra sedes suas virtute tuentem post multa ab sua origine exacta sæcula. Quæ enim Tribunos, Decuriones, Iustitiæ Vexilliferos (quos Confalonerios appellant) pridem enumerauerat plures, Iacobos, Masios, Tolomęos, Scipiones, licet cum Bentiuolis, (quorum factioni prima pene immobiliter adhæserat) exauthorata; semina generosiora retinens, nihil, aut perparum de auita virtute remittens, aduersæ cuiusuis fortunæ fluctibus superenatans, se in priora amicæ restituendam præsentissimo aliquando Numine conseruauit. Quippe affinitate intimius iuncta Dynastis illis ob matrimonium Bertolacciæ Montecaluæ Simoni Bentiuolo iunctæ per eos dies, fortunæ eiusdã illorum particeps non esse nequiuit; cæterum Apostolico throno propensa, apud quem legationibus Reipublicæ nomine sæpius functa optimè audisset: & aliquando sub Ioanne Vigesimo secundo Romanæ Vrbis inclyto gubernio Thomas insignitus fuisse sciretur. Pyrho igitur Montecaluo, & Flaminiæ de Gandulfis Nobilibus Bononiensibus filium largita Diuina bonitas est secundum Idas Februarias anni tertij post sextumdecimum centenarium ab Redemptore nato. Hunc Euangelistam vocari ab sacri laticis Ministro sacerdote voluit ex nomine Cardinalis Palotti Sanctæ Romanæ Ecclesię, Cosentini nuncupati, qui illum ab immaculato fonte suscepit. Iure autem merito Euangelistam illum appellatum, qui Euangelio disseminando dabatur, euentus ipse demonstrauit. Cecutit tamen humana mens in sui caligine, neque consilia Dei apprehendit, nisi post factum. Quamuis enim Pyrhus non hunc tantum haberet liberorum, solum tamen istum Aulæ destinabat honoribus, familięq; patritiam antiquitatem in eo volebat hisce medijs reparatam iri; atque ideo in spe huiusmodi lapidem mouebat omnem, vt parili ornaretur disciplina. Hinc Gymnasia illi iam per ætatem idoneo inclytæ Societatis Iesu pręscripsit, ab quibus fundaretur in virum. Antonium Scottum, Fran-

ciscum Nattam, Alphonsum Zanottum, Antonium Bondiem, Quæ duo prçceptorũ paria in Humanioribus,& Rethoricis vtiliter auscultauit ibidem Porrò genitor non vna huiusmodi disciplina filij (tametsi prçcipua) sibi satisfaciens; equestris quoq; culturç in scholis chorearum, equitandi, armorum (schermam dicunt) exercitamenta pertractanda dedit, ab idoneo illius genio ad vniuersa prçclara suasus. Sed parabant hęc aliud vitç institutum, ab eo quod parens digessisset: nam annorum septendecim factus statuit Deo Seruatori de viciniore phalange strenuè sacramentum religionis in baltheo Canonicorum Regularium dicere. Siquidem dum ex summo loco Archigymnasij Thomam Dempsterùm Scotum scientiarum portentum profitentem frequens adiret, nec non & de nobilium adolescentum acriter studia vrgentium more,in honoris tesseram familiariter comitaretur diuina adeuntem; contigit, vt cum is in quadragesima Montanam Euangelistç Ioannis Basilicam accedèret quotidianus Seraphini de Pastis Romani concionatotis celeberrimi auditor, Montecaluus sensim captus religionis ardore, & excitus eximiè collaudantis Dempsteri stimulis, abdita montis perfectionis, sçculi planiciei làxè anteferre scelegit. Comitia Rauennatia statim ab ressignatione Generalis Verdelli hunc tabulis consignant, & non diù post ad Ariminense Cçnobium transmittunt, vbi loci Ascanio Tingulo Prçfecto cooptatore dicatur. Instruit nouum militem Archangelus de Archangelis Anconitanus solers, & expeditus catechista cum Gregorio Carario item Bononiensi, & alijs pluribus. Post nuncupata solemnia vota in almç Crucis Cçsenatensi gymnasio philosophię primordijs manum admouet Sebastiano Celio Doctore. Post hunc in illo annorum spacio, quod lege præscribebatur refferendis in album concionatorum, audit Petrum Franciscum Montalerium Casalensem in Augustiniana Placentina Academia, & Angelum Morbiolum Mantuanum in Portuensi profitentes. Redimitus ibidem nobili fascià studiorum, ad aliud genus laborum subeundum eligitur; nouellos vt surculos ad Canonicam frugem in eodem Portuensi Lyceo perduceret. Neque ętatem florentem impedimenta oneri subeundo prętexentem patrocinari quidquam sibi cognouit. Abstergebat prodroma virtus, & perfecti viri exhibita species in seuerioris disciplinç habitu quicquid iuuenta obijceret: Cani enim sunt sensus hominis, & ętas senectutis vita immaculata. Ea propter post annum Ascanius Tingulus Prior, de cuius sacra manu stolam Ordinis induerat, sibi illum in Vicarium cooptat in eodem Ariminensi Collegio, illo vno intuitu, vt honorifico illicio magisterium idem nouitiorum prosequeretur, quod & per quinquennium ibi prçstitit. Sarcina operosior seponi penè mandat aliud omne mentis opificium, quoniam ipsa totum requirit hominem exprimentem se in viuum exemplar iuuentutis commissę. Inuenit tamen Montecaluus quonam pacto diuerte-

ret

ret absq; diuersione. Vigilias ita substituit somno, vt per ea nihil assueti studij remitteret, nil inferret prçiudicij potissimç illi curç efformandorum morum in tyronibus. Dedit propterea suggestui sua tempora in anni occurrentibus solemnitatibus, præcipuè apud Sanctimoniales Iaculati Martyris: dedit & iuuenibus ipsis ab exedra expositionem in vniuersam Aristotelis Dialecticam. Et licet de Procerum dispositione semel, iterum, ac tertio noui subintroierint efformandi (quolibet fermè anno prioribus post nuncupata vota aliò transmissis) cessauit tamen ipse nunquam ab inceptis operibus tradendi prima Ordinis rudimenta, & eandem diglomerandi massam, quod liquet maxime ex opusculo, quod Atrium interius attitulauit ad eosdem tyrones efformandos infra reddendum. Ad aliam quin etiam extricandam massam eodem tempore volens, lubensq; animum adiecit. Cum enim in literaria quadam concertatione domestica asseuerasset, Naturam nulli Nouercam, omnibusq; ratione vtentibus, quantumuis Barbaris, datam fuisse facultatem, Sapientiam, & Prudentiam assequendi, ni adessent impedimenta in organo, adductis tanquam in exemplum suæ thesis Abari Hyperboreo, Anacharsi Scytha, & Asclepio Imute; coactus fuit eorundem trium Philosophorum Vitas conscribere, quas & postmodum Calcographis traditas nuncupauit Cosimo de Bardis ex Comitibus Vernij Archiepiscopo Florentino Affini, Mœcenatiq; suo. Vtiq; Montecaluo pluris nos debere hic profitemur: quandoquidem in arenam descendit huiusmodi, vt nostrum tueretur Librum de Sæculo Arabico, & de Vitis Arabum Philosophorum insertum in infelicissimè deperditis nostris Voluminibus Musei Peripatetici, seu de Vitis Philosophorum Peripateticorum, qui ab Aristotele Principe, ad nostra vsque hæc tempora insigniores extiterunt. Cæterum quoniam Vicaria ea potestas, qua fungi datum illi fuerat, extra leges extiterat, tanquam ante tempus collata; expleto quinquennio eo, Bononienses illum Patres Priorem Montanum ordinant ad præscriptum Constitutionum sub Petro Gipsio Abbate. Ibi munus gessit de facili maturans alia. In Vrbe nanque præclara solers, officiosusq; ac industrius Canonicorum, quin & Canoniarum quantumcunq; absentium, ac disparatarum negotia tractabat, expediebatue tam peramanter, ac perbenignè, vt vnus omnium æquaret vota, impleret vices, & sæpius euentu meliore, quam si singuli sua perursissent. In Congregationis vmbilico videtur quodammodo situm illud Monasterium, ad quod ex vniuersis Italiæ Prouinciis Canonici hinc inde commigrantes diuertere coguntur. Hos ille omnes sic excipiebat, in vim quidem officij superintendens, sed multo pluris in vim naturæ humanissimæ; vt nulllum dimitteret non cultum omni charitatis amplexu, & sibi non plenè deuinctum. Ab nobili hac gymnastica ad Regiam Genuensium Ciuitatem deportatur, vt præstantissimo Monasterio

Sanctimonialium Diui Andreæ à sacris confessionibus esset: onus vtique non humero cuilibet parabile, siue numerum spectes hecatonta excedens, siue dotes quascunque virginum, quibus vera virtus omnis cordi est. Verum iam de facie laboriosam norat charitatem omnia omnibus factam, charitatiuumq; laborem fœderatum scribebat, quorum ope non se sibi dissimilem exhiberet; quin gradum gradui sternens scalam conscendebat Empyreum attingentem, cui vim non trepidaret inferre. Soluit interea naturæ debitum Marcus Antonius Gentilius Generalis ad Papiense Cęlaureum sub die Diuo Apostolo Didimo dicato, & in sequentibus Comitijs Diætalibus Placentinis Antonio Parmesanio Rauennate ad clauum assumpto, de nouo Abbate Montano eligendo discutitur acriter, pluribus valdè idoneis in numerosa natione Bononiensi repertis, quæ alioqui ab dicto pendere consueuerat functi Gentilij. Ad scrutinij tamen aperitionem Montecaluus Abbas renunciatur. Ab Genuensi sarcina ad Bononiensem præclariorem quidem, at non minus onerosam, ascendit, vtique ab Superum benignitate adiutus, quos & illi assistere iugiter, coniectari liquidò expedit ex ijs, quę præstitit promptè optima inter medias temporum percurrentium difficultates, proborum, literatorumq; virorum amantissimus, & bono Reipublicæ curando perquam addictus. Hinc expleto triennio fasces ijdem in aliud triennium illi dilatantur, rem paucis concessam, & eis omninò solis, qui de gesto magistratu proficuam egregiè operam suam Ordini peruicerunt. Quippe in summis iniquorum temporum angustijs, dum Bononia legionum pontificiarum iura throni primi ab non æquis impugnatoribus contutantium penè sedes constituta vterum gessit in similitudinem equi Troiani plenum; Montecaluus ea se gessit prudentiæ, dexteritatis, officiorumue omnium methodo, quæ Proceribus summis Antonio Barberino Legato, Stephano Donghio Cardinalibus, Angelo Cæsio Prolegato, cæterisque belli maioribus præfectis inter primos Religionum Antistites insigniter illum effulgentem expræsserit, atque oppleta ab militari cohorte Canonia, disciplinam tamen regularem sartam, tectamq; apprimè conseruarit. Nos ipsi officiorum eius fauorabilem acceptationem, dum ab litibus pro indemnitate Cleri tuenda ab impotentibus aduersarijs præmeremur, dignamq; viro munificentiam non semel experti testimonium candidæ veritati damus. Hoc idem dat Ordo, qui per hos dies Archipræsbyterum Monteuianum illum dixit, vtiq; ad maiora (quod virtutum eius est) mox ascensurus. Habemus de illius promptuario. Vitas &c.

Vitas trium Barbarorum Philosophorum Abaris Hiperborei, Anacharsis Scythæ, Asclepij Imutis Ad Cosimum de Bardis Archiepiscopum Florentinum, Cæsenæ Anno Domini 1631. Apud Iosephum Nerium. *Lib. 1.*

Atrium

Atrium interius, vel Claustrum secretum mentale veri Nouitij Regularis, distinctum in quatuor Prospectus, & in Arcus viginti, mox cudendum.

De Christi Domini Seruatoris humilitate Orationem Placentiæ habitam feria quinta maioris hebdomadæ. Placentiæ apud

Ex Ausonio Gallo translatum.

O *Honorate optime,*
Quem nemo fando dixerit,
Qui non prius laudauerit.
Age proles ò Felsine,
Effare causam nominis.
Vtrum ne mores hoc tui
Nomen dedere: an nomen hoc
Secuta morum regula?
An illa venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
Quale creauit moribus
Iussit vocari nomine?
Nomen datum preconijs
Vitaq; testimonio.



HO

HONORATVS ROBERTVS IVVENATENSIS.



HM prę gratis manibus habemus post annum quartum decimum, quem manibus, vlnisq; Patauij amplexati sumus occumbentē, quemue ex viridis memoriæ promptuarijs nunquam iure permittemus deletum, Honoratum Robertum Iuuenatensem pręceptorem dilectissimum. Quæ cæteris vsq; modo persoluimus, iusta sunt quidem veritatis testimonia, sed voluntaria; quę verò huic loco debemus, non nisi necessitate elicita; vt viro de nobis satis merito vices pro symbolo nostro rependamus, & ne quem proprię virtutes extulere, commendauereq; labores & nostratibus, & exteris; calamus noster iniquè perterijsse videatur; eò vel maximè, quod vna cum fortunato natali alieni quoq; conuenisse censentur ad illum fermè ignotum exornandum, & prouehendum ab ipsis etiam pubescentibus annis. Est Iuuenatium inter Apulos Regni Neapolitani Ciuitas non obscura penitus, Bituntoq; notiori proxima. Hinc cum aliquando ad paternos lares peregrinus conuiua inuitatus accessisset Cornelius Mussus eximius ille Sacrorum Concinator Episcopus Bituntinus, quasi lidius lapis ad detegendum, probandumq; aurum; parentem animauit, ut adolescentulo peregregiè instructo pro ętatis captu maiora prouideret literarum alimenta Neapolimue transmitteret, futurum enim prę sagiebat per non obscuras rimulas, vt viam sibi sterneret ingenio paratissimo ad sublimes virtutum vertices attingendos. Ea propter ab sacro commēdatus Antistite per epistolas, Regia in ea Ciuitate Dialecticis operam dedit, ac Philosophicis pręceptoribus Bernardino Longo, eo qui per triginta quinque annorum spacium inibi publicum Philosophum professus est, & Francisco Storella Doctore percellebri sub cuius disciplina Anibalem Balsamum condiscipulum, & Antagonistam ad literarias concertationes habuit. Quamuis autem Aristotelica sub tantis pręceptoribus audiret, eodem tamen tempore Thelesiaca quoque amplexari, & addiscere studuit ab eodemmet inuentore Bernardino Cossentino de arcanis naturæ subtilius fortè, quam par esset differente. Quinimo dogmata etsi illius ab Aristotele plurimum dissentire cognosceret; ea tamen auidissimè per feruidam ętatem sectari probauit contentione tali, quę locum pareret cum pręcipuis illis, qui nouatoris Philosophi excogitata

tueri

tueri, proueherecq; conati sunt. Ex quibus memoriæ hos consignatos scimus præcipuos, Marium Galeotam iuniorem, Scipionem Cossum nobilissimum Equitem omnium optimarum disciplinarum cognitione præstantem, Tarquinium Priscum Cariatensium Episcopum Iuris Vtriusq; peritissimum, Antonium Persium, & Latinum Tancredum græcis, & latinis literis inclytè eruditos, atq; Ioannem Baptistam Raymundum, qui Mathematicas disciplinas Romæ magna cum laude professus est. Ab hoc etiam ipse Honoratus,quamuis sub aliena disciplina condiscipulo, Planetarum Theoricas, Euclidisq; Elementa enucleata audiuit, atq; fundamenta illius astronomicę cognitionis, quam aliquando postmodum animi gratia in aliquorum Procerum gratiam exercuisse noscimus, cuiusq; principiorum nobis cognitionem strauit in explanatione priuata Spheræ Ioannis de Sacro Bosco. His præsidijs confirmatus nostrorum numero se coniunxit, & iactis probitatis Canonicæ fundamentis ad Theologica dogmata perdiscenda translatus est tanto paratiore promptuario, quanto indistracta mens aggressa vrgere fortius fuerit. Post nostram lauream iussus Magisterium Dialecticum obire, in eo gradum sibi aperuit ad perennitatem meriti, atq; gloriæ. Probantibus enim Gymnasijs vniuersis modum docendi, facilitatem morum, atq; doctrinæ soliditatem, Supremi Moderatores vsq; ad senium in Philosophicis profitendis illum pertraxerunt. Non defuere tamen opportuna præmia cognitę virtuti, & iugiter exantlatis laboribus, quæ iam exactorum coronarent periodum, & prouehereut animum ad futura. Hinc præcipuo priuilegio donatus est Magisterij apud Lateranenses ad paucos ornandos adhibiti, adiecta perpetua in titulum Prælatione cum iure suffragij actiui, passiuiue, (vt aiunt) in omnibus comitijs generalibus. Decorauit potissimum Lectionibus suis Gymnasium Cremonense per aliquot annos; deinde verò Patauinum vicenarius. Diuturnitate incolatus, & perfectione doctrinæ ibi sic innotuit,vt inter præcipuos profitentes censeretur ab ea Vniuersitate,quæ inueterato quodam vsu priuatim profitentium non multam rationem habere solet. Hinc exterorum iuuenum plurimi ad omnimodam eius curam, & disciplinam mittebantur,cum indefessę virtutis robur non modo vnicam tãtum explicaret artem,vnicaue lectione; sed perpetuo ferè vsu quatuor, & quinque vicibus singulo die diuersis semper, satisq; multis auditoribus diuersa exponeret, atq; demum eos explicito iure publici Doctoratus suis artibus, ac medijs ornatos plausibili semper exitu ad propria dimitteret. Ex quo mirum illud oriebatur, virum alias omnis fastus, ambitusue expertem, dum publicis aliquando interesset lectio nibus, frequenti semper stipatum accessisse catherua; & differentem cum egregijs Philosophis post lectiones super explicatis dogmatibus summa semper attentione honestatum, atq; communi plausu dignatum. In tam ampla rerum commendatione

Marcus

Marcus Cornelius Episcopus Patauinus cum absens curiæ Romanæ adesset Anno septimo supra millesimum, & sexcentesimum illum Vicarium Generalem suum cum omnimoda facultate spiritualium, ac temporalium renunciauit, non satis quidem frequēti exemplo, sed quod eo magis testificetur de summa dotium Honorati opinione, atq; in commune cedat nostræ militiæ ornamentum. Annus proximè anteactus ex inflicto in Venetos Proceres Interdicto per summum Ecclesiæ vniuersalis Hierarcham turbauerat pleraq; animorū in subditis populis (etsi Diuini pietate Numinis plus habuerit strepitus, quam ruinæ, quæ sensim reparāda viderentur. Quare is ille potuit iudicari qui pro temporum qualitate adamussim instructus esset ad opus prouehendum, & exequendum. Nec defuit sanè consultis fortuna, cum per viri dexteritatem, comitatemue inrentos fines vniuersa pertigerint. Verum ipse negotioso literarum otio natus, quod per inueteratam consuetudinem in naturam transfunderat, actuosum huiusmodi vitæ genus pertesus, bienio fermè sub huiusmodi onere absumpto, omnibus neruis exonerari curauit. Successore Mutio Carandino Mutinense Prorhonotario Apostolico, & Iuris Vtriusq; Doctore adhibito, coactus tamen fuit Sanctimonialium, quæ intra vigintiquatuor Monasteriorum septa numerosissimæ in ea Ciuitate sunt, Generalem Vicarium, omnimodamq; curam retinere tam constanti decreto propensissimi Episcopi, vt illū iam in Abbatem ædium Modestianarum Beneuenti per Congregationem assumptum, atq; ad propria gubernanda properantem à tali regimine nequaquam liberandum duxerit, sed retento dignitatis titulo, anno sequente Patauium regredi iussum curauerit. Verum reasumptis muneribus breuis dies comitata est. Siquidem senectutem, etsi validam, satis fortè longo itinere quassaram vis quartanarij primum tentauit post aliquot menses. Qua re ab Episcopio ad suos viridarianos Canonicos se recipiens inter nostras, aliorumq; Canonicorum manus obdormiuit fauces opprimente catharro sexagenario maior Anno 1610. Quarto kalendas Octobrias. Reliquit commendatissima ingenij monumenta, quæ primum minoribus formis Cremonæ ediderat, deinde maioribus Venetijs.

Commentaria super Librum Prædicabilium Venetijs apud Somaschium 1598. *Lib* 1.
Item super librum Prædicamentorum ibid. *Lib.* 1.
Item super Priora & Perhiermeniam ibid. *Lib.* 1
Item super Libros Posteriorum ibid.
Item super vniuersam Naturalem Phisosophiam. Commentaria manuscripta,

FINIS.

LY-



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER NONVS.



IACOBVS ADVOCATVS BERGOMENSIS.



IC ille cucullatus Dominicanus est, quem cauillatores,& calumniatores Canonico Ordini Frigdionariæ reformato tanquam Auctorem tantopere exprobrant. Hic ille, inquam, est, quem amaro animo virus euomente nunc perfugam, nunc apostatam, nunc conuersum, nunc eremiticam professum impostores per fidi garriunt, & nugantur, in odium mage Lateranensis Congregationis, quam viri talia effutientes. Nos verò exprobratum virum fortissimum,atq; pijssimum de vniuersa Christiana religione benemeritum non erubescimus, sed tanquam fulgentissimum Canonici ordinis Sydus amplectimur, memoramus,& veneramur, vt potè in quo vno plurima,& egregia naturę,fortunæ,animiq;dona emicuere. Neq; eis fucum facere, aut obducere tenebras queunt aduersariorum iur.

gia vni mendacio suffulta; cum veritas ipsa oleo compar enatet, atq; dies diei eructans verbum, noxq: nocti indicans scientiam superefusas huiusmodi nebulas eliminet. Cum verò nostris aciebus nomen dederit in ipso exorientis Reformationis incunabulo, Comesq: perpetuus primo promotori Bartholomæo Columnio secundæ illius profectionis ad prædicandum extiterit, in absolutissimum euasus Ecclesiasten Italicis auribus, cordibusue acceptissimum, atq: inde reflorentem Congregationem illustrarit, notissimamq; rediderit in Angulo Ætrusco delitescentem; ansam hinc de facili detractores posteriorum sæculorum assumpsere causæ propriæ inseruientes imponendi Canonico Ordini, vt aliquando illum medios inter dentes Frigdionarię Reformationis auctorem submurmurarent. Nobilissimo loco Bergomi natum liberalium artiũ in ipso iuuentutis flore cultus exercuit ardore animi supra ipsam familiæ conditionem memorandus. Gens enim Aduocatorum auita virtute, & quodam hereditario iure armorum fulgorem sequi, bellicamq; virtutem feruido animo, & valida, promptaue manu, scientijs tanquam otio torpentibus, pręponere dignoscebatur. Ab lustralibus Religiosis aquis Alberici nomen indeptus est, vt aui materni memoriam innouaret, qua nomenclatione clarus illuxit, tam apud ciues, quam apud exteros, præsertim cum clientum stipatus catherua vel tueretur insontes in prætorijs, vel in priuato conclaui consuleret litigantes. Adhæsit sæculo & pompis eius penè inseparabiliter. Vt enim scientia inflat, & gloria natalium peruios facit honores; nihil non sibi debere opinabatur. Ex affinitatibus ipsis impotenter alijs præferri didicit, qui propterea vxorio iugo bis subdidit colla, licet priorem coniugem demortuam deperijsset impensè. Verum vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia. Siquidem cum in Vniuersitate Patauina Iuris prudentiam clarissimo & loco, & honorario profiteretur ab aliquot annis, Bartholomæum Columnam in priore expeditione prædicationis eo aduentatum sic audiuit; vt iam secundo viduatus aliud sibi institutum deligendum pro superstitè vita decreuerit. Ab Sanctissimo Ecclesiaste animatus, confirmatusue per altissimæ humilitatis semitas Prędicatoreum Dominicanũ Dogma ingressus est sub laicorum (quos Conuersos dicunt) acie stipendia ducturus, quod bigamia præpeditus ad ordines clericales suscipiendos minimè foret idoneus. Ad ædes Venetas Diuorum Ioannis, & Pauli eius militiæ clamidem sumpsit, haud quidem felici exitu si modum, felicissimo, si rẽ ipsam spectes. Nam cum post votorum emissionem zelo spiritus, à quo ducebatur, rigidiora sibi primum proponeret, atq; alijs deinde, singularis aliquibus videri potuit. Ipse verò cum illud Monasterium aliquantisper relaxatum cerneret multo differentius ab eo, quod pridem conceperat, nonnullos dicti monasterij corrigens, vt ad rectitudinis semitam reuocaret, apud illos grauiter offendit. Inconsonum nanq; iudicabant

ordini

ordini, vt tantas partes Conuersus subire posse putaret: haud fortè cogitantes, nunquam alligatum verbum Dei, qui vbi vult spirat, & vnicuiq; mandatum dedit de proximo suo, atq; prioris vitæ disciplinis omnibus instructissimę genus supra ętatis honorem virũ honestissimum secernere ab alijs, quos indumentorum humilitas, & officiorum abiectio coniungebat. Hinc diuersa peregerunt aduersus innoxium haud ritè respondentia vsq;ad custodiæ mancipationem. Quare vt suæ ipse quieti consuleret, facultate postulata, sibiq; facta à Thoma Firmano Instituti Principe Magistro per publicas notariorum tabulas, dispensationeq; ab bigamiæ irregularitate vsq; ad Diaconatum ab Bonifacio Nono Summo Pontifice obtenta, Frigdionariam accessit, Canonicumq; superpelliceum indutus est. Erat annus tertius post millesimum quadringentesimum, tertius item inchoatę Reformationis, Priore Bartholomęo Columna Secundum. Hic hominem satis superq; sibi cognitum, atq; Deo pridem lucratum ijs charitatis visceribus amplexatus est, quæ fouere abundè possent pijssimam benè peragendi mentem. Elegit Barnabe Apostolo dicatam solemnitatem, in qua candidam Ordinis vestem interioris innocentiæ indicem traderet, vt memoranda dies faces adderet spiritui, & sanctos enutrirct affectus. Peracta res est profetica quadam sancta prænotione, si exitum declaratorem adhibeamus. Quippe ijs floruit Iacobus virtutibus, ea sui despectione, mentisq; in Deum erectione, quę tantum discipulum sub tanto pręceptore deceret potissima. Pręstantissimos viros consociabat desideriorum parilitas plus, quam exterior vestimentorum cultus. Quare cum Beatus Parens nouam moliretur per vniuersam Italiam excursionem consultore per intimam motionem Numine, deprecatoribusq; quid facti Fratribus; socium ipse ex tot optimis sibi Iacobum solum delegit, cuius lucra pręuideret breuia quidem, at in messe Domini & maxima, & pretiosissima. Vrbes, oppida, vicos, villas attigere nunc diuturniore, nunc pauciore incolatu, prout exigentia ferebat, nullis addicti temporalium inuolucris, qui pedestri itinere, & emendicata vt plurimum stipe prouinciam gererent. Solas animas inhiabant, solum Deum anunciabant. Mutauere aliquando ministeriorum vices, cum iam fermè seniò confectus Columna virium extremis conatibus adigeretur. Vnicum prędicationi deseruit facundissimum, iam probatum iam factum Iacobum, sibi Omologesis, sacręq; Sinaxis administratione electa. Binos Apostolicos viros excepit Italia, Insubria pręsertim, Venetorumq; regiones prout insueta mirabilium excipi solent. In frequentissimo populorum concursu tanquam Oraculum Aduocatus audiebatur, & quę ipse permouisset voce, sacramentorum administrationibus solidabat Columna, fructum hinc inde ferentes incomparabilem. Plurimos & clericos, & laicos è sęculi naufragio ad Sanctę Religionis portum transmiserunt, quos Diuorum Georgij de Alega, Iustinæ

de Padua Frigdionariçq; Ordines excepere. Sublatus est paucis transactis annis Iacobus in ipsa peregrinatione ante Bartholomçi exitum plenus quidem meritis,longoq; labore indefessè fatigatus,at non item dierum, summo sui desiderio Congregationi, quam mirificè decorarat, relicto, vt veriore titulo Aduocatus, quod late speramus, esset in Cœlis.

Quinque Hymnos deuotissimos de Diuo Patre Augustino ab viro hoc compositos manuscriptos ostendit nobis Papiæ omnis antiquitatis indagator solertissimus Basilius Serenius. *Lib.* 1.



IA-

IACOBVS CERTANVS BONONIENSIS.





SSVRGENTEM ad eminentis virtutis cacumina, iam, iamq; extremas attingentem metas hilares intuemur Iacobum Certanum Bononienſem peculiari Diuini Flaminis impulſu ad Canonicum Dogma cicurizatum. Hilares, inquam, intuemur tum publici decoris, tum priuatæ beneuolentiæ ſtimulo. Per paucos quippe agnoſcere profitemur intra talis ætatis ambitum in hominum vniuerſitate, qui non anteferre, ſed vix pedem cum illo conferre quocunq; talento queant. Cicurizatum verò ad Canonicum dicimus Dogma, cum ad aliud vitæ inſtitutum à parente præſertim prædilectrice clericalem ſæculi ſortem anteferente dirigeretur. Ioanne Philippo Certano viro peregregio natum exempla domeſtica perquam ſatis ab communibus ad ardua conſectanda manuduxere. Ille namq; in vrbe florentiſſima adhuc ſui ordinis maior, fortunæ bona benè adhibens, viros ſcientia claros praxi, obſeruationeq; colens, operumq; pietatis cum primis ſectator cuiquam ciuium, & exterorum non ignotus erat. Vnde & penitima neceſſitudine iunctus Ioanni Cappono, Medica quidem virtute notiſſimo, ſed quæ adhuc minor inexiſtentium illius animo dotium eſſet, alijſq; prꝗſtantiſſimis nonnullis Seluaggiorum Illuſtrem Academiam inſtituit, Paluſtris in ea aſſumpto nomine, perq; ſemitas iuſtitię liberos dirigens face ipſis prꝗibat lucidiſsima. Hunc aliquando, cum vix pueritiam ingrederetur, ex quadriga delapſum ſuper itinere Lauretano fractum crure vt mꝗrens vidit; ita ſanum lꝗtabundus recepit, adhibito quidem chirugicę facultatis miniſterio, ſed quę ob fœlicitatem, breuitatemue prolixè detexerit, Numen benigniſsimum curatorem primum acceſsiſſe, Diuina ſcilicet Matre Virgine intercedente, ad cuius Ædem Archangeli Annunciatione, Verbiq; Æterni Conceptu, & educatione Sacratiſsimam venerabundus cum omni familia properabat. Diſciplinam, quam humanitatis dicunt, ab ſcholis Societatis Ieſu hauſit Ioanne Antonio Scotto, & Mario Bettino Bonon. eruditiſsimis inter alios prꝗceptoribus: viuidumq; ingenium, & cultui paratum reddebat ſic oſtenſa cum fœnore; vt intra centenos, centenoſq; illos dolabrę literarię obnoxios, concertanteſue ad exactam Ieſuiticę inſtitutionis normam, & dignitatum nominibus prꝗmia conſequentes, ac iacta-

bunda

bunda donaria, principem ſemper aliquem, Magiſtratum occuparet. Carolus natu minor frater primas religionis ineundæ faces iniecit, qui cum de ſe ſolo canoniali ſuppare induendo ad parentem verba faceret, fratris quoque amantiſſimi cogitata ad idem penſandum lucratus eſt tenaciter adeo, vt aduerſantia cuncta non leui certamine deuicerint per pluſquam virilis pectoris firmitatem. Cum interim Georgius Iuſtinianus vir inter Ieſuitas inſignis huic inſtillare domeſticis allocutionibus curaret ineundæ illius preclaræ Societatis meditata. Septemdecim Definitoribus viris Bononiæ ad Dietæ Synodum Congregatis, Nouemuirorum Tribunal vrnæ albos reddidit calculos ianuam Ordinis ſupplicibus aperiens ipſo die Vbaldi Antiſtitis Eugubini Canonici Dogmatis iubaris ſplendidiſſimi ſolemnitatibus feſtiuiſſimo, cum annus curreret vigeſimus ſextus ſuper milleſimum ſexcenteſimum Redemptionis. Naſcenti Deiparæ lux ſacra encænia recepit fratrum, Iulij Ceſaris, & Caroli nomina in Iacobi, & Philippi Marij commutantium, qui vna cum Angelo Michaele Poſſentio, & Serenio Barberio conciuibus ad aram maximam Bellianam tyrocinium ſub manu Baſilij Oliuæ Archipræsbyteri inchoare, Marco Antonio Manetto Maſſa Congregationem moderante. Feliciter accidit eis in morum magiſtro Secundo de Palijs Caſalenſi: is enim probitatis, integritatiſq; eximiæ toto conamine illorum incubuit formationi; qui prius non ſemel Abbatialibus inſulis redimitus Viſitatoratus aliquando dignitatem, Generalatus deinde Polycarpo de Capellis in altum diſcrimen adduxit, pleriſq; Prælatorum in eo euehendo concurrentibus. Ab emiſsione votorum admiſsionem ſtadij ſtudiorum audiuit ab moderatoribus indictam ad Marinianam Ariminenſem, & anno ſequenti ad Crucenſem Ceſenatem. Ibi poſt biennium ab Philoſophis ad Theologos commeauit audiendos, atq; diuinorum annuę cognitioni initiatus Montanę Bononienſi aſsignatur, ex qua lauream accepit primus condiſcipulorum. Retulit quidem de illius Doctoratu ad Generalem Conuentum Aſcanius Arbizanus Summus Moderator renunciatus, ſed Celſo Roſino Exuiſitatore vrgente, qui & Leuitę adhuc ſcholam ad Philoſophica enodanda Ceſenę inſtruxit per biennium, & Offuſcatorum nobili conſeſſui adſcribi curauit. Virtus ad augem tendens radios vbiq; profundebat, qua carmine, qua ſoluto ab numeris eloquio congreſſum omnem decorans: minorem partem ſub illo profitentes habebant, ſed exactam illam, ſolidamue, cum & exemplum pręceptoris ſtimulos adderet ad honeſta queq; aſſequenda. Concertationis memoriam (id vnum recenſeamus) nulla delebit obliuio, quam oppoſuit Laurentio Francio Piſtorienſi Auguſtinienſium Eremitarum Regenti Magiſtro in die conuerſionis Apoſtoli Doctoris Gentium; fermè enim ad binas horas arenam tenuit in ſummo nobiliſsimę, doctiſsimęq; coronæ ſilentio, & admiratione, cũ nequior cæteroqui aſſuetudo ſtrepitus,

pitus, & pulsamina in hisce literarijs concertationibus procacis iuuentutis inuexerit. Francij enim illius mens plura sciens, super Regularium professionem Platonis, & veterum, viuidaq; & prompta, Thetim agebat cum Peleo, ne Achillem conciperet, atq; exprimeret. Eximia quoque Petri Bonauenturæ Episcopi benignitas, exorante Rosino, summi sui templi suggestum concessit non initiatę sacerdotali vnctione virtuti ab Andrea cruci affixo ad Innocentes vsq; iugulatos, truncatosue, quin & deinceps ad vsq; Adoratores Magos Exordia hæc nobilia extitere Certani diuinæ legi elucidandæ inter plausus, & admirationes confluentis ciuitatis, quæ de imberbis penderet eloquio ad omnem quidem regulam exculto, sed & in quo manus operantis eloqueretur Numinis. Alia quoque plura secessus ille Crucis exhibuit futuro duci commoda, dum totus in vigilias, & labores perpoliret studio indeficiente mentem, ac animum. Deinceps Marco Antonio Gentilio Bononiensi penitimius adhęsit, qui per omnium magistratuum gradus ad apicem Ordinis moderandi peruolans virtutis exordientis crepundia per talem Eccliticam fortunatius patere posse putauit in concione præsertim, sic de conciue crescente benemeriturus: atq; ad eius sugestiones Abraham Patriarcha, non in Aran, sed Cęsenæ renatus quodammodo sub Iacobi calamo, ad Antonium Serram Illustrissimum ascendit, vnde Susanna descenderat. Verum hæc verecunda fœmina, quamuis innocens, alligata non minus calumnioso fune, quam carminis etsi candidi legibus, triumphum suum ab propheta puero voluit, non ab seniore iudice aliquo. Hinc post breues annos Gentili eo ad nouas inuectas leges Generali renunciato Certanus hic à secretis assumitur, vtiq; prædisponendus ad maiora, si intra leue octo mensium spacium viam vniuersæ carnis non fuisset ingressus ille. Euentus autem declarauit meliorem extitisse assumentis, quam assumpti sortitionem; decumbenti enim adstitit indefesso seruitio fouens & corpus percussum, & emigrantem spiritum, atq; funus curauit magnificè; sibi verò superstitem agnouit plurium auersionem non æquo iure cum eis actum decertantium. Quare & qui hæc scribit, ministro opportunus adstitit adiutrice manu penes Reuerendiss. Parmesianum in Placentia Diæta. Porrò inter alia, quibus assenserat Prothoscriniario sibi iugendo Gentilius, vna fuit permissio quadragesimalis temporis ad conciones habendas. Licet enim dies illi ex negotiorum concursu vrgeant proximius Ordinis moderatores ob superuenientes habendas diætas; tamen non subtrahendam populis ardentiorem hanc verbi facem suadebat fœlix eius progressio. Eo maximè quod ipse de se validè sentiens, se sibi sufficere arbitrabatur; qui iuuenē officio dederat, vt in Epistolis conscribendis sibi quidem adiumento esset, sed multò magè, vt domesticæ disciplinæ alumnum insignem perficeret. Verum in conditionis huius executione nulla potuit intercedere difficultas, cum ille ante

le ante Natalitia decesserit die ipso increduli, tangereq; postulantis Thomę · Lucensi Reipublicæ duplicem quadragesimam dedit penè alteram sequentem alteri, Mediolanensibus item. Astenses quoque, ac Papienses in Episcopalibus Basilicis inter vireta virtutum pedo quadragesimalis verbi direxit ad Cœli vireta; Brixiensem autem ciuitatem per annuas festiuitates bis, semel Bononiensem patriam Thobiæ historia pro themate assumpta. Sudauit deinceps sub amena Minaciense solitudine ad Larij littus, in qua literariam quietem quesiuit, ingenij labores plurimos tam suggestu quam typis euulgandos. Ex ea Constantinopolitanam profectionem ab Oratore Venetorum, Bailum dicunt, ad Sultanum Turcarum penè admiserat requisitus, partim ex curiositate plurium adeundorum populorum, & regionum, partim ex causis alijs ætati iuuenili efficacibus, cum inter alios dissuasores Prælatos locum quoque vtilem nostris dedit officijs. Atque super hoc est inferius reddenda compositio, qua egregius vir Ioannes Baptista Ambronus Patritius Cæsenas, nobilisque Poeta illi familiaritate iunctus ex amicitiæ legibus ab peregrinatione Loginqua remouere iuuenem feliciter obtinuit. Eeliciter quidem, quia postmodum gloriosius insurrexit in credito sibi talento sublimiter. Serenissimæ namque Cipriorum Reginæ Christinæ Borboniæ Alobrogum Ducissæ Taurini biennes inædias maioris ieiunij concionibus reddidit acceptissimis leuiores, suauioresq;ab eadem ad secretiora, & confidentiora admissus vitę conscribendę Victorij Amadei mariti pridem defuncti, quam & prope diem typis cudendam expectamus. Deinde Bergomatibus, ac Senogalensibus Euangelizauit, atq; hoc loci Eminentissimum Cardinalem Episcopum Fachinettum Mecenatem sibi consciuit, cuius inclyto nomini Indorum Apostoli Francisci Xauerij Sanctissimi vitam pluribus libris Italicè descriptam cudit. Ab Patribus in proximè habita Montana Dięta Abbas Sancti Iuliani de Spoleto prę alijs, & coeuis, & maioribus in decoris promeriti tesseram renunciatus est. Fortunent eius vota Superi. Trigesimum tertium non attingētem hęc ornauere opera sæpius recussa, & immortalia nunc Bononiæ, nunc Brixiæ, nunc Florentiæ, nunc Venetijs, nunc Romę.

Susannæ antiquæ illius castæ Hebreæ ad Babylon Poema rithmo Italico octauarum decantatum heroicè Ad Celsum Resinum Abbatem, Bononiæ primum apud Clementem Ferronium Anno 1634.

Abrahæ Sanctissimi Patriarchæ Vita Italicè Libris quinque digesta Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Antonium Serram Sacræ Apostolicæ Cameræ Clericum. Bononiæ apud Clementem Ferronium Anno 1635.

Isaac, & Iacobi Patriarcharum Vitæ Italicæ Libris septem compræhensæ Ad Serenissimam Christinam Borboniam Cipriorum Reginam, Alobrogum, & Pedemontis Ducissam. Bononiæ apud Iacobum Montium Anno 1642.

Sirita

Sirita Regia Virgo Danorum Libri sex Fabulhistoria Italicè Ad eandem Serenissimam Ducissam. Bononiæ apud Nicolaum Tebaldinum Anno 1642.

Armindus Solitarius Ode Italica Ad Illustriss. Ioannem Dominicum Monegliam Bononiæ Prolegatum. Bononiæ apud Nicolaum Tebaldinum Anno 1633.

Renus Festans Italicè Ad Eminentiss. & Reuerendiss. Antonium Barberinum Cardinalem Camerarium. Bononiæ apud Iacobum Montium Anno 1643.

Apollo in Apolline. Ad Eminentiss. Iulium Cardinalem Sacchettum Bononiæ Legatum. Apud eundem anno 1640.

Vita Diuinissimi Indorum Apostoli Francisci Xauerij Italicè eloquenter conscripta. Bononiæ apud N. Lib. xjv.

Ioannis Baptistę Ambroni Cęsenatis.

EHem lustrare putas externas siccine plagas,
Linquere quæ tollunt te loca nostra sophum?
Quærere quæ incertos Bizantia littora honores
Spondent? Non prodest Trhacia quicquid habet.
Ambitionis amor, nec te auri vexat anhelus,
Nam melior virtus est tibi amica magis.
Ecquid erit? Vanas iam quæso pelle chimeras,
Quæ tibi pertæso ne grauiora ferant.
Finge tibi Cætum, quoq; me tibi finge dolentem,
Orbatum ingenij fertilitate tui.
Scyllam finge voracem, & toto corde Charybdim,
Mille pericla maris, mille pericla viæ.
Patria quid, carus quid non, ah, cogit amicus,
Candidus ecquid non Religionis amor?
Quid tandem propriæ non arctant signa salutis,
Munere quid Cætus, ireq; posse frui?
Eia age, Certane, innumeris armate trophæis,
Mollescat durum pectus amore tuum;
Longinquis rogo ne fias peregrinus in oris,
Verte sed ad nostros vt precor ipse Lares.

IACOBVS DE LVGAMANO BRIXIENSIS.





VOD egerunt in irritum Saluatorienses nostri Canonici de Cęnobio proprio claro, insigniq; ex suburbijs Sanctissimi Nicolai Quinti Pontificis assensu intra Brixiam trasferendo, tandem post bella, & clades ad votum pręstiterunt anno vigesimo tertio supra sesquimillesimum sub Septimo Clemente; tunc videlicet cum Sancti Faustini ad Sanguinem antiqua Canonia substituta sexennes ruinas euersæ, ac solo æquatę prioris Ecclesię, ac domicilij ob Ciuitatis munimen reparauit. In noua autem exornanda domo iuxta Canonicam elegantiam, & formam, inq; restituendis necessarijs nihil habuere antiquius, nihilue cordi magis (vt decebat) quam quod decor domus Dei pręiret vniuersa, & pręluceret circa Ecclesiam pietas, atq; magnificentia, saltem iuxta præsentium virium mensuram. Qui enim fieri poterat, dum à Thoma Capriolo Clerico commendatario nil præter antiquam, labentemq; vndiq; structuram recipiunt, eos reperiri paratos ad vniuersa ex pleno quincunce simul substruenda? Dum igitur pleno corde templo antiquissimo reformando, & exornando incumbunt, Deus, qui impensè benignus vices sibi rependit laborantibus, eis immensum thesaurum sacratissimarum detegit Reliquiarum, eorumq; obijcit manibus, pietati, ac religioni plurima Sanctorum Martyrum, confessorumq; corpora, quæ diutino latuerant tempore. Quo enim sæculo cæca gentilitas Brixiensibus iura dicebat, idolatriam tam perditè, quam scelestè deperiens eodem in loco aduersum Christi fideles sæuissimam exercebat tyrannidem, eratq; pars illa tunc suburbij carceribus, patibulo, sepulturæq; reiecta. Verum triumphante iam Euangelio, sacrosanctam aream gloriosissimo respersam, madefactamq; sanguine, & tot pignoribus locupletem pretiosissimis dicauerat per piæ basilicæ superstructionem Vni, Trinoq; Deo veneranda decatauorum antiquitas. Porrò in huiusmodi sacra inuentione, detectioneq; excitauit Deus spiritum Iacobi de Lugamano ad illam ritè, & ordine, prout gerebatur, in Commentarios redigendam. Enumerabatur is inter eiusdem Saluatoriensis Canoniæ Regulares Canonicos tunc temporis, eratq; & officio sanctæ prædicationis insignis, & ætatis decore inter primos notus.

Vita

Vita insuper innocenter ab adolescentia vsque gesta quodammodo strauisse viam censeri poterat superuenienti Numinis gratię, qua inflammaretur ad opus illud posteritati demandandum. Eò maximè quoniam ab priore cęnobio extra męnia cum alijs profectus, & in nouas ædes locatus bonam illam temporis portionem, in qua sibi soli esse licebat per instituta, totam orans transigebat in Ecclesia. Constans enim vrbis traditio ei tanquam ciui notissima, locum illum passionibus antiquissimis martyrum inclytum prædicabat. Spiritu ergo æstuante Iacobus totam sacri operis seriem recensuit, voluitq; ad fidem penitus conciliandam narratis, veritatem ex testibus, & publico tabelione præsentibus robur recepisse: nec ingenij, aut eloquentiæ laudem propterea indipisci studuit, sola verborum simplicitate exundans, & præmia (si quæ reponerentur) post Deum expetens, & expectans ab Sanctorum intercessione Faustini, Iouitæ, Afræ, Calloceri, Martialis, Seuerini, Latini, cæterorumq; de quorum se inuentione scribere lætabatur. Nihil vltra dedit posteritati legendum At satis est id vnum ad iugem pij viri memoriam conseruandam, & ex hoc libet coniectari quantus ille foret, qui non suam, sed cælitum gloriam omnem sedulò quæreret. Forte ex eodem fonte deductum est inter publica Congregationis monumenta non vberiorem de illo notitam inueniri siue in tractanda Republica, siue in quibusuis alijs operibus recensendis. Sed benè profectò vixit qui benè latuit. Scripsit ergo

Historiam Inuentionis sacrorum pignorum S. S. Martirum Faustini, Iouitæ, Afræ, Calloceri, & aliorum, quæ manuscripta seruatur in Archiuijs Brixiensibus Diuæ Afræ.

IACOBVS TRIBESCVS BRIXIENSIS.



I à laudato viro laudari summum virtutis præconium æstimatur, quam maximè præconij ornatus apparebit Iacobus Tribescus Brixiensis ijs, qui laudatissimi Gabrielis Flammę Oratorum eloquentissimi de illo testimonium obseruarunt in pręfatione illa, quam pręposuit Responsionibus ad mille quæsita ab eodem Tribesco lucubratis. Nos verò non aliunde fari de illo exordiemur, quam ex illiusmet verbis (iuge viri encomium) siue doctrinam spectes excellentem, siue mores inculpatos. Quocirca (inquit) tredecim annos natus Canonicorum Regularium Ordinem ingressus, Iacobo Brixiensi, qui tunc temporis nostræ militiæ tyronibus præerat, docto homini totum me tradidi. Qui cum me vidisset toto animo me additum esse suis præstantissimis monitis, nunquam non de me ornando cogitabat: nec ego eius hortationibus locum reliqui. Ita eius vocem, quoad potui, semper mihi audiendam proposui, singulaq; eius verba, singula oracula esse statuebam. Cumq; propter varia negotia eo tandem priuari mihi contigisset, eius lucubrationes quascunque potui, auidissimè excerptas euolui, legi, meditatus sum. Eas cum tali homine dignissimas comperijssem, in eam veni sententiam, vt doctos viros ijs fraudari summi peccati loco ducerem; Tantumq; valuit hoc meum de præstantissimo viro iudicium, vt eas edendas suaserim. Hæc ille. Quis autem non inter eximias felicitates enumeret tantum hominem Congregationi, & Suggestibus enutrijsse, & fouisse, quantus ipse Flamma apparuit? Certè ex ore Altissimi illud exijt, Gloria patris est filius sapiens. Exemplo autem præiuit præceptor, suasitq; operibus quod re, non solo verbo præstandum erat. Quippe qui à prima iuuentute in studiorum suauissimis ærumnis educatus integras absumeret legendo, atq meditando noctes. Sub Ioanne Iacobo Cremonense Secundum Generali Rectore nostris se coniunxerat, dum nempe sanctimonia plurimum coleretur, & rigor ferueret arctioris disciplinæ. Mensurauerat verò studiorum stadia in ipso iuuentutis flore mira celeritate, quæ motum sortiebatur ex non intermissis laboribus, & ex vndiq; culta religione. Quod primum præter publicas conciones fęcunditatis eius ingenij manifestatum est argumentum, similiterq; animi benè formati tractatus ille fuit, quem Bono-

niæ

niæ edidit ad Baptistam Tolfiam Abbatissam, & ad cęteras Sancti Laurentij eiusdem Ciuitatis Canonissas De Imitatione Christi Italico vulgato Idiomate. In eo enim Thomam Malcolum de kempis Concanonicum, vel Ioannem Gersonem Cancellarium Parisiensem illustres viros si non æmulatus, saltem imitatus, expressit ex imo pectore, quod & mente gerebat, & in desiderio, atq; votis habebat ad proximorum proficuam informationem. Neque defuit tantę materiei socia concio De Dei in humanum genus amore. Verum res ea, quę ad piè operandum opportuna cum primis est; affectum nutrire videri potuit, non intellectum, ijs præsertim, qui nodum in scirpo quęrunt, & non nisi in sublimibus gloriantur, pia illa commentaria non admittentes, nisi tali sale condita. Propterea manum ad altiùs opus admouens, longo studio, consumataq; in Diui Patris Augustini operibus eruditione collegit in vnũ quamplurima difficilia ad Theologiam tum Positiuam, tum Speculatiuam, Practicam, Catheticam, & Symbolicam, tum etiam ad alias plures scientias spectantia. Volumen autem inscripsit, Pręclarissimæ Responsiones ad mille quæsita in omni ferè facultate ex omnibus Diui Aurelij Augustini libris excerptę. In eo ipsissimis Diui Patris verbis respondens, pręnotatis ad marginem locis, ex longa, & laboriosa lectura faciles exhibet Lectori solutiones: & in minutos fasciculos maximam messem colligens curauit tam breui cibo scientiarum auidos ad magna fercula duci, ad ea nempè omnia, quæ doctè,& profundissimè eximius ille Doctor per sua scripta demonstrat, quę quam magna sint, & quam plena eruditissimis, & sanctis institutionibus, nemo est qui nesciat, lingua nulla,quæ non profiteatur, schola nulla, quæ non sequatur. Fuere profectò Auctores innumeri, qui Libros, seu Commentaria ex Patris Augustini Operibus conficientes, viam ad eius sensum assequendum, aut ad illius doctrinam propugnandam strauerunt. Pręclariores verò extitere Diui Prosper Episcopus Regiensis,& Thomas Aquinas ex antiquioribus,item & Petrus Lombardus Magister Sententiarum, Petrus Abbas Tripolitanus, Eugipius Presbyter, Honorius Augustodunensis, & alij. Ex moderrioribus autem Augustinus de Nouis noster, Antonius de Nomis Marciallensis, Augustinus Triumphus, & Bartholomæus Episcopus Vrbinas, qui milleloquium perfecerunt, & Ioannes Schuuaygenus. Atq; demum nouissimè in maximam, & egregiam Prouinciam intendentes, & absoluentes illam Theologi Louanienses. Martinus Baccius Tiletanus, Christophorus Bride Ariensis, Iacobus Baius Melunensis, Ioannes Grauius Louaniensis ex Societate Iesu, nec non & Henricus Grauius, Claudius Porta Bapalmensis, Guillelmus Estius Gorconius, Henricus Cuyckius Culemburgensis, Petrus Coretus Athensis, Embertus Eueraerdus Arendoncanus, Martinus Lipsius Bruxellensis, Ioannes quatuor Costerius, & Vilmerius,ac Molanus, & He-

& Heselius. Verum enimuero in tanta, & tam multa varietate, & doctissimorum laborum, & excellentissimorum virorum sua laus Tribesco illibata sic permanet, inuiolataq; vt inter tam egregios Auctores non modo enumerandus meritò veniat; sed & plerisq; etiam illorum anteponendus tam si ordinem spectes, apprimèq; digestam molem, quam si ex tam vasto pelago tam coarctatas vndas perspicuas tamen, tranquillas, & speculum omnium scientiarum sua claritate præseferrentes. Scio quidem Laurentium Massam à Secretis Reipublicæ Venetæ virum illustrem aliqua desideraſſe in hoc opere, quæ eius animi pietas dictabat, verum quando facile illud præstari poterat, consultò facundissimus Flamma omittendum putauit. Nostris verò diebus impletum est Masſę desiderium, si ad Augustinum intelligendum vna cum Tribesco adhibeantur, quæ scripsit doctissimus Robertus Bellarminus, vt iam omninò abijciendi veniant Desiderius Erasmus, & Ludouicus Viues. Nec in solo isto opere tametsi tanto insudauit Iacobus, quippequi longa die ditatus, & senecta vbere, ac satis viuida explicationem item edidit Canonis vitæ Canonicæ: atq; egregio themate composuit in vniuersum Sacrum Codicem Colloquiorum Angelicorum librum vnum: similiter, & librum vnum Colloquiorum in Epistolam Doctoris Gentium ad Romanos, quam etiam & Paraphrasi illustrauit. Decessit propè octogenarius Brixiæ vir innocens & omnis humani artificij osor perpetuus. Sunt autem ex ordine eius opera.

De Imitatione Christi Italicè Liber vnus. Bononiæ apud Ioannem Rubeum Anno 1579. *Lib.* 1.

De Diuino amore Concio Italicè. Bononiæ apud Eundem Rubeum eodem anno. Lib. 1.

Responsiones præclarissimæ ad mille Quæsita ex D. P. Augustini operibus. Venetijs apud Antonium Ferrarium Anno 1583. *Lib.* 1.

Colloquiorum Angelicorum in vniuersam Sacram Scripturam Librum vnum apud *Lib.* 1.

Declaratio Canonis vitæ Canonicæ. Venetijs apud eundem Antonium Ferrarium eodem Anno 1583. *Lib.* 1.

Colloquiorum in Epistolam Pauli ad Romanos manuscriptorum in Bibliotheca Saluatoriana Brixiæ. Lib. 1.

Paraphrasis in eandem Epistolam manuscripta ibid. Lib. 1.

IOAN-

IOAN· AB IMPERATORIBVS PAPIENSIS·





IES quartadecima Maij anni octuagesimi octaui superioris præterlapsi sæculi redimiuit serto prædicatoreo per Generalem Ordinis Synodum Rauennæ congregatam sex, atq; viginti operarios in vinea Domini immittendos. Rem legitimo iure factam, discussoq; cuiusq; merito iuxta morem, satis docere posteritatem posset id vnum, quod Camillus Becius Generalis eam promouerit; sed pro multiplici quolibet argumento lubeat hic nomina aliqua insignitorum recensere, Adeodatum Mediceum Romanum, Gasparem Franciscum Viualdam, Petrum Franciscum Malettum Vercellenses, Petrum de Magistris, Basilium Serenium Mediolanenses, Marcum Antonium Giachettum Venetum, Paulum de Grossis Bononiensem, & Ioannem Chrisosthomum Pongolenum Neapolitanum. Hi enim labores suos eo posuerunt exitu, vt memoria illorum apud homines in benedictione semper victura sit. Cum his autem non extremo loco recensendus venit Ioannes ab Imperatoribus Papiensis, qui licet consumatus in breui; expleuit tamen tempora multa. Porrò quantus vixerit penès professa castra, ex vno hoc colligamus euentu. Transmiserat ad posteros Augustinus Ticinensis summæ suæ in Ordinem Canonicum dilectionis memoriale perenne, cum lacessitæ, & hinc inde diuexatæ Congregationi Lateranensi opem allaturus se se murum opposuisset pro domo Frigdionaria, validissimumq; ac inexpugnabile Commentariorum illorum munimen struxisset, quæ Propugnaculi nomine insigniuit, mille dependentibus clypeis ornati, in quibus præclara quædam tantæ Societatis insignia intermicantibus radijs affabrè admodum solerti eius acumine picta, genuinę velut claritatis indicia, promuntur, palamq; testantur. Verum altercationibus demolitis, quarum occasione tale fuerat Propugnaculum erectum, belligeram eius faciem destruendam Patres sanxerunt, ne hostile quidpiam asseruasse viderentur filij dilectionis, & pacis. Quare demandandum negotium rati aliquibus ex Ordine selectis; Seraphinum Merlinum Rauennatem Theologum, & Petrum Franciscum Pallastrellum Placentinum Decretorum Doctorem elegerunt, ac demum ijs Ioannem

ipſum ab Imperatoribus addiderunt, vt veluti Triumuiratu quodam ea exinde proſcriptio fieret, quam fouendæ paci opportunam cenſerent. Hi deiecto primum Tituli vexillo, contentioſis, & aſperis, opus ipſum circumcidere, ac expurgare, & caſtrum (ſi dici fas ſit) in palatium extruere, armamentariaq; in decoris auleos, & fulgoris periſtromata mutare auſpicati, ſedulam demandato negotio operam nauarunt. Verum enimuerò accidit interea fato fungi Legum Doctorem illum, Merlinumq; ad ſummum Congregationis clauum aſſumi. Quare totius negotij explendi ſarcina in Ioannem deriuat, atque deponitur. Neque immeritò ludebat fortuna, quippe quoniam iſte & cæteris iunior, & inſtructior, atque paratior erat ſiue eruditione, ſiue cauſæ cognitione, ſiue expeditiore conſilio ad rem vſquequaq; perficiendam. Sed quoniam alteri laus abſoluti operis imminebat; & Ioannes quoq; in publicæ rei adminiſtrationem conferre labores iubetur præclariſſimæ Ticinenſium Cælaureæ Canoniæ Præpoſitus. Ea propter Baſilium Serenium Mediolanenſem pluſquam vno titulo ſibi probatum is elegit, cui vices committeret ſuas: quatenus recognitum opus (quod in nuncupatoria eius libri ad Nouemuiros dicitur) typis excudi curaret, quod & ille poſtmodum fideliter præſtitit cum auctario Præfationis, & Appendicis, ne abſque vllo prorſus fænore, & cum nuda tantum ſorte accepti talenti prodiret. In ipſo autem Præpoſituræ gubernio cordatus vir totos ita laxauit neruos, totiſq; ita intendit ſpiritibus, vt vitę communiter prędilectam periodum ſibi decurtarit, & viſus ſit omnibus deceſſiſſe tempore non ſuo poſt quartam vix à natiuitate annorum decadem. Haud tamen cum exuuijs mortalibus tumulatur eius nomen, atq; memoria, quoniam præter illa, quæ Actuoſæ vitæ erexit trophæa virtutis, ac vigilantiæ, in quarum amplexibus decubuit; triumphauit etiam in ipſo Contemplatiuæ Capitolio ſub ſpeculatiuarum ſcientiarum ductu de iniqua obliuione, deq; temporum diuturnitate ſpolia ducens. Pręclariſſima nanque illa Diui Petri in Cęlo aureo Canonia, quam moderabatur, licet ab annis nongentis fundata plurimarum, maximarumq; rerum feraciſſima non vnam cataſtrophem ſubijſſet ſub temporum, dynaſtyarumq; viciſsitudine; nullos tamen ad illam vſque diem adinuenerat ſcriptores, qui è tenebrarum inuolucris facta, paſsaq; ibidem eruere perquiſiſset. Quare is ſuarum partium eſse ducens non bona tantum prouidere pręſentia ſibi commiſso loco; ſed etiam illi pręcauere in futurum, ſuper pręteritis ſtudia ſua extendens, ſcripturas volutat donationum, emptionum, permutationum, feudorum, cenſuum ab largitate, munificentia, indultis, ac priuilegijs Pontificijs, Imperialibus, Regijs, Ducalibus aquiſitorum. Hinc Viros Sanctitate, Doctrina, Dignitatibus illuſtres, Sanctorum Reliquias, Sacratiſsima Patris Auguſtini Pignora, Tranſlationeſq; Paręcias, Eccleſias,

Sacer-

Sacerdotia, Grangias, Reformationes, Capitula in vnam compositionem compingens, perq; sua deinde loca dispertiens, Opus præclarum texuit, quod Aurei Cæli Chronicon attitulauit. Eo in opere illud laboris insumpsit, quod & mortale eius insumpsit. Reliquit tamen illud posteritati omnibus perfectum numeris, eiusq; ope non minimum adiutus est Gabriel Pennottus Nouariensis in Generali Ordinis texenda historia, atq; ideo se ei multum debere in ea profitetur. Decessit ad annum Domini 1605. Multo plura maturabat, si diuturniore vita frui contigisset. Nos autem anno sequente eò loci studiorum causâ è Bononiensi Montana translati, & viridem viri famam, & diuersa illius opuscula manuscripta vidimus in diuersorum distracta manibus, quæ multo Reipublicæ incommodo postmodum perijsse suspicamur, præsertim alterum, quod ipse Tabularium adtitularat. Opportunè profectò publicæ vtilitati, & decori consultum arbitraremur, si exactiore studio, ac diligentia custodirentur ab aliquibus Prælatis, quas inter summos laborum sudores, algoresq; & honestissimas inter concertationes post se relinquunt non editas lucubrationes proprias quicunq; tandem illi sint Auctores. Neque enim quia scriptę sunt, & aliquando non adeo perfecti caracteris, vel formę, aut quia non plena sunt absolutæ ideo nec hilum faciendæ. Silenos rudes in intima thesauros occulsos continuisse scimus. Est ergo ab eius promptuario

Chronicon Venerabilis Abbatiæ Sancti Petri in Cælo Aureo Regiæ Ciuitatis Papiæ, quod ibi manuscriptum seruatur.

IO ANDREAS TACCHINIVS CREMENSIS.




VIROS vel eruditos, vel eruditioni proximos, ac capaces Laterano dedit Ascanius Martinengus Brixiensis, quo nisu maiore potuit per illud on ne spacium, quo ei præesse Reipublicæ obtigit, prout decebat virum illustrem non modo iure magistratus, quem gerebat, sed & iure illius doctrinæ, atq; virtutis, qua florebat apud omnes. Inter hos præclaras sedes occupat Ioannes Andreas Tacchinius Cremæ honestissimo loco natus, quem si diuturnius Italica pergama possedissent, veterem profectò eloquentiam tempora agnouissent innouatam posteriora; tanti interest genio quemque obtemperare suo, & disciplina excolere primos illos motus, interioraq; conamina, quibus natura propellit animos, fauorabilemue auram secretioris illecebræ obsecundare. Is siquidem ad facundiam natus apparuit fermè post incunabula, ac intra pueritiæ annos, quo tempore alij vix enodare linguam dignoscuntur. Quippè tabulato repentino, vel scamnis ascensis, vel ageribus frequens domi, aut cum cæteris coetaneis ad longam vsque concionem perorabat acritate, impetu, verborum vbertate illa, quæ viros in admirationem pertraheret, accedenre præsertim gratia, ac venustate. Quare vt per ætatem lubuit excultus politiore eruditione pro captu ad fouendam naturam; Religionem vouet, populorum vtilitati talentum, quod sibi creditum sentiebat, commodaturus. Canonicum Ordinem Concionatorum illustrium feracem, ac verè parentem, tanquam illum, qui ponere operam suam absq; indignitate emendicatæ stipis, vel mercedis extortæ consuesset, elegit, consultores prudentissimos, rerumq; gnaros adhibens. Primo Congregationis lacte enutritus est ad ędes Sancti SpiritusBergomenses, vt & loci nomen omen quodpiam esset futuri apud eum diuini incolatus, qui & linguas infantium facit esse disertas. Nutritium vitæ electę habuit Columbinum Aduocatum Bergomensem Abbatem, virum seuerioris magè disciplinæ, quam profundi captus, quo inruitu præclaros Magistratus gessit, Censoreæ præsertim dignitatis secundum, & fermè aliquando ad supremum vsque clauum euectus. Id profectò in magnum cessit commodum noui militis. Vt enim ardore feruebat inconsiderato, per quem rapiebatur ad aggredienda tum

nato

nato vix spiritui inacessa; comprimebat vir ille acer igniculos, conspiebat seuerus irrumpentes flammulas sub cinere noui cultus. Atq; hinc satagebat, vt imprimeretur tyroni, scientiam inflare, charitatem ædificare, eūq; ordinem à Regio Psalte descriptum, vt prius bonitas, & disciplina, dehinc scientia reponeretur. Ab Bergomatibus ad conterminos Mediolanenses transfertur pro exordiendis maiorum scientiarum studijs: lustratq; adhuc duas insigniores Academias inter potiores classiarios habitus, à quibus dimittitur Artium, Theologiæq; magister, ac diuini verbi interpres, & tybicen. Hic exoptatus ille erat studiorum exitus, hæc suspirata laborum requies, ad quam ipse anhelabat anxius nouam moliturus prouinciam, nouos exorsurus anfractus. Exercuerat quidem se in dicendi facultate pro scholis Philosophorum, ac Theologorum nunc Latinus, nunc Italus Orator nacta occasione qualibet ad Superiorum, & Præceptorum libita, præsertim postquam in numero Leuitarum fuit cooptatus; sed ea exacuere sitim, non extinxere. Paratus igitur exijt in prælium ex Academia Sancti Andreæ Vercellarum: & ne diem linqueret pro posse intactum à pulpito; subijt pomeridianas, quas dicimus lectiones in Euangelia totius anni ad Sanctæ Afræ in Ciuitate Brixiensi, Aduentum, Quadragesimam quoque ibi habiturus. In Frequenti Ciuitate frequentissimam concionem habuit ab ingressu ipso ad supremam vsque profectionis coronidem ad Bononienses eodem functurus munere. Esurie quappiam spiritali tenebatur vbiq; auditorum corona, quæ magè augeri videbatur, quò magè ministabantur verbi obsonia, siue ab occultiore quadam ui contingeret, siue eloquentia oratoris nouum aliquod parandi genus afferret, vel noua omninò exhiberet fercula. Certè perpauci fuere cuiuscunque Dogmatis professi, quibus tanta afflueret multitudo in ipso concionum exordio. Qui prudentiores erant rerum æstimatores augurabantur futurum, vt à plausibili huiusmodi frequentia ætate crescente caderet, qui fortè non eas dotes agnoscebant, quæ firmitatem, & robur promitterent: Liberaliter quidem à natura habitus fuerat in ijs, quæ ab ea pendent, vocis, pectoris, lilium, aspectus, gratiæ, & venustatis. Cæterum ad extremam vsq; diem perseuerauit populorum frequentiæ possessor, nunquam saturitatem sibi dicendi, alijs audiendi inducens. Mediolani in summo Templo mane concionabatur, ad ædes Diuæ Virginis de Passione post vesperas idem pręstabat solus millia hominum tenens eloquio, capiens admiratione, iuuans fructu. Quoniam autem breui vitę periodo gauisus est, apparere nequiuit, an pręnotio facta de illius dicendi celebritate solidi quid haberet. Vix vndecim quadragenas laborum in ęrarium Domini Saluatoris quiuit reponere, si extraordinarios excipias. Siquidem à Mediolanensibus ad Neapolitanos translatus potius suoptè genio, quam Superiorum, quorum asensum depreca-

precationibus meruit; non diu ibidem tulit Clementissimum alioqui Cælum, siue longo fatigatus itinere, siue quod in portuno accesserit tempore, siue diuturnis confectus vigilijs. Pridem incohauerat luculenta Comentaria in libros Prouerbiorum, & Sapientiæ Salomonis, quorum cum exitum præstolaretur; sibi abstinendum à concionibus annuis iudicauit, vt diem noctemq; daret operi, quantum vires ferent, & corporis firmitas ipsa: atq; ideo prætulerat amenitatem Neapolitanam, illiusq; Canonias non modo angustiæ Cremensis natalis soli, sed & cæteris quibusq; Insubrum Prælatorum exhibitis commoditatibus, quoniam iure suspicabatur futurum, vt neutiquam à pulpito abstinere posset inter nimis notos Proceres, & Antistites. Abrupit importuna mors opus egregium, nec quicquam aliud posteritati seruatum est eius ingenij documentum, preter panegyrim de laudibus Sancti Caroli, quam iuxta ritum habuit in Metropolitana Mediolanensi Antonio Bonuisio Senatori Lucensi nuncupatam. Non incommodè cessit decessus eius Seraphino Verdellio conciui, cum in administranda Republica ab illo pluribus argumentis, statim ac illam attigisset, præpediri posse diceretur. Fato functus est quadragenario minor Anno 1614. Quod igitur habemus ab eo est

Panegyris de Laudibus Sancti Caroli Borromæi habita Mediolani in summo templo, Mediolani apud Petrum Martyrem Locarnum Anno Domini 1613. Italicè Lib. 1.



IO

IO. BAPTISTA DE CAPVANIS A MANFREDONIA.



LOCO cuiuscunque facundioris Elogij, quin & pro plenissima Panegyri memorię Ioannis Baptistę de Capuanis esse possunt verba quatuor illa, quę Insubres quondam Patres in priore peristylio Canonię Sancti Petri ad Aram Neapoli subscribi curauere effigiei illius ex cocto latere pectori tenus efformatæ, videlicet, Fuit homo missus à Deo. Quippe prudentissimi Patres, cum regionis eius Monasteria ritè gubernarent, ad inflammandam posteritatem præcedentium virorum exemplo, & ad instaurandam recordationem illius, qui pro Republica benè steterat, ab Baptista Sanctissimo illo Præcursore Domini ad istum ex sola allusione nominis (nullatenus alioqui committendum) transtulere insignia verba per Virginem prædilectum Euangelistam exarata. Et quidem si accessio viri ad Canonicum agmen pleno discutiatur oculo, tot talibusq; circundata circumstantijs apparuit, vt omninò repeti debeat, quod fuit homo, quodq; fuit missus à Deo. Ex plurima, potioreq; parte quicunque Canonica vocatione donantur, sub ipso sunt adolescentiæ ingressu, vel egressu, vel sub inchoante flore iuuentæ: experimenta namq; innumera Sacros Ordines docuere, secundum plenitudinem veritatis dictum à Propheta fuisse, Bonum est uiro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Idem insuper facilius Religionem concipiunt, illiq; conuiuere curant in Ciuitatibus illis, in quibus Monasteria Ordinis adsunt, uigent, florentq; siue ob oculos uersante exemplo Canonicorum domestico, à quorum moribus, & vita propius excitantur, siue auspicante animos euidentia quadam, per reliquum vitæ spacium, non futuros prorsus extores à patria quolibet in statu semper predilecta. Horũ porrò nil iuuit, nil adfuit ad hunc prędisponendum, vel animandum; quin contraria penè omnia (si humano more fuissent dimetienda) aliorsum amandare videbantur. Assurgit Manfredonia, in cuius sinu nasci Ioanni Baptistę contigit, ad Apulum litus non procul ab antiquorum Sipontinorum ruinis, quę licet diuersorum Monasteriorum varij Instituti diues appareat, Ordo tamen in ea Regularium Canonicorum nil possidet vel substantiarum, vel incolatus, per eas tantummodo regiones florens, ac notus ab Insulę, Arcis, Abbacięq; & Sanctissimę Domus

Tre-

Tremitanę domicilio. De anno quoq; septuagesimo quinto super decimum, & quartum sęculum à Dei hominis facti natiuitate inter eos, qui scientias publicè profitebantur de suggestu in præclaro Patauinæ Vniuersitatis Gymnasio adnumerabatur cum paucis insignis Franciscus de Capuanis, Peripateticæ quidem sectæ maximus affectator ad Grecorum expositorum mentem, accerrimusq; Arabum Auicennæ, Commenratorisq; Auerrois, voce saltem, aduersarius; sed disciplinarum Mathematicarum, Astronomiæ præsertim, interpres cum primis nobilis. Huic (dum cuncta procederent ex voto ad nominis, opumue incrementa) de Cæli ambitu, virtuteq: quadam die cum auditoribus familiariter differenri, præsentaneo quopiam, vehementiq; impulsu iniectam mentem fuisse, discursumq: in longam dilatum horam de illius incolatu post hunc ærumnosum adipiscendo, ex non leuibus innotuit coniecturis. Mirabantur qui aderant inusitatam dicendi habitudinem, spacium, sudorem, emphasim, vimq; prorsus enthæam, quin & illi eidem eadem contigit admiratio, cum sibi ipsi, natiuęq: compositioni redditus est. Verum vt tacitus, semotisq: arbirris quid secum actum esset examine superinducto disquirere cœpit, (quod animarum Deum timentium, prouidèq: agentium proprium est) sensim inflammari acrius, inq: alium hominem conuerti penitus sensit. Non fortuitò, non naturæ impetu, non astrorum aspectibus, sed diuina impetente virtute rem accidisse cognouit per gratiæ illius radium, cui reluctari perduellio esset. Hinc se prorsus pijs permittens operibus, virosq: prudentes, & pietate notos consultationi adhibens, distractus tamen in menses aliquot, vt nuncium conuenienter daret commisso lecturę muneri; tandem religiosæ profitendæ vitę sententiam admisit, quam & Canonicorum Regularium futuram elegit. Facilem inuenit ad tum viri ratio conspicua apud Patres in Synodo Generali Rauennę congregatos, quibus & visum est illum Patauio non ammouendum, sed domestica ibidem disciplina excolendum per totum illud temporis, quod iuxta exigentiam opportunum foret. Vigebat seueritas cultus ad Diui Præcursoris Viridarianas ædes per eos dies quam maximè; nondum enim quadragenarium excesserat Ordo ab reformatione ibidem per eum importata ad beneuolam Antonij Corarij Commendatarij Cardinalis ressignationem: & qui per aliquam annorum hebdomadam laborarat circa noui Templi structuram, domusue, & annexorum reparationem, tum adauctæ familię feruor spiritus erumpebat in flammas: atque id illicium extitit Francisco, vt hosce accederet, qui & propterea Ioannis Baptistæ appellatione exornari elegit. Viri iam penè in ętate plenitudinis Christi constituri, doctrinę, morumq: opinione clari accessus singularis non solum auditorum, comprofitentiumue, sed & plerorumq; omnium oculos, & ora tenuit, vel & inde quoque, quod pridem euulga-

tum

tum esset, eum apud Venetos nobili matrimonio iungendum propediem. Atque hinc rursum apparet quam bono iure verba illa fuerint exarata, Fuit homo missus à Deo. Vix quid commune sub exordio tam peculiari obuelari poterat. Non admouent ad aratrum manum huiusce generis animæ, vt respiciant retro, sed Regnum Dei cudentes intra se, & suspirantes extra tendunt omni conamine ad brauium supernę vocationis. Ab appulsu quocunque vacauit per triennium nouus miles, qui in Ducem affingebatur, præterquam à probitatis Canonicæ ritibus versandis, quos sub anno quarto sacerdos inunctus expressit ad omnem plenitudinem verbo pariter, & exemplo. Hinc referentibus Celso Mapheo Veronense, & Hieronymo Barisano Taruisino dixit Ferrariensis Synodus, vt qui ex clericatu iuuenes aptiores essent, ad Viridarium Patauinum translati, scholam illi surrigerent Naturalis Philosophię cursum expleturo ad Aristotelis textum. Virtus, quę obsequium exigit, suasit, vt manum daret alacriter, qui pręscripserat animo de non reassumenda cathedra. Peruicere autem Moderatores, qui imperarent quod in commune bonum cessurum erat, quiue exponerent, vt iuxta Saluatoris parabolam in quique illi creditis talentis operaretur. Assumptum onus gessit eo charitatis ardore, cuius & ad hanc vsque diem perstent, vigeantq; propagines, & semina, nosq; illi abnepotes debere fateamur non modicè. Laborauit nanque imprętermissa manu per annos duodecim, primùm quidem in Philosophicis enucleandis, deinde & in Mathematicis enodandis, quod à nemine ante illum in Ordine factum fuisse scimus. Quippe importunior precatio iuuenum auditorum extorsit ab eius probitate, vt aliquid de Sphæræ cognitione horis pomeridianis commonstraret, quod cum esset aggressus, improuidè id fieri cernens, quoniam non per fundamenta, sed per culmen progrederentur; ex instituto, & ab principijs inchoandum, vt fructus responderet labori, duxit. Ea propter Euclidis Elementa pertractans, cursu celeri, sed fideli, annexarum scientiarum Arithmeticæ, Astronomiæ, Cosmographię cognitionem illis compilauit, vtriusq; Sphæræ materialis vsu diligenter commonstrato. Atque hæc exordia extitere cognitionis eius, quæ per manus successorum quadantenus tradita ad Petrum Franciscum Ceratum Parmensem, & ad Honorarũ Robertum Iuuenatensem peruenit, quorum nos, eorum humanitate dante, aliquando Papiæ, Patauijq: auditores extitimus priuatis quidem lectionibus, & conferentijs, sed fructu neutiquam pœnitendo. Dum verò semel, iterum, tertioue repetito cursu operam ille prædictis daret indesinenter, altari etiam nunquam intermisso, deq: seueriore nocturni chori frequentia nil sibi indulgendo, visum Patribus est, strenuum operarium grauioribus adhuc immiscere: & ideo per gradus ad Antistitum Congregationis solicitudinem prouexere. Obiecit ille diuersa ne assumeretur

retur de se exiliter sentiens, literariamq; solitudinem amans; sed Deus, qui resistit superbis, humilibus autem dat gratiam, vniuersæ eius gubernationi & temporalia, & spiritualia prouehendo adstitit. Abbas Sancti Petri ad Aram Regibus Neapolitanis, Principibusq; plusquam vno nomine charus illuxit, virum enim non communis dotis, non ad commune pretium adnumerabant, alligassentq; eruditissimo onera Cathedralium infularum non semel, si non illorum ipse proposita attriuisset contraria prece, ac nisibus. In eo Monasterio claustrum primum excitauit ad veterem humiliorem formam eam, quam & nos aliquando conspeximus in Visitatoratu: in augusto Templo numerum adauxit eorum, qui à sacris confessionibus erant, assiduusq; inter eos autem piam præstabat. Nemo ante eum frequentioribus populis deuotissimam Basilicè inuisi vidit, in araq; pia ab Apostolorum Principe prima in Italia extructa, & per diuinam liturgiam inibi celebratam dicata vberiores collegit eleæmosinas ad animas expiandas, quæ igne purgatorio cruciantur. Inter hæc, aliaq; plura dum ad censuram Canoniarum gerendam communi acclamatione aduocatur plenus dierum viam vniuersę carnis ingreditur, sepeliturq; magno Canonicorum suorum mœrore. Reliquit post se

Commentaria facillima, valdèq; erudita super Spheram Ioannis de Sacrobusco intuitu auditorum suorum Concanonicorum composita. *Lib.* iij.

Item Commentaria super Theoricas Planetarum Georgij Puerbachij excussa Venetijs vna cum expositionibus Cichi Asculani, Ioannis Fabri Stapulensis, Michaelis Scotti, Petri de Aliaco, Roberti Liconiensis, Theodosij de Spheris, Campani, & aliorum. Apud hæredes Octauiani Scotti Anno 1518. *Iunij Lib.* xxj.

Ioannis Baptistæ Ambroni Cæsenatis.

HIC ab Siponto Cælestis amator amantis
Peruigil haud segnis claustra per arcta viget,
Ipsum nam pietas tetigit, diuinaq; virtus;
Ioannem voluit sic meruisse Ducem.
Hic enim mundanos auersatus honores
Dignus Apostolito fungitur officio.
Non Christi caput; at deiecto errore vocatos
Opificis natos lachrima, amore lauit.
Fulgent cæligena huius totum scripta per orbem,
Cæli vt dicatur missus ab vrbe Pater.

IOAN-

IO. BAPTISTA MELEGARVS GENVENSIS.





VICVNQVE tandem Celotius ille ſit, non exigua Celotio debet Ioannes Baptiſta Melegarus Genuenſis, quod celare otia ſua domeſtica, & religioſa illum vltra vetuerit: ſiue quod cellam otium eius fecerit, dum illius digitos ad calamum amandauit eruditè pertractandum, quem fortaſſis alioqui vir quietis amans (præſertim in contentioſo ſubiecto percurrendo) non aſſumpſiſſet: ſiue quod Cælo otia ſua, Cęlo Eccleſiæ, ponere demum prouocarit. Ita prorſus adamante adamantem perpoliri dicunt. Porrò, Quicunque tandem Celotius ille ſit, diximus; non quoniam Patris Ludouici Cellotij Pariſienſis ex præſtantiſſima Societate Ieſu Theologi præclariſſimũ nomen non arbitremur, quem auctorem inclyti operis de Hierarchia, atq; Hierarchis maximè & amplexamur, & veneramur eruditionis, doctrinæ, ſtyliq; nomine (ſi partes ſuo correſpondent toto: ſi Scriptores eius ſinguli Ordini Ordinum doctiſſimo) ſed quoniam ſub nomine tanti viri perſonatum quempiam alium, maximè Eremitanum, iudicemus, qui occaſionem nactus loci, vt putabat, peropportuni in ipſa cuſſione Operis Hierarchiæ, & Hierarchrum, illud ditare (verius conſpurcare, certè ciere lotium, vt medici dicunt, lucubrationis ſuæ) ſuis tantoties decantatis nenijs operam aſſumpſerit. Non enim perperam in id nos cogitati remur deſcendere, neque temerarij iudicij reos eſſe propterea dicendos: quandoquidem & alias alibi, & in alijs aliorum inſignium auctorum operibus id fuiſſe præſtitum ab eiſdem, hiſq; ſimilibus certò ſcimus. Neque quidpiam veroſimilis habet, vt qui Auctor cęteroqui primæ notæ eſt, deſipire adeo, & in re non ſua, voluerit; vt Eremitanis Tractatum integrum, & contentioſum, & extra ſcenam ſaltans, dare conſultò ſcelegerit, etiam cum totius Canonici iniuria Dogmatis, dum alios Mendicantium maiores Ordines Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum paginæ vnius pauciſſimis lineis contentos eſſe facit Sed neque & ſubſiſtere poteſt, Reipublicæ Ieſuiticæ Patrem, Scriptoremq; talia ſummuſſaturum vnquam; quando per vndecim annorum iuges ab ipſis eius exordijs vſque decades tot, tantiq; doctiſſimi Inſtituti compoſitores vniformi conſenſu & optimè ſenſerint, & laudabiliter de clericali Canonica le-

gione pertractarint, atque commeruerint. Quin & vniuersorum omninò Orbis Christiani Scriptorum (si vnos ipsos excipias Centuratos Fratres causam suam vtcunq; promouentes) nullus penè sit, qui deliria huiusinodi somniet, proprioq; de Marte scribat. Personam igitur aliam quampiam extra Bacanalia, & sub Celotij se vultu, nomineq; celari in hac parte arbitramur non immeritò; tametsi Melegarus (aliorum fortè integritatem ex propria emensurans) iudicarit difficillimum in alterius opera se tam atrociter auctore inscio commiscere, atq; peccare, & in alienam messem falcem adeo nequiter ponere: atq; ideo mitiore vsus interpretatione, dixerit, Tractatulum quidem ipsum de Eremitani Instituti origine, Celotium certè ipsum habere patrem, & auctorem; sed Celotium præiudicatè ad rem accedentem, vt in quandam grati animi tesseram vices rependat duobus Patribus Eremitanis Opus de Hierarchia inter eximias laudes Celotij approbantibus pro cussione. Demum qualecunque sit motiuum, siue hoc, siue illud; non exiguè debet Melegarus Celotio, quod Columbam suam absque fele prouocauit ad indemnem matris item Columbæ defensam siue rostro, siue alis exhibendam. Inter claros interim illum nos Canonicæ Aristocratię propugnatores hic adnumerabimus ob prætractum opus Anticelocianum infra reddendum. Accessit ad illud agendum munitus ętate, rerum experientia, zelo, doctrinaque. Quartæ annorum decadis, fortassis & vltra, Canonis professus, penè sextæ & vitę, & hos non segnis, & iners transegerat; sed cum primis solers, atq; proficuus. De vniuersitatibus Ordinis Ticinensi, Patauinaq; pręsertim sertum Doctoratus, fructum octennis laboris retulerat sub dictamine pręcipuorum, præsertim verò Theologi Gabrielis Pennotti ad Antenoreas Præcursoris. Plebi fidelium hinc inde lucem verbi circumtulit non inter primos, sed neq; cum postremis adnumeratus. Perfectam agebat Dei legationem non in persuasibilibus humanæ sapientiæ illicijs, sed morum innoxiorum, & intaminatæ vitæ exemplo, minutioribus se accommodans ex natiua quadam propensione, electioneq; & maiores non declinans, animas vtrorumq; pari emensuras arundine sanctuarij, pro quibus omnibus pariter Christum super ara crucis holocaustum imprimebat Æterno obtulisse se Patri. Ex ijs ad gerendam Rempublicam vocatur à Maioribus de postremo gradu, sed absolutè necessario, claustralis Vicariatus; & ex officij eius gestamine triennali uiuido, fortiq; permissum deinceps fuit sacris uirginibus sanctimonialibus ad Diuum Andream de Porta Genuæ, ut eius uti opera posſent in Vrbe ad litem tuendam, propugnandamq; à qua impotenter premebantur in Sacra Romana Rota actore Dominico de Marinis Archiepiscopo Genuensi Prælato uirtutis, & ardoris cum paucis comparabili. Punctus Iurisdictionalis erat, De earundem Canonissarum Parochiali Sancti Apostoli Andreæ

Eccle-

Ecclesia, Numine ius nominandi Vicarium illius penes Canonissas esset, & essent nec ne in quasi possessione manutenendę. Antea quoque non semel de consimilibus controuersię exsuscitatę, in rumores mutuos processerant inter partes. Acre igitur certamen, & cum aduersario instructissimo, persona, auctoritateq; formidabili, aulæ, curiæq; Romanę, ac styli eius uersatissimo, & iudicium uiribus urgente omnibus antagonistam requirebat, si non robore, saltem dexteritate, agilitateq; comparabilem, cuius cordi nullum pauoris uestigium accederet, quiue tanto præualeret alacritate, sollicitudine, expeditoq; consilio, quanto Antistes præpoleret uiribus. Maturè autem, Melegarus eligitur, utpotè is, cui dotes adesse cædem, aut similes uiderentur, inter Genuenses ad rem præcipuè factus: & id sanis quidem discussione, atq; consilio, ut exitus ipse comprobauit. Partes nanque suas egit pede adeo firmo, tamq; fortiter ursit Aduocatos, Actuarios, Tribunalia, Sacræq; Rotę Patres sedulò conuentu, & exactissimis facti informationibus, atque omnium necessariorum suppeditatione; ut tandem coram R. P. D. Durando Hispano Rota fauorabiliter pro Monialibus creuerit, quod liquidò constat ex edita Romæ Decisione anno uigesimo septimo currentis centenarij. Atque isto, non leuibusq; alijs medijs iuuit Congregatio eius insignis Gynecei iura bona, tueturq; in dies commissa curę suę Virginum Collegia quęquæ. In conspectu Procerum Ordinis, vel & totius curię; obtenta palma vt intimè perculit Archipręsulem aduersarium, ita conciliauit Melegaro & nomen, & meritum, ob quod de proximo Religionis conuentu in infulatorum albo adscribitur Abbas ad Sanctum Epiphanium Ticini. Tres mensium decades cum semisse habenis illis motum, quietemq; dedit vario cum euentu: siue quoniam annorum infelicitates fausta non gignerent, vt neque ex draconibus columbæ gignuntur: siue quoniam vna quæq; natio, Insuber, Ligurue, suis viuere moribus edocti, diuelli ab assuetis vix patiantur, vnde & dicitur, Israelitæ Sebastenis non coutuntur: siue demum quoniam gemunt gigantes sub aquis, & curuantur sub sarcina qui portant illam. Profectò cænobium illud ad hos etiam dies (vt prægrauata ruunt) ære præssum alieno, emergendi aliquando spem debilem vix permittit moderatoribus. Ille verò extra chorum gubernantium semel factus, post multa fortassis adhuc admittetur. Non tamen extra chorum omninò saltat, qui dote multa munitus Marthę munia diuersa agnoscens, si mensę non ministrat Domino, sternit alia: quia in domo Domini mansiones multę sunt: & otiosi, desidesq; stant illi tantummodò qui plateas frequentant, nec qui conducat eos volunt. Canonissarum curam per plures annorum trieterridas gessit Bononię, & alibi verè factus officio. Dexteritatem natiuam, sedulitatem, doctrinam charitate ornabat, ac zelo: quin visus est aliquando

ab huius nimietate abduci vltra placitum moderantium , & consequenter in senticosa prolabi : Bononię quidem in adhesione seiunctionis attenatę Marianę , ac Laurentianę : Vincentię vero ad Diuum Thomam in Ditalassis extraneis , circa quos plurimi laboratum est. Quare summo iure adagium factum est , quod , Non sapit esca probè , quę datur absque sale. Multus adhuc ipse est in publicis promouendis rebus bono talento genij , ingenij , & calami . Ita secundent Superi dignos viri conatus per faustos laborum exitus . Scripsit ergo

Sanctissimi Patris Augustini Hipponensis , Episcopi Doctorum Doctoris , ac Legislatoris nostri vitam ex ipsiusmet Confessionibus, ac ex Diuo possidonio Calamensi deductam . Librum vnum . Ad Andream Fossam dudum Generalem . Venetijs 1648. *Apud Heredes Ioannis Salis .*

Apostolici Clericalis Canonicorum Regularium ordinis Instituta , & Progressus . Venetijs ad eundem, eodem anno .

Apolegeticam Responsionem aduersus Patrem Ludouicum Celocium Iesuitam Auctorem Libri de Hierarchia , & Hierarchis . Ibid. apud eosdem .



IOAN-

IO. CHRISOST. MAGNVS RAVENNAS.
IO. RAMBELLVS BONONIENSIS.
AVGVSTINVS CORONA TARVISINVS.





IBERALIVM Artium id dabitur priuilegio, vt inter tot alios doctrinarum suppellectile exornatos viros, tres hi vno loco recenseantur, Augustinus Corona Taruisinus, Ioannes Chrysostomus Magnus Rauennas, & Ioannes Rambellus Bononiensis. Cum enim Musica ex septem illis vna numeretur, ij verò inclyti illius asseclæ extiterint; non nisi iniuriè factum videri potuisset, vt obuoluti silentio præterirentur. Quin & aliquid genio nostro professionis amantissimo indulgendum credimus, vt sequaces illius ab obliuione (quod virium nostrarum est) vindicentur. Nec tamen reos nos contemptarum legum arbitrabimur, per quas aliquando Canonicis præstitutum scimus, ne Musicæ operam darent; quippequi vel inter antiquata iura statutum hoc non immeritò retteramus; vel de cantuum profana illa energia interpretandum iudicemus, quæ animos mollit, & eneruat, atq; à sacris legitimè exulare cognoscitur: vel demum tantummodo cautum per illud opinamur, ne Musicalia addiscantur doceanturue in Ordine. Porrò tres isti ab sæculo peritiam artis exactissimam iam indeptam in Congregatione comportarunt, neque id illis vitio verti potuit, sed ornamento, & commoditati. Cum enim eis per accretam diem licuit prodire in publicum demum in probitatem Regularem, & in viros Canonicos formatis, sacerdotioq; & digna eius ministerij eruditione ditatis, ad maiores Religionis Basilicas instruendas aduocari meruerunt. Augustinus alios annis præcessit, & studio: ætate inquam, & studio, nam vocis modulamine vix valuit vt gregarius cantor. Æmulatus is solertiam, modumq; Alexandri de Marinis Veneti (cuius nomini Elogium seiunctim dedimus) per eius semitas gradum sibi sternere ad apicem armonicæ exercitationis proposuit. Theatrum idem Venetæ magnificentiæ post aliquot temporis spacium sortitus, plures ibi annos magister modulaminum insumpsit. Ex Diuinissima de Charitate ad insigniores Basilicas in celebrioribus solemnitatibus vnus vocabatur, adhibebaturq: director; adeo varius, suiq; genij in concentuum dispositione, vt ab oblectamento

aurium

aurium, mentium admirationem coemere leui negotio videretur. Splendidus Patritioru ordo, Mercatorum, Ciuiumq; pia liberalitas, plebis curiosa deuotio non patiebantur abesse ab ijs, quæ illum concinasse rumor circumferebat, itaut numerosiore frequentia sacræ ædes iuuiserentur, implerenturque. In ore itaq; omnium erat, eratq; id capiti eius corona multò pretiosior, quam quæ ab cognomine sortiebatur. Quæcunq; vber, facilisque componebat, ab amicorum, familiariumq; auiditate distrahebantur, inersq; custos, aut genitor parum æquus flocipendebat, quæ semel chartulæ commisisset. Hinc labores augebantur dietim, nec ætas declinans quietem inueniebat nouis semper intenta fœtibus. Vix pedem aliquando ab prædilectis auis retulit, ossaq; humari voluit ibi, vnde ad æthera nomen per Italas oras euolauerat. Aliena potius diligentia, quam sua accidit, vt ex innumeris pauca nonnulla sacra, nonnullaq; moralia in ipso limine Veneti incolatus lucem typicam aspexerint.

Ioannem Chrysostomum Magnum ab Patruo Benedicto Magno inter Abbates Portuenses semel enumerato ad Congregationem ineundam à puero prędispositum, ad ea verò, quæ Musicæ artis erant ab natura præexcitante, sæpius ipsomet refferente audiuimus. Quin eius gentis familiare hoc quoddam genium videri potuit, quod & maiores eius peculiari propensione, & delectamento per non vnam generationem pertractassent. Tres quidem nepotes Benedictum, Sebastianum, & hunc, de quo scribimus, pueros Rauenna Pistorium, vbi tunc Benedictus Religione demandante comorabatur euocatos, dum ad honestam frugem efformaret, propensos, voceq; & aptitudine ad Musicen factos cernens, excoli summa studuit industria. Fælix, sed dispar adhuc exitus in tribus peruicit, non solius esse naturę in vnaquaq; arte perfici, sed studium, industriamq; summas conferre partes. Benedictus quippe reliquos duos anteiuit omni talento; atque tractu temporis in virum illum euasit, quem omnes musicę scholę celebrarent, optimus omninò sacerdos, Eminentissimis Archiepiscopis Cardinalibus Petro Aldobrandino, & Aloysio Capponio prędilectus, in oculisq; & corde omnis ordinis Rauennatum, quin & tetius Emilię, Vrsianę Metropolis longo annorum ductu soni, cantuumq: moderator, & auctor. Cęterum Ioannes Chrysostomus secundas à Benedicto obtinuit supra Sebastianum: quin fortè profectui ad fratrem æquandum pręiudicia intulit, in eo esse Ordine, qui exercitationem musicam ad stata tantum tempora permittat, & hoc ex indulgentia. Vtriusq; generis instrumenta siue pneumatica, siue chordarum fuere Benedicto familiaria; Chrysostomus verò ad excellentiam enituit in eo tubæ genere, quæ in se bis, iterumq; retorta, & adhuc manubrio elongata ex auricalco, tuba maior musicalis appellari consueuit, ornamentum armonicorum concentuum. Minus

tamen

tamen frequens erat in illo, qui maiora Organa exercitationem propriam dicebat, esseq; volebat. Perplures annos magisterium musicæ gessit in Ecclesijs Congregationis insignioribus apud Bononienses, Cremonenses, Placentinos, Mediolanenses, Ferrarienses, Lucenses acceptissim umq; per hanc dotem fuit Celso Dugnano Generali, quem alterum veluti Mœcenatem coluit, donec in patriam post liminio reuocatus ab Seraphino Merlino, cæteris vale dicens, & plusquam alteram annorum decadem in portu nauigans, tandem alterius vitæ portum eo loci tenuit fratres tumulatos secutus. Consensit autem receptui suo tum demum, cum Hieronymus de Onufrijs Fanensis Abbas Portuensis Cœnobij bene meritus Organa ipsa aptiore, dignioreq; loco collocauit, sacristia, nobiliq; eius antepofito ambulacro extructo, cantorijsue, quas dicunt, ad presbyterij commodum, & ornamentum excitatis. Habet Basilica illa (quod forte nullibi, vel paucis saltem in locis conspicitur) Organa ex papiracea materia composita, artificis ingeniosissimi opificium admirabile, in quo candor, durities, suauitas machinam reddunt conspicuam. Verum & si sonora satis, auribusq; consentiens, tamen ad Templi grandem aream minus respondens, acuit per longam diem desideria Chrysostomi, vt stannea fistularum, plumbeaue altera e regione ponenda excitaretur ad ætatis, & seculi consuetudinem. Peruicit concupitum opus apud Gabrielis Brusij Abbatis munificentiam, qui in ea vniuersa intentus, quæ decus exhiberent augusto loco, compotem voti Magnum reddidit solemnitatibus artis, solemnitatiq; pretij respondentem, populosq; allicientem ad Dei, almæq; parentis obsequia. Verum expugnare nequiuit, vt alumnos posteritati transmitteret disciplinæ suæ, tum quod paucos inueniret natura in illud exercitium factos iuuenes Concanonicos, tum quod Præsules (quicunque tandem essent) & si pro religiosa relaxatione coniuentes sub æstiualium mensium ferula; ex proposito tamen scholam aperiri non paterentur. Datum verò desuper erat, vt bonæ mentis aliundè intentum assequeretur: qui enim, salua disciplina, intra Ordinis limites non ei permittebatur, extra illos educabatur, vt decreto tempore succederet ipsi in eo munere absq; morum regularium præiudicio. Quippe nepos eius solus ex Sebastiano fratre superstes, & ad armonicam intra penates instructus, Religione concepta, patruo non nominis, sed officij successor efficitur Carolus. Erat Chrysostomus iucunditate genij, membrorum proceritate, colore roseo, quem canities venusta commendabat, cunctis amabilis; & qui sermones suos absque verborum coagulo necteret, solam nominum vt cunq; insimul coagmentatorum prolationem exercens, superq; iucundus. Quod si quando summa necessitas eum cogeret adhibere verba, id non nisi per infinitiui modum præstans, ad insitatos affatus audientium animos primò titilla-

titillabat ad risum, & ad quandam quasi admirationem, quæ postmodum beneuolentiam, hilaritatemq; pareret. Dotem hanc ad vitæ diutinæ conseruationem factam, habuit aduersariam pro magistratu cuiuslibet generis gerendo, qui homines circumspectos, valdeq; cautos exigant. Vnum Sanctæ Crucis Cæsenæ Prioratum claustralem per triennium cudit sub Innocentio de Gattis Rauennate Abbate, quo exacto abstinendum à reliquis in posterum sibi pro ea, quæ in se esset facultate, decreuit. Vixit sibi gaudens, qui alijs frustrà fortè laborasset, maiores non obtundens vel opportunè, vel importunè prætextu æmulati melioris charismatis, ab ęqualibus semper proficiens ad inculpatam iucunditatem. Cum aliquando illi fuisset ingestum Procuratoris officium Portuensium suorum, gemens sub onere sarcinam deposuit ad nactam primam opportunitatem, qui animo suo pręscribere nequiret, vt amarus cuipiam videretur: fluctuosa verò agitatio sęculi, quorum coactè versandam est ob necessaria vitæ, & ob prouentuum ecclesiasticorum receptum, & exitum, ipsaq; rerum humanarum vicissitudo Religioso eundem aspectum semper seruare posse non permittit. Demum in vbere genij hilaritate mentem induxit nunquam, vt vel leuibus, vel amatorijs cantus notulas, soniq; superimponeret; sed professionis suę zelum exercens, sacris tantum labores ditauit honestissimos, Deumq; & Diuos cultos voluit suis partitione, manu, atq; voce. Videant edita eius nepotes, lætentur, cantent, imitentur.



IOAN-

IOANNES RAMBELLVS BONONIENSIS.





OANNIS Rambelli Bononienſis hęc ad Ordinem vocatio, is exitus fuit. Annorum ſeptendecim vltimam partem tranſegerat ſub diſciplina Patrum ſocietatis Ieſu ad Diuę Luciæ Gymnaſia, non quidem inutiliter in ſe, ſed quoad ſummam rei parum frugi, dum diſtractus ab cantu, cuius ſcalam aſcendebat, meliores in illo abſumeret horas, ſiue naturæ propenſioris impulſu, ſiue quod laxior diſciplina ſit apud Didaſcalos hos, quam penes illos; tranſegerat, inquam adoloſcentiæ dimidia, cum qui omnium miſeretur Deus, in cor eius immiſit, nil æquè bonum decernenti de vitæ inſtituto, quam ſub Regularibus directionibus Cælorum regno vim inferre. Plurima hinc interceſſione, preceq; adhibita Canonicorum numero adſcribi, atq; per experimenta varia, iuxta ritum, ſolemniter profiteri poſt annum obtinuit. Placuit poſtmodum Formatoribus, vt per ſequens tyrocinij biennium cultura præmuniretur pro maiorum diſciplinarum Naturalis, atq; Diuinæ curiculo dimetiendo. Afferuuere prima illa tempora iuuenilem feruorem, qui dum ab zelu attemperaretur præceptorum; ſub ſcalpro, & regula gemens dolabatur, & diſtinguebatur in formam bonam. Cum verò ſcientias attigit, ſiue præ tedio diuturnioris itineris, & laboris, ſiue præ conuerſione in naturam conſuetudinis in ſæculo iam exactę, totum ſe permiſit muſicalibus perficiendis. Sola profitentium Doctorum auctoritas exprimebat, vt aliqualem horulam daret ſcholæ, reliquum temporis vniuerſum ei erat armonicum. Quod autem nulla eſſet copia conferendi, & ad praxim redigendi, quæ ſuper tabulatoria chartula extendiſſet, eò frequentius, efficaciuſue infigebatur ſuper inuentiones, & excogitata mentis æſtuantis, quæ propterea in fœtus erumpebat & numero, & pondere vberiores, vt ſequentia tempora declarauere. Ad Diui Præſulis Auguſtini Placentinam Academiam deportatus, ex loci qualitate animos augens ſe ſe totus effudit arti prædilectę. Hinc auguſtiſſimo illi templo adiecit decus, & ornamentum, choros choris intexens, & ad omnem ſolemnitatem cantores volentes, libenteſq; adhibens, qui iuuenem colebant omnem punctum muſicum ſuis compoſitionibus facillimè exprimentem, populuſq; ac ordo maior illicio huiuſ-

modi frequens supra suetum aderat, & alacer. Sed effusio hæc desijt in damna eius non modica, mens namq; alia erat moderatoribus studiorum fructum alterius generis expectantibus ab illo. Iam septennium abegerat assueti stadij, & proximus sacerdotio Theologicæ, Philosophicæq; laureę inhiabat in ianuis, cum ei dimissio ab gymnasijs datur absq; tentatiuorum, quos dicunt, assignatione. Fregit validè robur eius animaduersio non expectata, eo præsertim quod ab aliquo Antistitum suorum Bononiensium curata acrius insigeretur pectori. Hinc despondens animos, nec tamen peramati cantus, soniq; rationem dimittens, iucundum habuit ijs assignari domicilijs, in quibus talenta negotiaretur aquisita. Insurgebant verò per tempora aculei melioris charismatis, qui vrgerent depulsum ad concionis munus, cuius postulatis insistens sæpius reijci contigit, ijsdem curantibus, per quorum officia proscribi obuenerat. Solabantur tamen aliquando Generales supplicantem, facultate data, vt præstrictus loco, & diebus verbum faceret: ab quo mitius agendi regimine vires assumebat ad doctrinarum studia priuatim prosequenda, donec post annos sexdecim Visitatoribus Andrea Fotia, Celsoq; Rosino visum est æquitati consonum, si admitteretur ad præstanda pericula Doctoratus. Intercedebant pro eo vitæ laudabilis exactum spacium: officiorum Procurationis, Oconomiæq; Bononiensis, Prioratusue Ferrariensis benè reddita suis temporibus ratio: parochialæ animarum ad Montem Bellium, adq; illi annexa præstitum munus: musicæ nimium exercitium, si vitio dandum, satis vndiq; castigatum. Hinc dum Montanam lustrarent Canoniam, Academiæq; illius examinarent exercitia; de iam diù dimenso, nunquam tamen prorsus declinato stadio Naturalis, Diuinæq; facultatum disserentem super assignatis punctis audierunt, dignamq; rationem reddentem admiserunt ad publica de more theoremata & imprimenda, & sustinenda. Habuit deinceps aliquid contradictionis vt caderet, cum causaretur admissio tanquam attentatum irritum post tot annos scholę dimissę;sed constito de bono iure eiusdem scholę in illum annum repetitę Prædicator cum alijs nonnullis demum acclamatur. Ad annos octo post hæc vixit sub aduersa valetudine,à qua tamē sic vexabatur,vt quiuerit in quadragesimnali ieiunio cibum esurientibus animabus varijs Diæcesis Bononiensis, Ferrariensis, Ceruiensisq; dispertiri. Clausit diem extremum in patria. Excussa typis Venetis sunt apud N.

Ioannis Chrisostomi, Psalmodia Vesperarum totius anni quinis vocibus concinenda Ad Seraphinum Merlinum Abbatem Generalem

Ioannis, Missarum libri quinque Ad Marcum Antonium de Gentilis Abbatem.

Augustini, Motectorum, quos dicunt, libri XV. *mutationes tres Ad N. Maurocenum, Aloysium Contarenum, & Marcum de Michelibus Patritios Venetos.*

IO-

IO· CHRYS· PONGOLENVS NEAPOLITANVS





VICVNQVE Ioannem Chryfoftomum Pongolenum Neapolitanum de facie nouit (nouit autem de facili quifquis fuperioribus diebus floruit gubernij nomine inter clauftrales infignis) vtique in eum ritè aptari dicet quod Martialis aliquando cecinit,

Si tantum fpectes hominis caput Hectora credas;
Si ftantem videas, Aftyanacta putes.

Quippe eius erat membrorum ftructurę, vt non inter paruos modo, fed penè inter pumiliones enumerandus videretur, fi cæteroqui confenfiffet aut lineamentorum ductus, aut partium improportio, fecundum quas ritè omninò difpofitus omnem excludebat deformitatem. Tantus autem homuncio, ac propè femiuir intimos geftabat fpirritus omnem prorfus pufilitatem in vno quoq; genere rerum abhorrentes: natura fcilicet rebus quandoque imponente, ne ab extimo afpectu mox hominem homo dimetiri velit. Id planum fiet, dum ad apicem Reipublicæ illum confcendiffe afpiciemus non alijs propemodum, quam prudentiæ, dexteritatifq; adminiculis non improbabilibus. Porrò ab vna Numinis benignitate illum diuino feruitio feruatum ab ipfiufmet ore aliquando accepimus, qui narraret ab patris iuuenili incontinentia matrem infectam lue gallica filios genuiffe ad breuiffimam lucis vfuram, feq; menftruũ in via proiectum, vt à pretereunte primo viro exciperetur, genitrice credulitet fuafa à fœminea obftetricum leuitate, aueruncandum tali pacto vel morbum, vel morbi in iam functis paruulis omen. Profectò rem fortunauit exitus, fortè vt quoties is recordaretur fe proiectitium, humilitatem veneraretur ab faftu procul. Adoleuerat mitioribus literis, moribus, ac pietati quo tempore Hieronymus Calinus Brixienfis Quartum Generalis Rector Canonico cętui iuffa partiebatur. Quare acris per femetipfum deprecator, dehinc & per nobiles interuentores ab Ludouico Maiorano Grauinate Priore ad aras facras Deiparę Criptanę lineum recipit fagum Saluatori Deo Lateranenfem ducturus militiam, ab præclaris manibus præclariffimo in loco infitus Religioni. Poft rudimenta facri certaminis ad edomandos animi motus, vt intellectiuam quoq; perficeret partem, ad Infubres pergere iubetur, apud quos in virum euadit feptenni gymnafiorum

accessione, non quidem inter præstantiores habitus auditores; sed neque inter eos, quos infima nota damnaret. Obseruantia regularis disciplinæ: cui ad vnguem inhęrebat, vices gerebat, ne penes Pręlatos malè sentiret, chori diurnus, nocturnusq; accessus, silentium vbiq; præstitum, cellæ perennis secessus, nulla e domibus egressio, mores in præcipientium voluntatem inflexi excludebant quicquid imperfecti schola detegeret. Hinc anno ab eius ingressu nono ab Generali conuentu Portuensi doctoream obtinet promotore Camillo Becio ad Ordinis clauum assumpto, habitus eiusdem conditionis, ac meriti cum Paulo de Grossis Bononiense, Petro Francisco Maletto Vercellense, Marco Antonio Giacchetto Veneto, Petro de Magistris, & Basilio Serenio Mediolanensibus, Ioanne ab Imperatoribus Ticinensi, alijsq; nouemdecim, qui vna cum eo eiusdem dignitatis decretum obtinuere. Diuina illum miseratio primę huic post Sacerdotium doti reseruauit ab pręfocatione aquarum, à quibus iam penè absorptū eripuit apud Casam Dei Placentini agri charitas superuenientis socij natandi peritia pollentis. Vtrum aliquando obtenta euangelizandi iura exercuerit nobis incompertum: nullam de hac re vagasse famam certò certius est. Quamuis enim eloquio satis successu temporis polluerit in administratione Reipublicæ; id tamen naturę viuidę, versatilisq; donum magis extitit, & indeptę auctoritatis effectus, quam oratorij talenti opus. Reclamant etiam aspectus pusillitas, & pars alia aliqua Ecclesiastico Declamatori necessaria, à quibus non suo vitio plurimum abesse noscebatur. Quin & quoniam penè statim ab gymnasio adhęsit Dionysij Capretę Placentini viri innocentissimi viuendi methodo, sequelę ue penitimæ; florentiora etiam tempora litauit secessui. Ea propter vitæ seuerioris, & seruati ad vnguem Canonici dogmatis titulo non diù post ad accedentes ab seculo adolescentes per nouorum rituum semitas manuducendos deputatur. Fesulanum Seminarium pios labores enutrit, & excipit, eodem Capreta Abbatiam moderante. Id initium attingendorum publicę administrationis officiorum detexit pari passu solertem, & probum, & ideo Vicarium illum consequenter Patres dicunt, perq; tales semitas Prælaturæ adscribitur in diuite nationalium suorum Concanonicorum numero. Quo anno Archangelus Campatius Mediolanensis Generalis assumitur Flaminij Plati Cardinalis Protectoris, Synodiq; Præsidentis non obscura propensione, Pongolenus quoq; inter quatuor viros illi collegas, quos Visitatores dicimus, adnumeratur anno scilicet nono huius, quo viuimus, sæculi. Verum post vndecim mensium lapsum idem Generalis Campatius vniuersæ carnis viam ingreditur Fesulis, qua Bononiam properabat ad indictum Dietę conuentum. Quare reuocata per Protectorem Platum Romam Congregatione, electio, quę de iure, & de Leatranensium statutorum dispositione ad plures pertinebat,

ad pau-

ad paucos absentium de industria relictorum numerum supleturos deportatur per Apostolicum rescriptum ab Plato pro illa tantum vice impetratum. Hinc dum vniuersus Ordo hæret suspensis animis in expectatione, dumq; vox quædam in Athanasium Arcellum Placentinum ex visitatoribus primum ferreretur; Pongolenus in demortui locum sufficitur sedis quidem tantę dignus, atque capax communiter habitus, sed de quo malè oleret, non minimum ei iuuisse Franciscum de Castro Hispani Monarcæ insignem administrum. Iere in eo extollendo primi Hieronymus Onofrius Fanensis Visitator, Seraphinus Merlinus Portuensium Abbas, & (quod præcipuum fuit per latentes Dei prouidentiæ rationes) Archangelus Seuerinus Neapolitanus Definitor. Cum enim in hunc probatissimum senem, omniq; titulo probitatis, scientiæ, doctrinæ, eloquentiæ, ardoris commendatissimum omnium vota propendere transluceret; in medium is deducta prægraui ætate, alijsq; productis rationibus, in paruulum Chrysostomum substituendu m omnia studia, precesq; omnes detorsit. Biennium tantummodo peregit in magistratu qui vices functi Campatij suppleret, & successore Merlino habito, Curator penes curiam in vrbe mittitur Abbas Sanctissimę Virginis de Pace. Sub huiusce prouinciæ sarcina magè innotuit, quam sub ipso Generalatus honore, siue ob noua in dies emergentia in Congregatione eius fidei ad pertractandum comissa, siue quoniam in omnium parēte ciuitate sub multo plurium oculis esset, siue demum quia virum prudentem reliquorum Ordinum nō Mendicantium Procuratores in communibus Regularium causis facillimè conuenirent. Hoc vnum liquido constat, Sanctissimum Hierarcham Paulum Quintum omnium hominum corporis procera, decoraq; maiestate præcipuum, extima intimorum signa; non semel approbasse pusilli Abbatis de Pace modos, animos, liberamq; dicendi periochem. Illud quoq; quod subnectemus, contulit non modicè in eo exornando. Absoluerat intra quadriennij spacium pijssimus ęquè, ac nobilis Gaspar Riualdus Romanus nouum Virginis Sacratissimæ de Pace Sacellum in ampliores formas, ornatioresq; redactum impensa munifica, & principe viro digna quindecim millium aureorum; cum exorato priuatis precibus Purpuratorum Patrum numero, quorum insigni beneuolentia florebat, conuentum obtinet ad interessendum (quem capellam dicunt) primo ibidem offerendo sacrificio. Pongolenus ipse sacrum illud facit omni Episcopalis apparatus, & insignium ministerio ornatus, solemniterq; populo benedicit, atq; Indulgentias elargitur ad præscriptum singularis priuilegij ab Quarto Sixto iam pridem concessi. Id profectò (si Deo placet) & Ordini in suis gratijs manutento, & Chrysostomo ipsi in speciem triumphi cuiusdam Ecclesiastici extitit dum Eminentissimos duodecim Cardinales velut coronatores habuit. Expleta Generali procuratione ad annum quintumdecimum, in quo credita sunt

ta ſunt Petro Franciſco Maletto Vercellen. Lateranenſis cætus fręna officio obeundi Canonias Regni Neapolitani, poſtmodum & reliquas Ordinis Viſitator cumulatur. Tantum ſibi per hæc munia compegit auctoritatis penes Regnicolas etiam reſſignatus, vt ad illam refringendam Phaſeolo Generali renunciato Athanaſius Mondragonenſis antiquæ probitatis vir Viſitatorum Collegio ſit adſcriptus non obſcura Cardinalis Iacobi Serrę Protectoris propenſione. Sed iam paruulus iſte maior ſimili competitore videbatur, qui quantum ſimplicitatis, & candoris adhiberet in rebus pertractandis, tantum is oculatioris prudentię, vberioris cognitionis, fęcundioris loquellæ, in omneſq; partes ſe vertentis ingenij exercitatione pollebat. Hinc quo anno Robertus Cardinalis Vbaldinus Bononię Legatus Generali Conuentui in ea Ciuitate celebrato prędidet, Tertium Viſitator aſsumitur: vtq; vberius refloreat, vis omnis publicę adminiſtrationis in eum penè tota, vel ſaltem principalius recidit. Euocatur enim ab hac infelicitatis valle Ioſeph Viuolus Generalis, & Celſus Dugnanus Collega; ideoq; velut maior Viſitator Vicarij Generalis partes exercet, Anſelmum Sempre-rium in Dugnani locum ex Apoſtolico Breui admittit: Congregationem Secretario inſtructus luſtrat, Aſtulphumq; primo conſeſsui in Diæta Placentina promouet. Hiſce autem alijſq; plurimis primarum partium actionibus adeo radicari contigit auctoritatis eius ratio; vt ea nihil vſquam penes Conciues Canonicos ad obitum eius vſque nutauerit, licet non omnibus probaretur. Fato ceſſit ad Sanctum Petrum vno anno pluſquam ſeptuagenarius quinto decimo kal. Februarij. Statim verò vertigine tangi cæperunt, quæ ſola vmbra viri tegebantur: nam Marcello Capimazzio Puteolano abrogatur Criptanus Magiſtratus ab Arbizano Generali, Gentilio, Bertolotoq; Cenſoribus, quibus tunc temporis Viſitationes ibidem contingerant, ſolumq; mitæ gubernationis genium ex more Canonico redintegrationem, præſtita ſatisfactione, exorauit. Et quidem vnus præ cæteris dictus Capimazzius petra fuit, in qua omnes offendebant, qui de Pongoleno exigebant rationes diſtributionis Neapolitani. Videbatur enim eis non ſolum impotentia factum, ſed etiam abſonè, vt eius auctoritate præfecturas attigerit, in eiſq; ſtaret vir, aduerſum quem anno ſeſquimilleſimo nonageſimo tertio Dieta Rauennæ congregata ſtatuiſſet, producebaturq; ex libris publicorum Actorum pœnitentia D. Manelli Neapolitani, Quoniam ab ipſa Congregatione egreſſus per annos multos fugitiuus permanſit, vaguſq; hinc inde migrauit, poſtmodum ad Religionem eſt reuerſus; ne tantæ audaciæ facinus abſq; pœnitentia remaneat, tranſeatq: in aliorum exemplum, punitus eſt tanquam fugitiuus, vt habetur in Secunda Parte Ordinationum noſtrarum capite duodecimo, vbi legitur, Ne fugitiui remaneant impuniti, &c. Parum quoq; approbationis tunc obtinuit Chryſo-

ſtomus,

stomus, cum in speciem exilij cuiuspiam Archangelus Seuerinus Neapoli abscedere eligit, Taruisiumq; comigrare, quo postmodum loco mortale suum deposuit. Non enim grandæuum senem, deq; natione sua, ac tota penè Congregatione benemeritum ratio alia pertulit in huiusmodi transinigrarionis propositum, præter olentiam illam ministrorum Canoniarum illarum, qua vir integer afficiebatur, & apud quos increpationibus frequentibus obiurgatos non modicum offenderat, cuiq; emendandæ impar erat. Opinio autem fuit hisce vnum Pongolenum obuiare potuisse, & debuisse, præsertim in expræssionem grati animi erga maximè de se beneficum Patrem. Sed prætulit Marcellum admittere, eumq; & aliquos alios similes tutela confouere, non inefficacibus fortè rationibus vafram mentem eius mouentibus, quæ tamen non omnibus patentes essent. Cum Gabriel Penottus in Curia Romana Generalis Procurator non nulla ad gubernationem Ordinis attinentia immutare aggrederetur præsertim circa summam Præfecturam, Procurationem Romanam, & Prælaturarum distributionem fretus propensione Alexandri Vrsini Cardinalis Protectoris, atq; ideo tunc per manus procerum quædam illius summaria scripta circumirent; Pongolenus tenax propositi, & rerum semel, iterum, ac tertiò per Commitia statutarum inter alios multos, qui super eodem argumento laborarunt, vbere lucubratione latina stetit infractus, ne quidquam innouaretur, donec per Diætam Romæ habitam spiritus innouationum omninò abacti sunt, silentiumq; rebus indictum est. Porrò id vnum est quod ex eius promptuario superest manuscriptum apud nos sub sequenti titulo.

Allegationes Iuris, & Facti pro validitate, & conseruatione Constitutionum Canonicorum Regul. Lateran. & responsiones obiectis contra illas.

IO. CHRYSOST. ZANCHVS BERGOMAS.







ERTIVS Gentilium tuorum hoc in opere memoraris Ioannes Chrysostome de Zanchis, qui dignitate primus anteisti, quiue omnium postremus fato cessisti. Profectò funiculus vester triplex dissoluetur nunquam, nullaq; doctæ posteritatis obliuio liturabit nomina vestra. Nullus forte, vel perpauci admodum in Republica Literaria tam grandes ausus induere, atq; tu, Basiliusq; tuus, frater carne pariter, ac instituto, amore, atq; studijs: nullus, inquam, aut perpauci in eo genere, quod linguarum aspicit eruditionem, siue exactam Virginis Poeseos curam, & delitias. Verum de illo satis attigimus suo loco. Debemus te decus nostrum vni post Deum Dionysio Patruo tuo, postquam in odorem vnguentorum eius cucurristi, oleumq; effusumnomen tuum reddidisti. Certè nos abnepotes olei tanti pinguedinem libatam vix, atq; summis labijs, vt de integro per Calcographos effundatur, prout calami ministerio effusa in papyro auctoris manu delitescit, exoptamus: quod & desiderauit ante nos eruditissimus, & æqualiter pius Antonius Posseuinus in Apparatu suo sacro. Iuuenilem ętatem transegit Chrysostomus in stadio disciplinarum de more professi Ordinis inter Philosophos, atq; Theologos: sed qui natiua quadam propensione rapiebatur in linguarum diuersarum possidendarum studio, partiebatur se per horas ita, vt vnus pluribus faceret satis. Iam ab sæculari educatione initia institutionis huiusmodi acceperat cum fratre, sicut & poeseos; sed dispari prosecutione, atque sensu, illo in pangenda carmina studiosius incumbente, hoc verò non illud quidem abhorrente, sed in istud studium acrius insistente. Hinc structo lapide super lapidem in molem amplitudine, atq; decore vastam excitatum est ædificium: ab vnius nempè rei in alterius assurgens intelligentiam, ex Latino gradu ad Græcam locutionem, atque ex hac ad Chaldæam, & Hebræam, tantus assurrexit; vt vnus homo præcipuarum totius Orbis nationum ciuis esse videretur. Præceptores, ac Magistros non vili pretio sibi conduxit primum: atque deinde quoscunque linguarum peritos studiosissimè conquisiuit, & omni officio inuentos coluit siue præsens, siue per literas, vt ex omni flore libaret mel suum, atque exercitio perficeret altius inchoata. Pani frangendo

prędi-

prædicationis incubuit quidem, donec ingrauesceret ætas, neque infeliciter, si doctrinæ laus inspiciatur, cuius præcipuè commendabatur titulo; cum cæteroqui non multa deberet naturæ parcius secum agenti siue vocis exilitate, siue pronunciationis incommodo. Atque ex hac etiam parte liquet quantus fuerit, qui non inanis gloriolæ cupiditate, neque ad auræ popularis afflatum dixerit; sed Dei gloriam, proximorumue salutem posuerit sibi pro mercede laborum. Quoties tamen quadragenariam inædiã fecit Bononiensibus ex pulpito (fecit autem Tertium) toties placuit impensè: fortè quia non omnes auditores rimantur ex eadem specula oratorem, aut quia Ciuitas illa studiorum alma parens præ cæteris soliditati fructuum, non odoribus florum prona est, ex ingenij palato, non ex naribus sensuum metiens parata. Præcox electio, si ætatem attendamus, illum assumpsit ad Canonias Ordinis gubernandas; sed in tempore suo, si prudentiæ, charitatis, atq; moderationis specimina vbiq; diffusa. Porrò Senioribus Patrum probatur insigniter virtutem adeo obfirmatam, moresq; tam constantes, & exactos, disciplinam domesticam tantopere sartam tectam contueri sub eius flore ætatis. Optabant ijdem ex Chrysostomi assumptione Basilium fratrem præmonere, qui licet integrè graderetur; licentius tamen prę formula, atq; delectu nostro agentem aliquando asterisco notabant Censores. Præfuit Chrysostomus Bergomensi, & Ferrariensi Collegio pluries semper sui simillimus, & aliquando inter ægestatis incommoda maior apparuit, quam inter oppulentias, tum quia domi bonæ œconomiæ substernebat vniuersa, tum quia extra fouebatur præsidijs temporalibus, qui spiritualibus refficiebat mentes, & corda. Inter has, sequentesq; curas nil dempsit ex domesticorum studiorum vigilijs; quin magis ausu nobili Opus sub incude posuit laboris, eruditionisue maximæ, quod infrà reddemus, non minus vtile, atq; necessarium Sacræ Scripturæ studiosis, quam Ambrosij Calepini latinis tyronibus vulgatum illud, communeq; volumen. Interuertit tamen mors coronidem molis eximiæ. Cum enim in viginti duo volumina iuxta numerum literarum hebraicarum totam materiam digessisset; expleto cum litera Tsade decimo octauo volumine debitum naturæ soluit. Nec vitio verti potest ei, quod ex parabola est, Hic homo cæpit ædificare, & non potuit consumare. Siquidem si ab magistratibus gerendis abstinuisse licuisset; iam palam potiremur fructu vigiliarum eius; sed ex priuatis præfecturis benè gestis ad maiora vocatus bis Visitatoratu ornatur, semel Generalatu. Sub anno quinquagesimo quarto superius exacto primum renunciatur Visitator ab Synodo Rauennatensi Marci Antonij Bagaroti, & post lustrum expletum summo clauo præponitur. Delegerant Patres coacti Rauennę in Summum Antistitem Congregationi Raphaelem Bergomensem virum vna prę cęteris innocentia,

ſanctimoniaq; vitę commendatiſſimum, & cui alias ijdem faſces anteierant, ipſo in primis curante Chryſoſtomo. Verum is viam vniuerſę carnis ingreditur poſt tres menſes Quarto kal. Auguſti Bergomi, rebus ſuis omnibus, vt publica ediſſerunt monumenta, ſanctè, religioſèq; compoſitis. Quare abſentia ſuffragia per ſchedulas obſignatas ſufficiunt in deceſſi locum vno fermè conſenſu eundem Ioannem Chryſoſtomum, & electio pronunciatur à Quatuor Viris Viſitatoribus Hieronymo Brixienſe, Franciſco Papienſe, Regulo Nouarienſe, & Gabriele Mediolanenſe Bononię Sexto kal. Octobris. Breuem magiſtratum peregit pluribus ad publicum ornatum, commodumue curatis: & fama eſt inter reliqua exhibuiſſe graphidem, ſecundum quam linguarum Gręcę, & Hebraicę Lectio in Vniuerſitatibus Ordinis induceretur. Verum dilata executione, ſapienter concepta euanuerunt. Obdormiuit, vt piè credimus, in Domino vir probus pariter, ac prudens, & ęquè doctus anno ſexageſimo ſexto ſuperioris ſęculi Abbas Bergomi, ſucceſſoremq; habuit Petrum Bergomenſem ex Abbate Sanctæ Crucis Cæſenę Electoribus Gaſpare Mediolanenſe Generali, Marco Antonio Placentino, Felice Vicentino Viſitatoribus Vincentię die Conuerſionis Doctoris Gentium ſacro. Extat igitur ex eius ſęturis,

Dictionarium Sacræ Scripturæ in quo triplici lingua, Hebraica, Græca, & latina eiuſdem Sacri Codicis Dictiones, Phraſes, & vocabulorum vires ex Sacroſancta Septuaginta interpretum verſione explicantur, decem, & octo libris ex viginti duobus complexum. Aſſeruatur manuſcriptum in Canonia Sancti Spiritus Bergomi

Item de Origine Orobiorum, & Cenomanorum librum vnum quem citatum vidi ab Leandro Alberto viro eruditiſſimo in deſcriptione Italiæ Regione ſextadecima.

IO-

IO MARIVS COLVTIVS FIRMANVS.



IBI inter cęteros Religionis Comilitones, ac Literarios Compalestritas sub clarissimi Pennotti Ductoratu in Viridariano Lyčeo prædilecto, dudumq; pręcipuó Ioanni Mario Colucio hanc gratæ amicitię memoriam renouamus: quem si fata inuido quodam liuore non præripuissent obitu haud quaquam maturo; ad summum profectò omnis Literarij decoris euectum vniuersa Respublica conspexisset. Sed viuis adhuc tumulatus, qui per nostrorum hominum ora volitas, dum de te memorant quę de portentosis quibusq; ingenijs vix credibilia putantur. Nos verò diutinæ, intimæq; experientiæ testes sumus in te vno sydera contulisse pretiosissima dona; ni tandem absterssissent breuitatis vitæ iniqua obtruncatione anteriora beneficia. Illis verò fretus pręstitit Ioannes Marius innumera, quæ non pręcocem intellectum, sed maturissimam senectæ sapientiam vberrimè ostentarent. Facundia supra quam dici possit prædiuite, promptissimaq; genij subtilitate sempe aculeata, ac vnò freta memoriæ præsidio fortissimo, quæ lectitata etiam cursim retineret ad verbum; excitabat ex ijs pectoribus admirationem, quæ nil omninò literarij negotij ignorarent, illo præsertim tempore cum publicæ disputationes de more gymnasiorum haberentur. Propositis satisfaciebat argumentis cuiusuis generis quaternis, quinis, & vltra responsionibus, sæpissimè productis locis Doctorum scholasticorum, ex quibus ad vnguem illas peteret, cum primis Angelici Thomæ Aquinatis, tam parata suppellectile vt ex libro illa legere non ex memorię penu educere videretur. In ijs verò concertationibus famam vberem indeptus est Pataiij, Rauennę, Vincentię Comitiorum Generalium, & Dietarum (quas nostri appellant) temporibus. Firmi in patria per triduum ad Sanctam Catherinam inuitatis ex illa Vniuersitate potioribus, ad mentem Thomę aduersus Subtilem Scotum triginta quatuor præcipuas Controuersias illarum Sectarum sustinuit pręter alias nonnullas Theses Octauio Bandino Cardinali nuncupatas uix dum intra Leuitarum numerum computatus, summis omnium ordinum laudibus. Cum adhuc Pataiij Theologicis operam daret satis tempore per legem nostrorum distans à Doctorea Laurea, pellexit ita in sui admiratio-

nem Andream Cougnaſchi Polonum Prępoſitum Mſtouienſem Canonicorum Regularium,qui per aliquot menſes apud Viridarianos commoratus eſt, dum Romam ad Apoſtolicum peteret; vt Pontificio obtento placito (prout tum temporis euulgatum eſt) ſecum illum in remotiſſimam regionem abduxerit vna cum Camillo Sanctaſophia Patauino Concanonico, & condiſcipulo viro egregio, qui poſtmodum poſt Prælaturam Taruiſinam Sanctorum quadraginta benè geſtam Sacerdotio opimo extra Congregationem cumulatus ab Patauino Antiſtite, toti Dogmati, præſertim verò Viridariano Lyceo ſucceſſu temporis ſummè deſiderandus venit. Aperuerat Polonus Prælatus ille Summo Pontifici mentem ſuam eſſe, vt per aliquem ex Canonicis Lateranenſibus inſignem Sacræ Literę excitarentur apud ſuos Canonicos. Ea propter ad Protectorem Ordinis Flaminium Piatum Cardinalem remiſſus; facta ei facultas fuit, vt quos malet voluntarios eligeret,dumodo non ex profitentibus actu in Academijs noſtris eſſent. Non diù tamen apud eas gentes fuit Coluccius,qui diuerſo more inſtructus apud Italos, pluris in ſpeculabilibus poleret, quam in agibilibus, cum neq; prudentiam illam, quę per longam dierum experientiam in nobis naſcitur, adhuc indeptus eſſet, vt omnia omnibus fieret, atq; dexteritate perenni omnium naturas indueret. Adyto non ſemel vitæ diſcrimine ex vagantium hęreſum per vnuerſam Germaniam conflagratione, poſt annum cum ſocio illis regionibus acceptiore, eorumq; moribus alioqui magis conſono regreſſus eſt. Laurea, quæ noſtrorum eſt, in Comitijs Vicentinis obtenta, ſtatim ad profitendum aſſumptus eſt aſſignata illi ſchola ad Sanctam Crucem Cęſenatum, atq; deinde in Portuenſi clariſſima Rauennæ, quibus in locis nos eidem poſtea immediatè ſucceſſimus. Cathedram per triennium tenuit tanta ſcholarium adheſione opinionibus eius, vt nil omninò firmum, ſolidumue putarent, niſi quod ipſe proponeret excitata in omnibus admiratione. Cæſenæ nonnullas extra ordinem conciones habuit ad dies feſtos Pentecoſtes, quibus Michaelis Angeli Tonti Cardinalis Nazarethani Ciuitatis Epiſcopi ita ſibi conglutinauit animum, vt tantus vir in Aula Romana omnium pridem fortunarum, virtutumq; prudens artifex, & cognitor; ingenium ſimile haud quaquam ſe vnquam cognouiſſe palam fateretur: atq; illo nomine ſe ei Protectorem exhibuit, præſtitit ue minimo illo, quo ſuperſtes fuit tempore. Nam per Ordinis Prælatos ad Mediolanenſes deſtinatus, vt ex ſuggeſtu pomeridianis feſtorum dierum horis infra annum verba faceret, atq; in ſibi creditis talentis operaretur ad ędes Diuę Virginis de Paſſione; poſtremos inibi radios ſuæ virtutis euulgauit. Siquidem expleto curriculo cum inde proficiſceretur ad Quadrageſimales labores ponendos apud Regulos de Collalto in illorum Oppido Sancti Saluatoris; extra Vicentiam aquis pręfocatus eſt delapſo

pſo equo in vili quodam aquario ſulco ex nimia pluuiarum colluuione prę- terfluente. Quare ad Ciuitatem ſecundo tantum lapide inde diſtantem comportatus, inibi tumulatus eſt in ędibus Diuo exuto cute Apoſtolo dicatis Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo duodecimo, vigeſimo quinto ętatis ſuę vix dum expleto. Non multa reliquit ingenij tam grandis monumenta, quod in ipſo exorientis fœcunditatis flore exciderit. Extant tamen, quę vel ex digito reprę ſentent ſtructuram inſignem editę latinę Orationes tres infra ſtratim poſitæ, quin & apud nos ſeruatur manuſcripta inſignis altera Oratio, quam habuit in comitijs Dietalibus Rauennæ Nouemuiris ad vnum probata.

In Cœna Domini De Chriſti Saluatoris humilitate.
In aduentu Flaminij Plati Cardin. Protect. Gratulatoria.
In Annuo ſtudiorum Recurſu. Patauij omnes apud Petrum Marinellum Anno 1609. *Lib.* 1.

Auctoris Incerti.

Cerberus inferni Latratu regna triſauci
Implet, terribili perſonat atq; voce.
Aſt nunc, Coluci, triplici modulatus auena
Oblectans cunctos, dulcis vbiq; ſonas.
Triſaux ille fuit, tu trino nunc canis ore,
Cerberus ille Vragi, Cerberus ipſe Dei.

IOAN-

IO· MICHAEL COMPAGNVS
PISTORIENSIS·





EGVLARIVM Canonicorum Clericali Colobio muniuit Ioannem Michaelem Compagnum Marcus Antonius Manettus à Massa in Fesulano, dum ibi Abbatem ageret, seminariumq; ad frugem haberet Ordine dignam. Munierat & adolescentem natura non ingratè donis liberalibus, quorum decus auxerat educatio præstans; quoniam Octauius parens Iuris vtriusq; peritia nobilis, sano consilio, & exemplo forti liberos manuducebat ad pietatem religionis, & ad doctrinarum præstantiam in non satis vbere fortunarum patrimonio, illo tamen familiæ patritiæ honorem seruante, licet ab auitis valdè collapso. Ea propter sinum accedenti facilius exhibuit Congregatio, vt sacro illum foueret calore. Ex Fesulano dolatus pariter ad institutiones Clericorum, & ad disciplinas excipiendas solidiores, Portuensibus adscribitur laribus, Ludouico Pompilio Abbate mitissimis digitis habenas moderante. Sed anno exacto ad Diomedeas trasfretare iubetur cum electa condiscipulorum manu, quæ domicilium illud extra solitum expoposcerat, exaudita per Proceres. Benè tamen cessit postulatis, & concessis ab sedulitate, & gubernatione antiquos æmulante ritus Hieronymi Onofrij Fanensis principem Abbatiam illam gubernantis. Dum enim res nulla distraheret iuueniles omninò animos in ea solitudine; patula mens hauriebat immissarum doctrinarum rorem iucundissimè, & leuabant studiorum curas statis diebus religiosæ relaxationis interpositiones suauiter exhibitæ, paternoq; affectu dispositæ, tanto prudentius, quanto locus ipse exigebat à gubernante circumspectam huiusmodi substitutionem. Felicius verò adhuc cessisset illis, ni submersione infelicissima occubuisset insignis ille Præsul cum Andrea Veneto Clerico, dum facibus zeli æstuans in prouidentias paternas ab Insula ad Aimonis Vastium celoce pergeret, per obortam maris sæuissimi repentinam tempestatem circa Idas Martias. Nam sicuti pollebat auctoritate in administranda Republica, & sicut scientiam in zelo adhibebat; ita promouisset expeditus creditorum sibi subditorum futuri excitamenti prouincias, qua concionibus, qua lectionibus, qua alijs illos assumendo oneribus. Non serius tamen consuluit relegatæ quodammodo iuuentuti in

solum

ſolum maris, cæliq; proſpectum illud pia parens Congregatio; cum ex eis aliquos iuſſit ſcholas ducere (de quorum numero extitit Hieronymus Taxillanus Cęſenas probitate, & doctrina ætatem ſuperexcedens) omnes verò doctorea voluit exornatos ab Dieta illa, quę celebris illuxit in alma Vrbe anno vigeſimo octauo noſtri huiuſce ſæculi. Ioannes Michael anno anteriore in Generalibus Comitijs Bononienſibus licet facultatem non habuerit ad ſuggeſtum; obtinuit tamen teſtimonialibus publicis ijs decorari, quorum ope ab cœtu illo Piſtorienſium ſuorum (quem Sapientiam dicunt) ad honorarium fuerit admiſſus per regiam penè liberalitatem nunquam ſatis laudati Cardinalis Nicolai Forteguerrij ſuis conciuibus doctoratus laurea redimitis teſtamento pijſſimo legatum in annos perpetuos. Ioſeph Viuolus Rauennas ad ſupremum clauum ab ea Synodo aſsumptus, quod Ioannes Michael publico Ordinis nomine munus illi fuerit gratulatus oratione, quam & typis deinde edidit; voti huiuſmodi illum compotem Celſo Roſino Abbate Piſtorienſi renunciato curante. Vt Doctoribus adnumeratus eſt (quos noſtri ex pręcipuo officio Prædicatores appellare ſolent) verbi Prouinciam ſingulari ſuſcepit alacritate, & proſecutus eſt, ſi non cum primis, certè non cum infimis, atq; maiora in dies adfutura ex eo omnes opinabantur, pręſertim Cęſenates noſti, quos non ſemel allocutus eſt ad Sanctum Seuerum: faciebat enim ſatis in eo liberalis natura, quæ ſermoni facilitatem dabat conditam patrio illo pronunciandi more ex Æthruria pluris commendato. Incæpta tamen iſthæc non eſt proſecutus euentus. Diſtraxit ſollicitudo rerum multarum mentem ardentem vt abiret in diuerſa, oborto exordio ex fratris pridem Piſtorienſis in Cathedrali Canonici, ac ætate maioris ſiue ſuggeſtionibus, ſiue impetitionibus; qui dum aulicorum circino Regularium res fortè emenſurat; ab centro aberrat, & peripheria, fratremq; Regularem immiſcet quæſtionibus, quarum ſolutio & foris, & intus quæſita difficilis appareret vndique. Aperuit tamen vna charitas implicitis viam, nodoſq; diſſoluit prudens circumſpectio, quæ Adamum agnouit ab angue deceptum. Sed per hæc, atque inter iſta panduntur, ſternunturq; ſemitæ, quas cæcutiens humanus captus non agnoſcit, quæcunq; tandem illæ ſint, & quacunque tendant. Ioannes Michael ad ſimplicis beneficij, quod dicunt, collationem, exorata facultate ad illud exercendum innectit animos, vireſque. Quieſcunt inde plura, quæ in modum venti fluctus ciebant, & turbines, prout actuoſa vita vndiq; maris ſcenam offert, & aperit, Reliquit igitur Ioannes Michael

Orationem in electione Ioſephi Viuoli Rauennatis in Abbatem Generalem. Piſtorij Anno 1627. Apud Petrum Antonium Fortunatum.

IO-

IO. PHILIPPVS BOSSVS VERONENSIS.





AH parcite malę febres, parcite Sanctum adurere virum, quem fatis diuinus calor adusſit. Parcite gelidi paroxiſmorum turbines debilem vltra perflare corporaturam. Nō ſunt veſtri iuris cinerea, abſtemiaq; membra, quę nō hibernum ſydus, ſed Amoris ęſtus lęto prodigio coegit paleſcere. Parcite interiores aurulæ arcanas læto pijſsimi ſenis flammas euentilare. Heu nimis euentilatæ, Ioannis Philippi Boſsi viuas cinereſcunt in pulueres. O pulueres ſalutarium dolorum extrema trophea. Regio nulla fulgidiori puluere vel Patholi, vel Tagi perſonuit, nullum genus hominum ditioribus cumulatum arenis locupletatior reſplenduit. At vos agreſtes paleæ attactu tanti iam expirantis viri ſenatoria purpura nobiliores ne veſtra aſperitate lęto depoſito crudeliter purpuraſcite. Vos quoq; cano ſubſtrata capiti horrida gramina, dum Canonicum Ciuem obſidionali veluti corona ab expurgata iam iam, vita, an morte? cingitis, ne pungite. Sat profectò ſunt, quę ad veſtras vſque, hoc eſt, finales pręſſuras, perpeſſus eſt. Tu verò quid agis alma Parens Congregatio? Quid atris tantam patientiam pannis inuoluis? Quid obſoletis mirificam conſtantiam contegis inuolucris? Quid diù conſutam, ſed antiquitate ſqualentem non renouas lętiſsimam veſtem, iuuenilem prętextam, ſenatoriam trabeam, imperatoriumue clauum? Purpurea martyrem fermè confeſſorem, patientiſsimum Sacerdotem integumenta decent: purpureus color decet Amorem. Sed moriens eius ruſticatur amor. Hinc ruſtico more, opinor, vult eſſe pannoſus. Acus igitur noſtri calami, nempè, malè verticati, officium erit pannoſitatem iſtam ad vnum orationis filo compingere. Quonam autem ordine connectemus quæ morbo longiſsimo, diuturnoq; tempore diſſuta niſi ſciſsuras nouerunt admittere? Regio ex ſtipite Boſsam gentem ſoboleuiſse ſunt qui refferant non abſq; hiſtoricæ veritatis contextu, ex glorioſo Normannorum genere, tum Italis oris noteſcere, niteſcereue incipientem, cum Robertus Normannus cognomento Boſsus Siculo Regno iura, iuſsaq; dare cepit. Quicquid de Sereniſsimo huiuſmodi ſit exordio, clariſsimum certe per complura ſæcula genus apud Inſubres floruit, ac Venetos, Mediolani præſertim atq; Veronę, quibus in locis inter primiores ſemper Patritios enumeratos

ratos Bosſos legimus ſiue penes libera florentis Reipublicæ ſuffragia, ſiue in militari, prętorioq; imperio ſub Principantibus Vicecomite, atq; Sfortiada Dynaſtijs. Sed & ſi nuſquam vnquam contigiſſet nobili proſapię ſuorum virorum virtute clareſcere, perpetuiſq; damnata tenebris noctęſcere obſcuro ſilentio, ignobiliq; taciturnitate fuiſset fædè coacta; ſplendidiſſima hæc duo ſydera, Ioannes Philippus, Matthæuſq; germani fratres pares extitiſſent ad omnem nō modo fugandam caliginem, depurandam denſitatem, diſrumpēdam nubem, obſcuritatemq; pellendam & propulſandam, ſed & ad lucem etiam ſolo meridiano clariorem inducendam, atq; reffundendam. At quid illos ſydera dico? Luminaria duo maiora veriùs appellabo in firmamento familiæ, quorum ſi Solem alterum Matthęum dixeris, Lunę Ioannem Philippum abſq; iniuria ęquiparato. Participato lumine fratris conſpicua minorum ſyderum gloria inter noctium horrores radios diſseminat Luna, tenebras pellit, creſcit, decreſcit permanens nunquam in eodem ſtatu, pallida nunc pluens, nunc flans rubicunda, nunc alba ſerenans. Heu quanta hęc quantum expręſſiſti in te patientiſſime Boſſe. Lumen vocationis tuæ ad Lateranenſe Cęlum ex fratris lumine delibaſti, cum illum ſemeſtri ſpacio ſupra triennium natu maiorem poſt vixdum iacta fundamenta tyrocinij ſecutus es. Fulgorem memoriæ promicantis ad poſteros ab eius calamo pretioſo exſuxiſti, cum dira tormenta peculiarem tuum obtuderint, atque conſumpſerint. Qui ſplenduit ille inter maiora gubernationis politicæ ſydera, minorum tibi ſubiacentium, obedientiumque ſtellarum ſocietatem imperioſam impertijt. O quantos inter horrores noctium fulgidè corruſcaſti: noctium, inquam, diuturnorum morborum, infenſiſſimarum ægrotationum. Quis deſcribat cruciatus illos crudeles, pœnas illas acutiſsimas, quibus dolentiſsimè cribrabaris? O nubes. O noctes. Nunquam ſtatus tibi permiſſus eſt niſi in inquietiſsima ærumnoſi lecti quiete, niſi in nequiter feriata valetudine. Creuit, decreuit febricoſa tabes, calculi immane tormentum ſed abſuiſſe neſciuit. Nunc pluere palentes lachrymæ, nunc flauere rubicunda ſuſpiria, at ſemper alba ſerenuit conſtantia, ſerenauitque conſcientia. Sola hæc te circumdatum licet tenebris, atraque fuligine circumſeptum ſemper reddidere ſplendentem, ſuperantibus ſcilicet, diſſipantibuſue obſtantia fulgoribus. Quadraginta quinque annos ſub Domini iugo in Sancta Religione vixit tantus vir, quorum ſi nouem tantumodo excipias numerum ægrotationis habebis. Illius nempè, cui vel nihil, vel leuiter profuere excogitata modicæ artis remedia: cui ſalubres Porrectani latices epoti ſpem latam ſpopondere in exordijs, mentiere falaces in exitu: cui Petri, Hieronymiq; Bentacordi ſedulitas, praxis, & Machaone ipſo nihilo inferior ſcientia defecit ſub pondere. Priora militiæ tempora mitiore cælo potitus tranſe-

git assecla studiorum scholasticorum vsq; ad prædicatoream obtentam facultatem. Et qui fratris æmularetur ingenium, sequeretur virtutem, erecto ad beneficientiam proximorum stylo; stamina lati operis meditari cępit, quorum texturam fregere desuper immissa à Domino exercitia languorum. Qui tamen per se ipsum viriliter exerere meditata nequiuit, classicum fratri cecinit qua prece, qua consilio, qua hortamine, ut proximis nō minus studeret loquente lingua, quam scribente calamo. Hinc tam frequēs illa recordatio, contestatioq; in Recuperationibus Fesulanis impellentium huiusmodi, incendentium ue flammarum. Commendatissima uerò probitas, & agnita uirtus etiam si tentari iam incæpisset à superuenientibus languoribus, tamen Prælationem meruit ab Comitiorum suffragijs, commissaq; est sæpius illius fidei, & ardori gubernatio diuersarum Canoniarum nunc Veronæ, nunc Cremonæ, nunc Mantuæ, atq; Brixiæ, quasi accrementa honorum decremento sanitatis solatio essent, & commodo. At qui sępe dicebat, Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus, quoad uires aliquantisper substitere, alacri animo subijt onera, plusquam honores. Sed irrumpentibus illuuione quaq; ac turbine procelloso maioribus ęgritudinibus, sensimq; irrepentibus ad vires usq; portentosas, uela contrahere, ac in portum proprię soliusq; curationis se recipere satagit, in contrarium enitente germano, cuius perexcellens est de hac re, quam referamus, epistola. Tibi prorogatam fuisse Prioratus dignitatem nescio, an laborem; ęgro te audio animo ferre, supramodumq; vexari, qui tibi quietem potius, quam Superioris locum occultarum sollicitudinum, & periculorum plenum semper optasti, & parere, quam imperare maluisti. Id si ita est, vt primatum, honoremq; refugias, equidem lętor modestam istam esse tibi mentem, ambitioneq; vacantem; sin anxietate oneris, curarumq; molestia hæbescis, ac rumperis, Deoq; reluctaris; haud rectè facere mihi videris. Non enim tibi soli natus es. Quippè sumus vt præclarè scriptum est ab Apostolo vnum omnes, & sancti, ac magni corporis inuicem membra. Natura nos certè consanguineos facit, & hominis causa hominem finxit, & vitæ nostrę (vt Plato disseruit) partem patria, partem amici sibi vendicant. Summum igitur nefas ducem naturā non sequi, & priuatum facere quod maximus ille opifex rerū Deus mutuum, & cōmune produxit. Qui enim ambitione exuti, neque suū vel honorem, vel cōmodum mētiuntur, sed profectum subditorum spectāt, illi planum piè agere censendi sunt. Qui autem ambitione ad gubernandā rem Christi ducuntur, primos accubitus, cathedrasq; amantes, quoniam nō per ostium, sed aliunde ad dignitates conscendunt, illos fures, illos latrones Dominus appellat, in quos capitalis illa impręcatio tonat, Veh pastoribus, qui pascunt semetipsos, qui quoniam gregem non quidem enutriunt, sed mactant, & deuorant, videntur meritò ęterna cruce damnandi.

His

His, atque similibus patiebatur ab amantissimo fratre conuinci, qui supramodum docibilem animam haberet ad vniuersa salutis. Verum protriuere quoq; tantum mentem adhuc fermè obruentia symptomata, per quæ datus est absque sollicitudine esse postremos circa morientis vitæ annos. Morientis inquã vitæ, quæ nemini viueret præter vni dolori. Demũ per sæuam hyemem anni secundi ante quintumdecimum sæcularem repetitus sæpè intollerabili stranguriæ morbo, eo deuenit, vt nihil absimilis ijs videretur, qui ad vitæ exitum properarent. Præter mentis vacillationem cætera vniuersa patiebatur. Quod densi conueniret nihil sibi sumebat, minimum quoq; illud erat, quod sorbile posset haurire. Numquam gemitus in eo cessabat excitatus ab mictatione illum incessente, & semper vrente. Somnus aberat, nisi quem per momenta lacesseret fatigata natura, qui ita breuis, & tenuis se ingerebat oculis, vt satis nequiret vel percipi quidem. Lassatus tremor, si mouebatur, occupabat artus. Tot inter crudeles cruciatus vna vox illa obaudiebatur, Sit nomen Domini Benedictum, ac in vltimo vitæ limine constitutus vultum veteranę virtutis colore suffusum non morientis, sed triumphantis prę se tulit, atq; inter charas fratris curatrices, Sacerdotalesq; manus spiritum Deo reddidit innocẽtem septuagenario minor die vigesima septima Ianuarij. Quonam loco iacturam acceperit, reposueritq; Matthęus, ab ipsomet audiamus in Epistola ad Gabrielem Vicentinũ.

Quem amasti semper, & paulò minus fouisti, quam ipse, Ioannes Philippus meus abruptis vinculis, quibus innocens, & candida illius tenebatur anima, tanquam violento è carcere euolauit ad Cœlum. Cuius acerbissimam vitam, & grauissimos cum diutina infirmitate dolores consideranti mihi, & si vis amoris, atque naturæ dum exiret à corpore mollius pupugit animum; plus ei tamen sanè congratulor, quam mihi doleam, quando ea mors mala videri mihi non possit, quæ cum non interemit, sed transuexit ad vitam, & malorum tam horribilium finem faciens, aperuit ei felicitatis initium. Et per quam, vt antea extitit conuersatio sancta, ita visa est emigratio ipsa sanctissima, tantiq; solatij plena, vt ad nos si iterum posset hanc in fragilem casulam, & vile tentorium corporis parua quidem opera reuocari, ne id vllo modo tentarem, ita certa, ita perspecta, ita tuta illius est mihi salus, & perpetuæ suæ tollerantiæ, & reliquæ bonitatis in cælestibus merces. Grauissima, & quæ sæculis celebretur omnibus patientia beati extitit Iob, at germani ipsius mei profectò longanimior, triginta qui supra annos, triginta vix dies, ne dixerim horas, sine dolore percurrit, & eo sæpissimè tanto, quantum mortalis sensus, & passibilis caro penè potuit sustinere. Sed ijs mentiri ne videar, qui astabant, sancto dum oleo inungeremus rem sacram mecum facientes, qui me inspexere illachrymantem, testor tibi, mi Gabriel, non doloris quidem, sed mirę cuiuspiam

deuotionis atq; dulcedinis lachrymas illas certè fuiſse, expreſsus poſtremò e meo ſermone ad illum, & ſuis viciſſim ad me pauculis uerbis, ſed certè mirandis; atq; ſanctiſſimis (hiſcere prorſus multa non poterat &c. uel tum maximè cum illum conſpicarer effusè totum procumbere, cruci teneris cum oculis, atq; gemitibus, & poſt oſcula ſtatim in Crucifixum manibus aſtrictum coniectos oculos fixè tenere. Efflagitare veniam, implorare auxilium, è Cœlo non excludi rogare, & tandem pręſentium fratrum pro ſe preces petere, & indulgentiam omni de re, quam in quenquam illorum vllo modo vel neſcius commiſiſset ſupplicare. Quę omnia mihi pręcordia concuſsere adeo, vt inde tenerrimus tum mihi fletus erumperet, & eruperit eadem deuotione poſtea ſępius. Nunquam ego de illo pręclaro compendio conquerar, emigrationeq; ea beata dolebo, qua electi Dei ab infectis, moribundiſq; corporibus euulſi, emittuntur ad cęleſte domicilium; vbi mixti Angelis felices habitant ſedes, & diuina ſimul gloria, ac dignitate fruuntur. Quod germano meo contigiſſe non profectò mihi pollicear, ſemper dum vixero, ęterno Deo meo gratus laudem corde, oreq; perſolnam, qui, & ſi cætera, quæ ſunt mihi in corpore membra, lingua fari poſſent humana, per ea ſingula Deum quoq; ſine fine laudarem; à quo acceperim fratrem, qui totius bonitatis, ſed patientiæ maximè, memorandum omnibus præbuit exemplum, & in quo inſpiceretur glorioſa perpeſſionis imago, lucidum ſpeculum, qui cum ipſi magis probaretur, & magis ſemper inualuit velut argentum probatum terræ, purgatum ſeptuplum; hoc eſt per terrenorum detrimenta vexatus, & depuratus à ſcoria, vt exiret in vas tandem ſolidum, ſelectum, & pretioſum, inq; cæleſtes theſauros perpetuò reſpondendum. Quod ſi pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, vt ſcribitur, erit nobis homunculis ſordida? Si ſapientiſſimus Regum Salomon diem mortis natiuitati hominum præfert, an ignaui ipſi contra certabimus? Superabit vel Chriſtianos, immò ipſos Chriſti miniſtros Heſiodus, qui natales hominum plangens, exultat in funere? Superabunt ne & populi illi ne ſatis eo tempore culti, qui ſuorum funera ſolemni neceſſariorum conuiuio decorabant, quod qui eſſent cum laude defuncti, digni plauſu magis equidem forent, quam certè mœrore? Inuidebo ne fratri, quod immortali beneficio Dei tam graui ærumna, & quibus tenebatur doloribus ereptus ſit? & à tyrannide veternoſi, & fatiſcentis corpuſculi liberatus, vt oculos paſcam miſerrimo ſpectaculo carnis? Nullo quidem modo à me dicam abijſſe, qui remeauit ad Chriſtum, neque contendam vita mortali mihi non viuere, qui Deo vita perenni viuit, & glorioſa. Fateor quo tempore potuit (Quod extitit antequam perpetuos incidiſſet in morbos) rem noſtram capeſſere, & capeſſiuit iuuare, & iuuit, fungens laboribus, & adminiſtratione rerum noſtrarum ſingulari cum integritate,

gritate, ac memorabili laude; fateor, inquam, illum me tum optauisse fore nobiscum inter probatos eos fratres numerandum quibus multitudo nostra omnis continetur, sanctèq; regitur, & exulem à cælesti patria, Beatorumq; consortio fieri, quo interim nobis sua integritate esset auxilio, atq; consilio. Nunc verò quando nihil, nisi sibi agere, moliriq; posset, trahi exul à perenni illa gloria, qua fruendum ei esset, flagitum putauerim non leui emendatione piandum.

Nunquam sanè dies fælicis huius transitus mihi redibit in mentem, quod non frequens non erit, quin gratissimum semper, & gratiarum in Deum animum erigam plenum, meq; ante illum prosternam, & sua laudibus, donisq; cultura non cumulem, non thura ponam, & niueis cereis ornem, viuetq; eius in me semper recordatio in Ghristo iucundior, quę nostris neq; obliterabitur posteris quamdiù erunt, quantulę sunt nostrę ad eum literulę, nostriq; libelli. Paucula hęc tecum Gabriel, de fratre tanquam mecum plenius ad solatium piè sum collocutus. Plura verò illa, quæ campum vastiorem optarent, consultò prætęriens, ne in illo mihi inuerecundius forsitan videas adulari. Vale, & mihi quoq; fęlicem exitum roga Veronæ quarto Kalend. Februarias 1498. Ad ipsummet autem fratrem dat Epistolam quinquagesimam septimam inhæc verba, quibus quantis tentaretur aduersis affectionibus insigniter aperit, differitq; de fœlici ipsa malorum tolerantia.

Te audio ex more viuere, & affectum non tam circumferre, quam raptare corpusculum. Longissimum profectò supplicium, & quod iam tibi insanabile fortasse videri incipiat, teq; tandem vel frangere animo, vel fatigare facilè queat. Sed profectò est, sui venerabilis, & carissime frater, tota Sanctorum fiducia, vt longo iam tempore in Libello de tolerantia malorum tecum disserui, ac disputaui in perferendis aduersis posita, ac constituta. Ingens nanq; vis, cruentusq; labor, ac dies longa, & plena malorum coronas beatas conflat, & excudit prædestinatis Sanctorum capitibus, neque sacrificare quisquam Deo, holocaustoq; litare dignè, ritèq; potest, nisi cum iugulo, assanteq; igni: sed neque ad Cælum eniti nisi profusione sudoris, & sanguinis, ac diutinæ patientiæ lacertis, viribusq; in sublime delatus. Itaq; fit, vt qui tenaci, ac dissoluto sunt corpore, tolerare conueniat, lætusq; Deo gratias agere, qui autem valido, laboribus assuescere, grauiaq; ac difficilia sibi ipsis imperare, quoniam arduus, & salebrosus est callis, qui ducit ad vitam; planus, ac mollis qui ducit ad mortem. Qui membra sunt Christi, bibunt de calice Christi amaritudiem, atq; dolorem. Qui membra sunt Dæmonis de calice Dæmoniorum bibunt voluptatem, atq; delitias, inter quos interest tantum, quantum inter vitam, & mortem, salutemq; & perditionem. Ex quo Apostolus grauiter quidem inquit, & scitè, Qui seminat in carne, de carne metet & corruptionem: qui vero in

spiritu

ſpiritu ſeminat, de ſpiritu metet vitam æternam. Fieri non poteſt, vt homo ſit beatus ex corpore, quoniam propria, atq; præcipua hominis ratio corpore contineri minime poteſt. Magis autem veri, & interioris hominis ceu operimentum, & indiuiduus, vt ita dixerim, cortex eſt corpus, conceſſum animo tanquam ſeruitium ad promerendum. Vnde Criſpus, Optimè quidem ſeruitio corporis, imperio verò animi magis vtimur, inquit, alterumq; cum beluis, alterum cum Dijs commune eſt. Quare ſi quod veriſſimum profectò eſt, homo cæleſte ſimulachrum eſt Dei formam præſeferens, atq; imaginem: conſequens omninò, ac neceſſarium eſt, vt ad corpus hoc non referatur, ſed animum, per quem homo eſt maximè homo, ſimulq; & comparabilis Deo. Parua ergo admodum nobis de cortice cura, paruaq; cogitatio. Abigatur malorum impendentium timor. amor carnis faceſsat, & ſanguinis. Pars hæc noſtri lutea, & moribunda elementis complexa, & agglobata contrarijs, beatitatis per ſe nequaquam eſt capax, niſi quantum animus ipſe diuinus, & ſempiternus illam afficit gloria. Datus nobis ſenſus eſt, qui acerbiſſimos dolores, dirosq; cruciatus capiat, ac patiatur, quo per exercitationem virtutis ſuperando attollatur animus ad ea Deo miſerante conſequenda, quæ vt ſcriptum eſt, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec pectus vnquam mortale percepit. Scias itaq; cariſſime mi frater, ac modeſtiſſime, mala iſta non eſſe, neque vlla nobis ratione fugienda, quibus Deus ipſe architectus humani generis, & amator electos, charosq; ſuos dignos putauit. Expaueſcere itaq; morbos, vel fortuitis rriſtari calamitatibus, perhorrere ludibria, iocos, morſusq; fortunæ infidelis eſſe videtur, ac virtutis naturam penitus ignorantis, quæ potens quidem eſt aduerſa etiam omnia ſibi ſubſternere, & victrix tanquam attritos hoſtes, terrores, cruces, ignes ſub iugum feliciter mittere. Sed Philoſophiam iſtam, qua Stoici quondam ipſi etiam gloriati ſunt, noſq; deinde Chriſtum ſecuti, conſtantius, magnificentiusq; tuemur, alias, vt ante dixi, in dialogo tecum meo latius attigi, quem quoniam in manibus habes, potes mecum facile eſſe, teq; ſolari cum vis. Quare noſtra hic claudetur epiſtola, cum illud vnum te monuero adhuc frater, & anima. Ne proſpera ſtultis inuideas, quæ ſunt illis communia cum mutis. Vale, meq; viciſſim tuis orationibus adiuua. Bononiæ ex Sancto Ioanne in Monte kal.Nouembris. Demum ad Eſaiam Eſtenſem, vt alia multa rem declarantia omittamus, ita ſcribit familiariter.

Bellè, atq; amicè ago tecum ſuauis Eſaias. Quid iſtud modo refero, atq; commemoro? Fratris debiliſſimo, inquietoq; ſtomacho, & in quo patitur, epati blanditur magnopere, & medetur Cretenſis paſſula, quæ apud nos inuenitur minime pinguis, ac ſapida, cæterum neq; recens. Quod ſi ex Veneta optima iſta tua ei tranſmiſeris duos, vel certè pugillos, ei te

ſcito

ſcito facturum rem admodum gratam. Demum cum eodem diſſerit, Infirmitates non eſſe varijs de cauſis, & rationibus in malis habendas Epiſtola quadrageſima prima in hæc verba.

Si in malis ducendæ infirmitates corporis forent, ambo infelices profectò, qui ex quo florem iuuentę exceſsimus, annos admodum paucos ſoſpites viximus. Sed vita propè tota acta nobis fuit inter dolores, febres, fluxus, languedines, & cæteras pœnas frequentes, & varias, quas longum eſſet enumerare, & graue tanquam obductas iam cicatrices iterum cruentare. Vnde obliuiſcendo præterita ſatis quidem ſit de pręſentibus cogitare. Nam tu Veronæ, Regij verò ipſe lecto iacemus. Te veſica, me febris, & podagra diſcruciat, quas planè moleſtias iam ſenes amplius non extimeſcebamus moribundis iam tepeſcentibus ſenſibus, & ſitu grandæuo laſſatis, qui vt virides maiores capiunt voluptates, ita quidem veternoſi ad acriores dolores fieri putarentur minus certè ſenſibiles. Seneſcentia enim ſemper molius ponderibus cedunt, quam certè robuſta. Sed omittamus medicinam, & hac in parte naturam. Dominus ſit, qui nos mortificet, atq; viuificet, id accipientes à præceptore domeſtico Paulo, Vt caſtigati, & non mortificati, quaſi morientes, et ecce viuimus, & quaſi triſtes ſemper autem gaudentes. Quæ omnia agi tecum feliciſsimè nunquam frater addubitabo, ſemper enim aduerſa fortiter pertuliſti. Quod & mihi vehementer optabo, qui non tanta virtute ſum præditus. Agat me itaq; iſtis calcaribus Deus, & iſtis caſtigationibus verberet, modo mihi inde prouentus aliquis cæleſtis acceſserit. Amaram ſiquidem experti ſumus ſæpè, quæ ſanat, eſſe medicinam, & ſæuam eam pugnam, quæ Olympionicem in ſudore, & anguſtia ludi coronat. Vnde de pſalmis collectum eſt illud, Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Et in Apocalipſi de victoribus ſcribitur, Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, modo coronantur, & referunt palmam. Grande nihil ſurgit in homine ſine conatu, atq; ſudore. Non opes, non honores, non dignitates, non ſapientia. Minus certè corona, & triumphalis vltimæ gloriæ, quam humana admiratur ambitio, currus; vt nos pigere laborum minimè, perpeſsionumq; noſtrarum illuſtrium meritò poſsit, quarum leuior eſt tollerantia ex ſecuritate, & magnitudine præmij pendentis à promiſsione diuina, quæ nequit uel mentiri, uel fallere. Quos & ſolari dum patimur, facilè poteſt breuitas temporis, quæ perpetuitati totius æui inſecuturi comparata ipſa quidem umbra, omniq; ſagitta uelocior cernitur, ut neque læta, neque triſtia cenſeri poſsint, quæ peruolant tam breui curriculo, & quæ hora una ęquè diſsoluit. Qua cogitatione Propheta ſic Deum alloquitur, Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te, veruntamen vniuerſa vanitas omnis ho-

nis homo viuens. Leuiora quoq; quæ serui sustinent domini tantus eorum numerus efficit, qui grauiora patiuntur. Quod si nobis liceret ex sublimi specula aliqua orbem vniuersum quaq; spectare, quanta (Deus imortalis, atq; supreme) horrenda inspiceremus, & miseranda? Tot cęcos natos, tot regio ardentes humore, epileptico morbo cadentes, tot vel oculorum, vel dentium rabiem despumantes, tot lepra saucios, scabie, impetigineq; rorantes putres humores, ac prurientes, tot mania colici doloris morientibus similes, tot lapillos si possunt & emingentes, sin minimè eo sub cruciatu deficientes. Quid podagra? quæ suis de locis manuum, pedumq; extrudit arriculos? quid vincula? quid carceres? quid supplicia? quid tormenta, atq; martyria illata vicissim ab homine in hominem, quo nihil est sęuius, & humanæ magis aduersum naturæ? Taceo cætera, quæ plura vtique sunt, quam indicari, aut quidem enumerari queant. Quibus innumeris istis multitudine sic affecta quanto nos leuius manus tetigit Domini, & illius disciplina seruauit? vt misericordiæ eius iure sint nobis in æternum cantandæ, qui probati sumus, non occisi: percussi, & ecce sanati. Non vt obsideremur à Principe, sed Principem consectaremur, de quo est scriptum, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et oportuit Christum pati, & sic intrare in regnum suum. Verum enimuero, & si se tollat in aduersum, & animo suggerat cogitatio, Non recensuisti eos, qui ante eunt miseros istos in prosperis, cumulari omnibus fortunæ præmijs, & corporis bonis, læti semper, atq; ridentes. Hoc non contendimus aliter loco, quam quod diuitem Epulonem, & mendicum inducimus Lazarum. Aut si quid iuuat dari poetis, duas monstratas Herculi vias, aut verò Lycurgi geminos canes diuersè nutritos. Quæ vberius non prosequor vt tibi non desit, quod tu etiam mediteris. Sed neque ipse nunc ad plura satis sum compos, qui non tam vt volui, quam quidem vt potui, ex lectulo ista dictaui, vt nos nostrę voces sic excitent, ne torpeamus per longiora fastidia. Vale, teq; cura solicite. Regij xv. kal. Februarij.

IO. BAPTISTA GVARINVS CREMONENSIS.



T vno verbo egregiè complectar, quæ ad meritam laudem Ioannis Baptistæ Guarini Cremonensis dicenda forent, illum pium, purum, candidum Diuæ Virginis Deiparæ Laudatorem appellabo. Nullum certè maius illi encomium obtingere potest. Propter quod à supernis illis non fictorum Elisiorum delicijs, in quibus gaudere speramus (si qua nostrum peregrinantum ciuibus illis in patria cura subest) accidentali lætitia non modicum lętari speramus. Id verò honestissimi tituli non ab re illi attribuendum putamus, qui raro quidem, sed imitabili exemplo omnia intellectus acumina, omnia facundiæ lumina, omnia calami munimina, omnia vitæ molimina in eam vnam prouinciam contulit, & labores dignissimos puritate solantis se conscientiæ coronauit ab materno fermè vbere (quod ipse de se affirmare solebat ad alios inflammandos, & ad bonam educationem commendandam) Diuam Virginem cœpit præcipua deuotione, & imis præcordijs venerari, quem in Sabbatis Genitrix vna rantum vice aleret non lacte, sed coctis pomis, & pane lixato. Propter quod die diem illuminante, & nocte nocti scientiam indicante, auxit iudicio, & voluntate, quod aliena in se manus cordatè inceperat. In familiam Canonicam cooptatus trilustris non sine eiusdem Dei genetricis tutela, per quam e mortis ereptus est faucibus; die Sabbati in albis rocchetto dealbatus est, & eodem quoq; post priorem annum tyrocinij per tria vota solemniter edita religioni se obstrinxit. Cum primum per ætatem, atque studia licuit, priuatim ad Canonicos (quod ad exercitationem adolescentum prædicationis muneri destinarorum exequi per aduentum solet in conclaui quolibet Canoniarum) omnia quadragesimæ sabbata in honorem Virginis concionari cœpit, magè spiritus feruore, quam adhuc doctrinæ acquisitæ robore. Sed qui dat Deus velle, & perficere addidit quoq; pro bona voluntate prouentum; ita vt dimissus triennio post ad populos se ipso maior euaderet, qui debilitate stomachi tentatus, atq; vocis gracilitate, pondus, huiusmodi pro dignitate portare posse, haud videbatur. Sobrietas tamen auxit vires, à qua esse exterminandas verebatur:

rebatur, atq; vox ipsa stetit æquè potens quoad iuuentute, & virilitate floruit. Declinantem ad senium munus destituit, sed versa est lingua eius in calamum scribæ velociter scribentis. Confugiens enim ad solitudinem montis Cretæ, vt iugi seruitio Virgini Matri obsequeretur in loco per eius veneratam imaginem deuotissimo; quod è chori, sacrarijq; munijs longum tempus supererat, id totum media oratione in eius exarandis laudibus applicuit. Primum quidem scribenti incertus extitit finis tantum vt omni laude maiorem celebraret pro excitando, & exercendo affectu; demum verò ad certam compagem redegit ipsam molem, atq; machinam. Sic ibi inchoauit, & ad bonam vsq; formam perduxit opus illud, quod demum Italicè Hierarchiam Beatę Virginis attitulauit, obtulitq; ad Augustas sorores Mediceas ad Mariam Gallorum, Nauarrorumq; Reginam, & ad Eleonoram Mantuanorum, Montisq; Ferrati Ducissam. De operis autem conditionibus non est cur nos multa proloquamur, quando omnium iam manibus terratur, omnium, inquam, aut Diuę Virgini addictorum, aut populo concionari laborantium. Suppetit quidem vtrisq; vberes, benèq; digestas materias, & ad animum excolendum, & ad aures castigate opplendas. Adsunt puncta meditationum pretiosa, doctrina omni soliditate referta, culti italici sermonis candor, & securitas, & quod non modicum nostratibus refert (credo, & exteris) affixa est oratio ad eandem Cœlorum Reginam mirè pathetica, & quæ è visceribus pręcedentis considerationis petita spiritum viri duplicem ostendit, & Lectorem eodem quasi fuerit auctor alter Elias igneo curru raptus hæreditario, quodam iure afficit. Hinc bis, & iterato opus in multa voluminum centena prælo subiectum permeauit vbique. Et quamuis plurimi tum ante illum, tum postea de encomiorum omnium Imperatrice scripserint; sua tamen ei laus adhuc integra manet, qui de Sacro Regno Theotocos Mariæ differens nil intactum, nil illibatum apis argumentosa deseruit ad illius vitę mysteria attinens. Placuisse verò tantis non tam peritię, quæ tamen insignis erat, quam deuotioni tribuendum est, compensante videlicet & vigilias, & bonam serui voluntatem Virgine in ijs etiam exterioribus. Ex cuius precibus, & intercessione vita hæc viro dilata videtur in longiores dies, quam aut natura, aut ars medica & sustineret, & præsagiret; cum laborans stomachi semper debilitate recrudescentis, & omnem escam respuentis ærumna fermè miraculo seruatus est post aquas Aponenses Patauij incassum susceptas, quod ipse innuit in Epistola ad Seraphinum Merlinum. Dono Numinis dilatum tempus sedulitate expeditissima exercuit nouam nactus materiam, in qua vires ingenij exerceret. Scripsit nanq; De vera Sapientia libros sex in quibus edisserens, Quid vera Sapientia sit, Penes quem reperiatur, Quenam detur ad illam via media acquisitionis quænam

extent,

extent, docet Mundanam ſapientiam fictam, falſamue eſſe. Huiuſmodi incumbentem ſtudijs mors aggreſſa, & quem preambulis exercuerat multiformiter incommodis aut ex ſtudio diuturniore, aut ex gracilitate naturæ emergentibus. Senex in familiaribus congreſſibus ad ædificationem lætabatur ſe alacritate maiori, præſentioreq; frugi Congregationem coluiſſe in ijs Monaſterijs, quorum Eccleſiæ Deiparam titularem habuiſſent, quibuſue aſſignari aliquando enixè poſtulaſſet, puta apud Virginem de Frigdionaria, vt ibi repararet ſpiritum, vbi maiores ſanctiſſimè Reformationem inchoarunt, Lachrymarum Triuij, Gratiarum Regij Lepidi, De Paſſione Mediolani, de Pace Romæ, de Parete Nolæ, Pediſcriptæ Neapoli, Nouæ Aſtæ Portuenſis Rauuennæ, Blancæ Caſoretti, preter memoratam Montis Cretæ, & diù expetitam, nunquam verò obtentam Tremitanam. Sic probæ mentes ex omnibus didicerunt, ex omnibus feruorem ſanctitatis piè excerpere. Scripſit


De Hierarchia, vel Sacro Regno Mariæ Virginis Dei Matris, Cælorumq; Reginæ Italicè libros duos. Venetijs mihi apud Euangeliſtam Deuchinum Anno 1609. *Lib.* ij.

De vera Sapientia libros ſex. Venetijs apud Euangeliſtam Deuchinum Anno eod. Lib. vj.



IOANNES PHILIPPVS NOVARIENSIS.





LAPSIS ferè centum, atq; triginta annis ab sui postrema Reformatione Frigdionaria inuenit Canonicus Ordo primum rerum suarum Chronistam Ioannem Philippum Nouariensem, virum vtique eximię probitatis, & antiqui in summa simplicitate moris, cuius honestissimis ausis æternum debere plura fateamur dogmatis successores. Adeo quidem altiores illi proceres primorum temporum rebus incubuere præstandis siue in interiore homine ad absolutam normam in se ipsis efformando, siue in proximis vndequaq; iuuandis; vt nihil omninò adlaborarent de transmittendo per scripturas posteritati quid vel iam antea actitatum, vel quid agerent ipsi. Si enim superiora Ordinis Canonici respiciebant ad se per auorum, atauorumq; maximorum quasi per manus transmissa, & hereditario iure legitimo transfusa, adeo erant in claris, tamq; præfulgidè rutilabant immensa virtutum, rerumue sanctè, ac præclarè gestarum, vt non prorsus ineptè opinarentur nil egere ope calami, quæ in omnium oculis essent. Si uerò propria intuebantur, eousq; nihili ducebant ea humiles uerè, & apostolici, ut neque digna, quæ in exemplum transirent, neque perfecta arbitrarentur uix renascentia, longiorisq; incerta diei. Qui autem dehinc successere propinquius, atq; his subsequentes alij eodem incedendo gradu, eadem quoq; triuere uestigia, probitatem quidem religiosam prę se ferentia, sed oscitanter fortè nimis, si ad prudentię normam reuocentur: prudentiæ, inquam, illius, quę neque Euangelio repugnet, & humana non abnuat, vt media ad finem, non vt finem ipsum. Hinc qui quarto, quintoq; loco aduenere nepotes (singulis vicenarijs ętates scilicet dimetiendo) per obscura, & ad eos vsque dies neque obseruata, neque sermonibus domesticis obtrita gradientes cum se se aliquando offert occasio de Canonicæ in vniuersum familię procursu, deq; proprio tramite neque plene, neq; exactè loquebantur. Fortè res tanta ad hanc vsque processisset diem in nos etiam remotissimos abnepotes, vt potè circa nostra sobrietatis illius hęredes, ni Deus misericors, & iustus ad retegendas, abolendas, & vindicandas propudiosas calumnias seniorum quorundam per pruriginem absonam, & titillamenta lubrica insidiantium pudori, ac de-

ac decori Susannæ sanctissimæ nostrę in horto Frigdionario se abluentis, hoc est veteres sordes, sudoresq;contractos deponentis, ni Deus, inquam, spiritum plusquam vnius Danielis suscitasset. Inter illos autem qui huiusmodi spiritum recepere alter multa ex parte extitit Ioannes Philippus. Circa vndeuigesimum ab recepto per Nouarienses nostrorum Collegio ipse in sinu Congregationis cęlo fouendus admittitur eo vtrinque ardore, quo rerum initia foueri, vigereq; solent. Arctam omninò vitam, vereq; Canonico ritui respondentem exprimebant more, verbo, praxiue, qui tum ibi degebant sacerdotes, nec minus cęlestem Hierusalem ædificabant intus in animis, quam extimè præ oculis carnis templum erigerent Gratiarum Deiparę. Quo fiebat vt plures anxius eniterentur nomen dare nouę apud ipsos, sed apprimè frugi tantorum virorum phalangi. Breuis aqua, arctusq; panis non patiebantur multiplicari gentem, etiam si Proceres Ordinis exoptarent iuuare beneuolentissimos ciues, qui & pridem studuerant Ecclesiam Sancti Spiritus per ressignationem Gaudentij de Testis Prępositi, Canoniciq; Regularis alterius Ordinis nostram facere, ac demum noui loci erectionem à Summo Pontifice Sixto Quarto per supplicem libellum exorato obtinuerant, nobisq: perficientibus opem omni alacritate attulerant. In paucis illis, quibus pars nobiscum assignata est, adnumeratur Ioannes Philippus, vti prętactum, honestissimo loco natus annum agens vigesimum, uberiusq: instructus ad seueriora ędificantis charitatis, quam ad suauiora inflantis scientię. Pręsidijs tamen non destituebatur communibus illis, quę probum uirum populo nauum operarium expoliendum repromittunt. Quo factum est, ut super canonico incude octennis perseuerans in electissimorum pręceptorum manibus quaqua uersum cussus, atq: recussus, rude doctorea donatus extiterit. Versabantur tum Nouatię inter cęteros Canonicos Blasius Vicentinus, & Antonius Domussola Nouariensis viri illa sanctitate à Domino donati, quę pręcipua, singularisq: in Ecclesia Sancta pręlucens populos non in admirationem modo, sed & in summam propellit venerationem: viri, inquam, pluribus miraculis illustres, siue dum hac luce fruerentur, siue ad aliam perennem, serenissimamq: translati. Sub horum oculis, hortationibus, exemplis, & conuersatione quis non profecisset in via Dei, quis iners à somno mentem non excitasset? Ioannes Philippus is factus est, qui feraciter responderet tantis seminibus, quiq: pręeuntes viros sanctissimos sequeretur alacriter, charitate pręsertim non ficta, humilitateue ab vniuersa aliena hippocrisi. Tum autem fortius solidatus est in illorum imitatione, cum mortem Blasij, genus eius, sanctas circumstantias, piumq: funus sedulus obseruauit. Extrema enim ęgretudine laboranti cum & ex propria electione, & ex Superioris deputatione operosius deseruiret, innenarabilis patientię, sublimisq: in

Diuinum

Diuinum Numen ressignationis documenta illa contrectauit sensibus, atq; mente, quæ religiosissimum confessorem martyrio quoppiam affectum prędicarent, Deoq; dilectissimum: cum præsertim inter cruciatus, atq; tormenta lætus illi, adstantibusq; alijs diem, & horam obitus sui prædixerit, qui in natalitio perusti Diaconi Laurentij accidit quinque fermè mensibus ante sesquimilesimi exordia. Quæ in funere curando secuta sunt miracula, dum tota conflueret venerabunda Ciuitas, fidem firmauere sanctimoniæ viri, innocentissimęq; vitæ cursum exactum probauere. Interea Ioannes Philippus Mediolanum commeat Hieronymo Bosso Generali renunciato præcipiente. Quo factum est vt Antonij Domussolę sanctissimæ dormitioni interesse nequiuèrit, quod summopere habebat in votis, vtrisq; pijssimis præceptoribus, & veræ vitæ antesignanis extrema persoluturus officia. Compensauere tamen Superi pium viri desiderium nouo charitatis exercendæ officio, cum pro Domussola Nouariæ vita functo Eusebius Corradus Mediolani diem obierit illo præsente. Quamuis etenim non ea vitæ sanctioris fama floreret Eusebius in populorum oculis, & opinione; tamen cum vitę probitate non vulgari plurima obtinuerat à Deo, quæ sacerdotem cum paucis conspicuum, illustremq; redderent, de quo quia suo loco libro quinto dictum est fusius, ideo hic missa funto. Fortè non absq; mysterio permutatio hæc desuper operata est; vt nempe exerceretur obseruator duorum diuersa talenta sortitorum, in quibus se viriliter exercuerant pertractandis, exprçssurus vtrunque toto vitæ sibi affuturæ curiculo, & in Religionis professæ commodum, & in proprię salutis assecutione. Atq; ita profectò per sacram viri solertiam factum est. Quippe & Blasium in perfecta sui dispicientia, simplicitate, & humilitate, & Eusebium in egregio, ardentiq; erga matrem Religionem amore ad quicuncem repræsentauit moribus, calamo, voce. Post annos quatuor oborta lite de possessione Canoniæ Derthonensis Diuo Euangelistę Matthęo sacræ, quas ab Eusebij ardore, efficaciq; genio sibi conuersatione comparuerat dotes, imitatione exacta expræssit. Erat Canonia illa membrum antiquę Congregationis Canonicorum Regularium Mortariensium, compræhensaq; fuerat iam ab anno quinquagesimo sexto in generali vnione Monasterij Sanctæ Crucis Mortariensis, & omnium illius membrorum cum nostra Lateranensi Congregatione per Nicolaum Quintum facta, vt quo primum tempore illa vacare contigisset, per Præpositum Mortariensem, vel per Superiores nostræ Congregationis in ea Prior, & Conuentus nostrorum Canonicorum institueretur. Quo tamen non obstante cum illam vacare obtigit Domicellus Glusianus Clericus Mediolanensis per subreptionem à Sede Apostolica sibi conferri obtinuerat. Quare per Prępositum Mortariensem Ioanne Philippo de illa canonicè instituto, is lite ad Pontificem delata, toto

nisu,

nisu, summisq; ingenij promptissimi, ac indefessi corporis viribus adeò causam egit prudenter, feliciter, ac solertissimè, vt arduis plurimis complanatis, quæ opponebantur ex impotentis aduersarij penu, tecnis, atq; gratia, qua florebat in aula, Pontifex Iulius de Ruuere eandem Derthonensem Canoniam Congregationi Lateranensi perpetuò annexuerit, vniuerit, & incorporarit edito bulliplumbio ad quintum decimum kal. Martias. In hisce, similibusq; plurimis admodum frugi se exercuit querens & in actione Deum, quem in contemplatione deuotus suspiraret, donec concepto acrius pię peregrinationis desiderio totus in ea incubuit; quò per obseruationem exterarum virtutum, seueriorisq; disciplinę, intra limites tamen Ordinis, mel sibi sanctioris vitæ componeret apis ingeniosa. Hinc Gallicanas fermè omnes inuisit Canonias pedestri itinere longos tractus dimetiens, vno, eodemq; tempore & patientię non vulgaris documenta præbens, & longanimitatem exercens, dum genti ignotus uel neutiquam, uel ęgrè ad incolatum Canoniarum admittitur; donec erumpente è tenebris Italici cultus eius probitate excipi non modo cœpit expansis vulnis, & aperto corde, uerum & de loco ad locum, adhuc pręcurrente fama, commendatitijs associari. Tum fortè fuit, cum solari uolens Deus peregrini labores, & ærumnas, id illi narratum est, quod ipse literis commendauit libro septimo capite septimo. Quin (si coniectari expedit ex non leuibus) nobis ualidè probatur ipsimet inter illos, quatuor annumeratos contigisse, quod verè humilis in alienum refundit, adseq; magis contegendum, beatissimos viros illos vocat, omnesq; dicit vita functos tum temporis cum scriberet. Lubet ex ipso eius calamo rem simplicius hic recensere deuotissimam. Vidi, inquit, Suessionensem ciuitatem in Gallia excommunicationi subiacuisse diutius, & nonnisi sub silentio diuina mysteria clericos ministrare. In vigilia igitur Assumptionis Beatæ Mariæ Dominus Ioannes Prior Canonicorum Regularium Sancti Ioannis in vineis extra muros eiusdem Ciuitatis assumptis secum tribus Canonicis deuotissimis viris, qui nunc omnes defuncti sunt, in monte proximo Ciuitati in loco vbi quondam heremita resederat, ad celebrandam solemnitatem Virginis gloriosæ secesserunt. Inclinato autem die cantatis vesperis panem, & aquam ore sobrio libauerunt, & completorio dicto post orationes deuotas, & longas membra super nudam humum (desertus enim erat locus vbi quiescerent) paululum se postrauerunt. In mora decentiori surgunt ad matutinas, cantant suppliciter, & deuotè. At vbi ante laudes Prior nonam lectionem ex more finiuit, subito concentus mirabilis insonuit Angelorum, & Responsorium, Felix nanque, altissimis vocibus cantauerunt. Quo peracto tantum quatuor ex illa multitudine Versum, & Gloria singulariter decantauerunt, multitudine semper respondente. Post repetitionem verò secundam, ite-

rato Felix namq; iuxta morem Gallicum inchoauerunt, & prosequentibus omnibus communiter finierunt. Finito autem responsorio factum est silentium Angelorum. Prior autem incohato Te Deum laudamus matutinas cum suis laudibus perfecerunt: quibus dictis quot singultus, quot lachrymas, quot suspiria in recordatione suauissimi modulaminis ab imo pectoris ediderint illi quatuor beatissimi viri, non est nostræ possibilitatis euoluere, vel effari. Hæc quidem ille. Neque verò hos vnos certiores, firmioresq; fructus vitæ spiritus reportauit in patria; sed ex ijs, quæ diligenter viderat animatus, cogitatum adiecit Historiæ Ordinis scribendæ, quod vix in paulo minorem cessit vtilitatem, & decus. Vtiq; tam longè, tamq; latè diffusum per vniuersas Christiani Orbis oras Ordinem præclarissimum fermè cum ipsa fide ortum, ab ipsomet Deo homine facto plantatum, abq; duodecim eius Apostolis excultum nullos sui numerare scriptores æqualis cum mœrore, atq; stupore obseruarat etiam apud exteras nationes. Cum interim rerum præclarè gestarum ab eius alumnis innumera propè esset materies, ipsumq; scribendi subiectum omnes omninò excederet vires, si pro dignitate tractandum. Ipsa pluries repetita cathastrophe, quæ in alijs nullis ordinibus apparebat nusquam, vno, eodemq; momento calamos exposcere, & animos conterrere, deijcereq; videbatur: dum scilicet per quodlibet ferè duplicatum centenarium nunc laxarentur; nunc contraherentur strictioris, primęuæq; disciplinę habenę: ruentibus ue in pręceps aliquando rebus vitio temporum, & natura rerum humanarum nunquam in eodem statu permanentium, adessent suo loco ex Numinis misericordia sanctissimi reparatores, tristiaq; felicibus miscerentur, atq; malis bona reponerentur. Percepit propterea prudens, & cautus prouinciam viribus suis maiorem omnino, talentoq; sibi credito imparem esse: neque tamen despondens animos elegit (interius admonente, qui mentem ad opus excitarat) summariè, & per compendiarios tramites mille, ac quingentorum annorum seriem percurrere, genericè pertractis tantummodo rebus, & quasi in suam simpliciter superficiem expansis, intacta profunditate, quam alij metirentur corporis totius, ac tanti commensores exacti, quibus interim ipse adhuc in nubilo prę luxisset suo quocunq: modo antesignanus. Quare, simpliciter, ac placidè si stylum, ruditer, ac prępinguius, si res ipsas sincero iudicio, & incorrupto ponderemus, libros septem composuit, quorum seriem infra reddemus, quos Chronica Canonici Ordinis attitulauit. Nondum lites illę Ordini intentatę fuerant, quę postmodum coegere efficacius archiuia aperire, e ruderibus vetustatis e situ, squalore, puluere, tineis extrahere legitimas scripturas, rimari scrinia ferè à mentibus obliterata, & magè à murium dentibus, quam ab hominum manibus versata, & obtrita, vt nisibus totis rationum demonstratiuarum, optimisq; documentis

mentis

mentis antiquitatis, tabularum pubicarum, & Pontificiorum diplomatum identitatem probaremus Ordinis Canonici ab Apostolis instituti, ab Aurelio Augustino Regula decorati postremo in nos reformati: tramitem Patrum à primitiua Ecclesia, primisq; Clericis Apostolicis nunquam interruptum ad nos tam longè dissitos abnepotes deriuasse; hæreditatemq; legitimam, atq; familiam eandem prorsus, & irrefragabiliter esse, quod Deo dante misericorditer, & Pio Quarto pro tribunali iudicante iustè demum factum videmus, & in Domino semper gloriabimur. Hinc Ioannes Philippus incertum quempiam rumorem, errabundas nonnullas relationes, sciolasq; aliquas pagi nulas nominibus diuersorum, prout in diuersis erant manibus adscriptas, secutus (quę scriptoris erant exteri per summam caliditatem latenter in caulam ingressi, lupiq; in ouina pelle latentis) nonnulla scripsit minus veritati consona, quæ maximè nobis offecissent, atreq; præiudicium Congregationi ingessissent, ni validiores rationes, certissimæ tabulæ, lataq; testimonia, & legitimè producta opportuno tempore superuenissent. Ipse verò interim bona fide exarauit res illas prout ad eius notitiam deuenerunt, nil vltra per antiquam probitatem suspicatus, atq; ideo, nobis semper in hisce domesticis primo loco venerandus, commendandusq; accedet, qui prætulit alijs facem, quiq; strauit postetitati viam ad securiora educenda ex scrinijs vsq; tum non lustratis, atq; ad intimius, & magis cordatè enitendum pro publica re, quod ipse nihilominus tot, tantisq; in alijs à se explicatis, & à tenebris obliuionis erutis pręstitit abundè. Chronico operi finem imposuit in natalitio Diuæ Pœnitentis Bergomi ad Pneumatis ædes anno vndetrigesimo post sesquimillesimum. Aliquod vltra temporis superuixisse credimus, si operis æditioni interfuit, quæ facta fuit Cremonæ post sex annos. Quaqua decessit tempestate, sexto decennio ætatis absumpto decessit. Scripsit igitur Chronicam Canonici Ordinis septem libris distinctam hoc ordine.

De Canonici Odinis Institutione. Lib. I.
De Reformatoribus illius. Lib. I.
De Doctoribus ipsius. Lib. I.
De Martyribus Canonici Ordinis. Lib. I
De Pastoribus, & Prælatis eiusd. Lib. I
De Verbi Dei Prædicatoribus. Lib. I
De quibusdam mirabilibus, quæ in Ordine acciderunt. Lib. I.

Omnia impræssa Cremonæ apud Cæsarem de Riccardis Anno Domini 1535.

Columbani Balletti Bobiensis.

O Lector sapiens hunc rogo codicem.
Ne spernas facilem: qui cupis Ordinem
Sacrum Canonicum noscere protinus.
Hic prorsus veterum falsa volunima
Vitat: delitias hic positas puta,
Si sacrum assiduè volueris hoc opus.

IOSEPH VIVOLVS RAVENNAS.





VIVIS Seraphino Merlino sublato post annos quatuor pręficitur cętui vniuerso Canonicorum Ioseph Viuolus Rauennas, qui viro superstite constanter gubernio quolibet arcebatur, siue per quampiam animi latentis conceptam auuersionem, ne vna potestas impatiens consortis partiretur, ne uè imperium qualecunq; collegam admitteret; siue quod acer ille spiritus ex longiore consuetudine, & contubernio neutiquam Viuoli genium probaret profusæ cuiuspiam liberalitatis amans. Eodem curante Vitali Mercato vtriq; in album Canonicorum relati, disparibus ausis, actibus, exercitatione, pari disciplina apicem Reipublicę adipiscuntur, illo euentu, vt qui præcedebat Merlinus ætate, & Religionis ingressu septenni maior, prior quoq; & sæpius metam attigerit, à qua semel adepta nec imprudens, nec iners suo tempore deciderit. Constantis autem animi in ipso fermè limine Viuolus prætulit specimina cum Mercatum suum ab Portuensi illustri, ad Cornelianense obscurum Cœnobium per impotentiam præfectorum transmissum sequi cogitur, vt videlicet profiteretur inter Venetos, qui inter Rauennates paludamentum Congregationis assumpserat; ac si latens quoddam omen illud matris, hoc patris origini concederet, qui Maso Viuolo Patritio Rauennate, & Helena Pagnona Veneta genitoribus ędebatur. Annos feruentioris ætatis transegit sub disciplina Philosophorum, ac Theologorum Ordinis excellentium Patauij, ac Rauennæ, Aloysio nempe Belacato Brixiense, & Iosepho Vercellense. Dimittitur ab Viridario onustus fructu vtriusq; hominis ad populorum beneficia Euangelicus bucinator illorum Comitiorum sanctione, quæ & Gabrielem Flammam Reipublicę præfecerunt. Senatus consultum reddidere clarius adhuc coassumpti eidem obeundo muneri Alexander à Turre Cremensis, Bartholomæus Garzonius Bagnacaballus, Athanasius Arcellus Placentinus, Gaspar Acaresana Papiensis, qui postmodum illustres cum primis Orbi floruere, ac si omnium patre Flamma renunciato, qui fermè Oratorum omnium parens habebatur, non alia ei decentior phalanx ducenda congrueret. Decennali declamatione lustrauit aliquas Italię oras acceptissimus, & qui robustiore exercitatione poterat nulli cuiusuis Ordinis secun-

fecundus haberi; alijs fuperuenientibus occupationibus claris quidem, fed extraneis, pulpito abfiftere cogitur, neutiquam infractus animo, fed fortè vocatione reiectus, aut electione minifterij fibi imponens. Infractionem quidem tum detexit vnicè, cum ab palatij cauillis, & nodis repentinus pergamo fuperinducitur. Spoponderat Rauennatibus Quadragefimam Theodofius Badinus Gatinaria alter ex præcipuis Ordinis declamator Archiepifcopo depofcente, iamq; fuprema ij fatigabantur expectatione, cum Cinerum die non perorato Viuolum vices altè prępediti (quod tum demum innotuit) fubitutum extorquent. Diftinebant virum eo tempore lites monafterij, quę dietim plurimæ ibidem emergunt fiue prurientis climatis impetu, fiue fpeciofa temporalium bonorum fuppellectile multum appetitorem, aggrefforemq; alliciente. Vocant noftri occupationem hanc neceffariam, Procuratoris officium, cui onera incumbunt equum laborem, & acrimoniam expofcentia. Compofuit nouam perfonam ad quicuncem, & qui fatis vtique notus erat in omnium ore verfans, adhuc plurimus innotefcere cæpit: quippe qui admiratione primum fui excitata, animos cuiufcunque ordinis fic tractauit, ac perpulit in exercitia pœnitentiæ, & charitatis fiue publica, fiue priuata, quò alius quilibet Ecclefiaftes perducere vnquam poffe defperaffet. Pręcones patritios facti feriem, concionumue multarum themata benè tractata narrantes poft annorum duodenas fæpius Rauennæ audiuimus. Quæ imperia furfum deorfum vertit mors Alphonfi Æftenfis Ferrariæ Reguli, eadem & Viuolum impegit in fcopula, fi tamen actuofæ vitæ ferreo cadaueri id nominis aptare deceat. Qui tum rerum potiebantur imperio, vniuerfaq; Ecclefiafticæ ditionis moderabantur nutu virum eligunt, cuius executioni Pontificiæ excommunicationis diploma Ferrariæ introducendum, promulgandumue demandent; qui vnus negotio proponebatur prę cæteris, aut certè cum paucis idoneus, quod in eo conuenirent rerum experientia, locorum notitia, animi conftantia, mentis prudentia, & ad omnia paratum promptæ dexteritatis alacre genium. Capitali penæ obnoxium onus videbatur, Cæfare Ateftino Ciuitatem, Principatumq; tanquam fibi iure hæreditario debitum mordicus cuftodiente, ne aut clandeftino aggreffori, aut hofti manifefto in vtroq; gladio ferienti peteret aditus. Solers tamen hic, ac circumfpectus, & pro extremo vfq; cafu bene paratus vigiles omnes fefellit, & fuperatis cuftodibus fulminantia, dirifq; deuouentia diplomata latè inuulgauit, quo potiffimum tormento perterriti magis quam ferro, Princeps, Patritij, Ciuefq; vniuerfi Dominantui cedunt, Ciuitatemq; Apoftolico imperio redintegrant. Hinc folertiam, dexteritatem, fidumq; feruitium fatis grato amplexantes animo Pontificij Proceres gratia omni florentem ad intimiora confilia Viuolum admittunt, iufq; dicundæ fententiæ

circa recens assecuturum populorum administrationem conferunt, qui longo incolatu mores, studia, statum, agnationes, mutuasq; alligationes, aut dissuturas agnosceret. Quin in partem ministerij assumptum Comaclensem Ciuitatem eius fidei, prudentiæq; regendam conferunt pleno illo honore, & onere, quo Gubernatores cęteri ditionis Ecclesiasticæ cumulantur. Magistratum septimestri patientia gessit, à quo arceretur suoptè genio, dum aulica plusquam satis premeretur inuidia, extraneisq; impeteretur artificijs. Petulantibus vocibus, incertoq; rumore penè opprimitur abacti plurimi ducalis suppellectilis eius loci, qui ad secessum Regulorum magnifico apparatu inter piscosas Comaclensis Laci aquas extructus, *Le Casette* Italico vocabulo nuncupabatur. Verum apparuit obiecto crimine maior, dum inter nouam seueritatem, & veterem gratiam Petri Aldobrandini, Francisci Sancti Georgij, & Octauij Bandini Cardinalium ob importunas petitiones sic dimittitur, vt haud satis post reuocetur, quod de exsicandis paludibus Padi Primariensis, de ue aquis alijs alueandis, & diuertendis sententiam dicere illum opportunum crederent. Plurima de materia hac didicerat adhuc adolescens sub directione parentis, qui meliorem partem ætatis in versanda illa ora, & in excogitandis, aptandisue remedijs absumpserat sub nobili nunc Romanorum Pontificum, nunc Atestinorum Principum acceptissimoq; obsequio. Ipse verò cognitionem eiusmodi adminiculo disciplinarum mathematicarum in se perficiens, acri iudicio, & cogitabunda applicatione regionem multus inequitans, nec angulum absq; oculari inspectione prætериens, iam Commentarium ope calcographorum euulgarat Bononiensium Senatui nuncupatum, in quo non modo possibilem, sed & satisaccommodam astruebat Padi Primariensis exsiccationem. Grandis huiusmodi Prouincia negotium facessebat Romanis Congregationibus ob assiduas subditorum populorum querelas, ob iuges finitimorum Venetorum reclamationes. Quippe ex subditis Ciuitatibus Bononienses, Ferrarienses, Rauennates, vniuersaq; minor Romandiola, in cuius sinu præcipua sunt Oppida Argenta, Tiberiacum, Lucus innenarabilibus calamitatibus diuexabantur ab fluminum ruptionbus, & illuuionibus, qua Pado, qua Rheno, qua Anemone, alijsque fluminibus infidelem viciniam agentibus, perpetuaque expilabantur contributione, quam Bonificationem appellant. Veneta verò Respublica ab maiore Pado tot aquarum cathaclismata non recipiente nunc in agro Veronensi, nunc, alibi acriter diuexata remedium per Legatos suos Romano Pontifici opportunè exposcebat, & importunè. Eapropter multi erant maiores administri in Prouincia, vt supremis iussionibus obtemperarent in remedio & inueniendo, & exequendo, aut si hoc potissimum desperaretur, in leniendo saltem secundum partes, secundoq; morbo. Post varia hinc inde per scripturas, &

per

per voces contradictoriè deducta in colloquijs maturè habitis, Leonardus Morisius, Cæsar Mengolus, & Ioseph Viuolus ab Legato Cardinali Sancti Clementis deputantur, qui Ioannis Baptistę Aleotti Argentæ typis cussam propositionem examinent circa eiusdem Padi Primariensis exsiccationem, & circa adiacentium aquarum diuersiuam coalueationem. Quæ antea Viuolus euulgarat, immediatè eundem Aleottam, eiusq; thema, ac demonstrationem petebant, & proximè refutabant, satisq; consentanea Legato videbantur. Verum ne satis superq; Auctori fauisse in re tam grandis momenti decerneretur contrarium sentiente potissimum viro, qui ea in re cum primis eruditus, machinarumq; ac spiritalium inuentor illustris habebatur; prædictis collegis examen assignauit. Reiecit Mengolus Argentę theses Libello Cęsenę euulgato apud Rauerium tanquam solis Ferrariensibus fauorabiles, reliquis autem finitissimis exitiosas: & mutuatis à Viuolo, vsurpatisq; argumentis quam pluribus in medium ab ipso productis in priuatis congregationibus, ostendit ad praxim neutiquam reduci posse, quæ proponeret, demumq; si reducerentur, nusquam omninò profutura. Apud nos extat ex ijsdem Mengoli libellis alter manu Viuoli postillis, & adnotationibus cumulatus, quas vtiq; euulgare contempsit. Re per principem definita Viuolus ipse Bonificationi præficitur. Nec satis explicabile est quanto animi ardore, quantaq; spiritus contentione, & corporis labore, ac perseuerantia opus adierit, dum ab eius nutu centenaria hominum, & quandoq; ad vsq; millena penderent, quod nihil non ab ipso dispositum, centurionibusq; collineatum omninò perageretur. Toto eo muneris ardui tempore ad sexaginta vsq; aureorum millia absumpta fuisse narratur, opportuno quidem cum exitu, sed non eodem omnimodè pleno. Quod factu superfuit, reclamante natura nec perfici satis posse innotuit, regionibus videlicet ipsis tot aquarum receptui datis. Interea in partem sollicitudinis pręfectorum per comitia vocatur, Prępositura Reatina, quam Sancti Pastoris appellant, eidem ad triennium de more primitus assignata. Quo tempore Reatinos pauit per quadragenarium ieiunium diuino verbo in summo templo digna sui commendatione, quam non quærebat, & æquali cum animorum fructu cui inhiabat toto nixu. Per eosdem quoq; dies iuribus cessit Ecclesiæ Sanctæ Marię ad niues in pago Labri sitę haud ita pridem suę præpositurę traditæ, quod minus suppeterent oppidani assignatis Sacerdoti Canonico, ac socio quæ ad victum sufficerent. Præponitur dehinc suo loco Ariminensi Canonię inter luctam, & luctum electoribus non eadem de viro sentientibus. Atq; hic gubernationis eius actu exercitæ punctus. Quæ vltra cessere eius nomini honoris tantumodo fuere stipendia non sollicitudinis, qui titularia adierit Sancti Clementis apud Venetos, Portuensis Virginis de foris apud Rauennates Diuæ Margaritæ Portus maioris extra Ferrariam, & Diui Augustini de flumine

extra Foroliuium. Hominem sibi ipsi viuentem poterant loca componere studijs, orationiq; applicitum commodo ciuilis solitudinis exuberantia, quibus non obstreperet aut multitudo, aut magnitudo siue rerum, siue virorum. Secessu ipse non abutitur, si vnam demas adhuc per annosos artus, & præcordia triumphantem liberalitatem; sed indicit sibi præsentis vitæ seriosam pacem, & futurę vberem præparationem. Adest interim annus vigesimus septimus huius sęculi, in quo honor supremi Magistratus Ecclesiasticæ debetur Prouincię iure Statutario, & Pontificia sanctione:ceduntq; fato inter eius interstitia Iacobus Sanmartinus Bononiensis, & Valerianus Zampetrius Imolensis ex candidatis potiores habiti post valde lachrymabilem exitum Hieronymi Onufrij Fanensis Abbatis Tremitani, & fatis antea Seraphini Merlini. Quare superstite tantum Lauro Astulpho Ariminense, in cuius vlnas deferente velut Numine dignitas penè ipsa confugere, conuolareq; videbatur; quorundam sensus egit, vt Viuolus ab iugi illo vicennario secessu excitaretur, & reuocaretur noua, illustriq; concepta spe primi consessus. Si qua laus inest officio expetecti senis, integrè illa debetur Gabrieli Brusio Rauennati Abbati Portuensi, cuius violenta facundia primum, ignea dehinc solertia & illum illexit, ac perpulit, & media assecutionis disposuit. Hic toto animi pondere labitur in hanc prouectionem, quod patriæ sibi curandum præ cæteris nationibus decus opinaretur, quod Viuoli merita iam ab primis vocationis diebus pluris penderet, quod omnibus amicitiæ officijs culto nil vltra præter id desiderata intra Ordinis septa sibi honestum, laudabileq; duceret. Interea Romæ varia moliuntur, quæ politico gubernio Ordinis innouationem satis apertè comminarentur, alijs tentantibus fasces Generalitios, Romanumq; Aulicum Procuratorem nequaquam vltra per prouinciarum vicissitudines,& iura suffragio conferrendos,sed per latam Congregationis communitatem,alijs contra obluctantibus pridemque sancita, & praxi validata, summo cum Religionis commodo sustinentibus, alijs alia, & alia obijcientibus atq;tuentibus. Quare indictis Bononię Comitijs Robertus Vbaldinus Cardinalis eiusdem Ciuitatis de latère Legatus Pontificia schedula præficitur disceptantium sententiarum, si quæ afforent diribitor, & Præses. Partitis circa primam sessionem eligentium studijs Vexillifero Seraphino Verdellio Cremense in Astulphum eunte, mox in vnum coeuntibus, Ioseph Viuolus Abbas Generalis renunciatur ope potissimum Marci Antonij Manetti Massæ Florentini Generalis ressignati. Huius studium, ac voluntas conciliatore laudato Gabriele Brusio ideo cessit in Viuoli commoda, quoniam venerandam caniciem, longęuam Ordinis professionem, natiuam probitatem adamaret, nec satis pateretur rapi ab ijs, qui aduersa tentarent. Plausu non infimo electio recepta est Rauennæ potissimum omnium ordinum

num

num Ciuibus, per tres noctes euntibus in profusam lætitiam, quam flammarum artificio, & vocum, omnisq; generis instrumentorum, sono, tormentarioue puluere,& maioribus ictibus proderent vberrimè Portuenses. Rei occulatam fidem reddimus, qui inibi sub illis diebus per Generalem Massam instituti Abbatis fungeremur vice, atq; plurima ex parte manum facto admouerimus consilio, opere, iussu. Cæterum quam falax, quamue futile sit humanæ prudentiæ lumen hoc satis apparuit in opere, dum nec respondent vltima primis, nec implet electus expectationem electorum. Congenita enim illa facilitas, quæ seipsum tantūmodo gubernanti probitas ingenua videbatur, elanguescentem reddebat regularem disciplinam, & longo senio deferuescente sanguine, contusisq; prioribus illis spirituum ardoribus, qui clariorem egere virilitatem, & iuuentam, contabuere satis publica munia. Quare experimento compertum est, non quamcunque bonitatem idoneam esse magnis oneribus subeundis, sed eam fortè solam, quam excellens informaret prudentia, rerumq; subiectarum iugis pertractatio. Siquidem is procul sepositus à publico quolibet munere, & in speciem quietis rusticatus fermè per viginti annorum spacium, ac cuiusuis administrationis expers, nouus adeo ressedit Clauo; vt nec de facie nisi admodum paucos cognoscens, nec publicarum, priuatarumq; rationum, ac iurium quicquam possidens, remedia rebus opportuna adhibere nequiret. Hinc si Prouinciæ inter se, si Canoniæ adinuicem, siue si Prælati cum Prę-latis, ac si subditi insimul, vel ij omnes cum extraneis ardui aliquid, & solutione, decisioneq; indigentis haberent: id aut nusquam, aut non suo tempore, nec suo ordine dirimebat, dum in omnibus nouo, nec tamen formidanti, longè alio modo cuncta imprimerentur ab eo quod res se se ipsa gereret. Altius iugulum petere Reipublicæ formidatum est splendidam illam vnam liberalitatem, quę aliquando emortua senilibus in artubus, atq; præcordijs reebatur, quod pabulum neutiquam nacta conueniens friguisset in anteriori quiete. Ab fascibus enim debacari vsquequaque cæpit non leui priuatorum cum incommodo, & maiore cum Vniuersitatis vulnere. Hinc voces circumferuntur Abbatem Portuensem Theodosium à Sale (qui aliquandiù silens in grati animi modum ab eo euectus prælaturæ, altum præsserat sub corde dolorem) vniuersa clamoribus, & querelis opplere, & desperatione gubernij consternatum animo, adusque Deiparam Lauretanam peregrinari publici ærarij administros Romanum, & Venetum pecunias mutuare, alios, & alios subsidiari. Iam à prioribus anteactarum administrationum annis animo plusquam magnifico, viresq; excedente Marmoreum illustre ædificium ad custodiendum in Ecclesia Sacrosanctum Domini Corpus inchoarat sumpto inuentionis archetypo ab superna illa Hierusalem Ciuitate, quam Ioannes Apostolus in Apocalypsi descri-

causis lustrare Congregationem in speciem peregrinationis vbique tamen accepimus coactus sit, donec supernatante in olei modum innocentia ipso Generali vita functo redux, & incolumis suæ quieti sistitur, vt in Astulphum noua, gratioraque officia deferat. Verum haud difficile fuit callido consultori virum vno tantum anno minorem octuagenario à se ipso alienum facere, alterique & si benemerito animum vix sibi consistentem cripere. Certè summum beneficium summa vtcunq; ingratitudine compensatur ex vsu. Reposuere tempora viro Generalatum pro Episcopatu Brittinoriensium, cui, Clemente Ferraria potito, per Proceres proponebatur annuente Principe; sed, qui inualuerat de antecessoris obitu rumor, euanuit, ac ipse alio volens, ac lubens abductus est. Quæ Comitia illi Dictaturam adiudicauere, Canonicos etiam Regulares Congregationis clarissimę de Vuindesem in Belgio cætui coniunxere, in vnumq; corpus duæ nobilissimæ partes loco magis, quam spiritu seiunctæ coiere sub præscriptis vtrinque conditionibus, vt non in minimum eius nominis decus cedat exarari, Ioseph Viuolus Rauennas simul vnitorum Canonicorum Regualrium Lateranensium, & Vindesimensium Abbas Generalis Primus: atq; ita nos primum agi ad eius effigiem curauimus delineatam in nobili conclaui Abbatum Portuensium.

Scripsit igitur Commentarium De Padi Primariensis exsiccatione, & de adiacentium fluminum coalueatione; Ad Senatum Bononiensem. Bononiæ apud Benaccium Anno 1598. *Lib.* I.

Scripsit etiam Commentariorum in acta Apostolorum Libros tres, quos nos aliquando vidimus ipsomet ostensore Sanctæ Margaritæ in agro Ferrariensi Prioratum agente. Liber Primus continebat priora decem capita, Medius à decimo vsque ad vigesimum, Postremus erat circa reliqua octo capita. Aliquando prælo committendos confidimus. *Lib.* iij.

Hyacinthi Miserochæ Rauennatis.

QVI vixit celebris, sibi vixit Viuolus olim:
Non sibi, sed reliquis viuere cæpit ouans.
Ille regit sanctæ, sacræq; cohortis habenas:
Ponit fræna malis, præmia digna bonis.
Viuole viue diu felices Nestoris annos,
Dum tua per Cælum fama superstes erit.

lare fuit Numinis beneficium à spectris huiusmodi diuelli, eorumq; vanitatem dignoscere, priusquam virus præcordijs inhæreret. Proximum Veronense collegium in cliuo montis Donici Leonardo captiuorum aduocato beatissimo nuncupatum stationem tyrocinij dat, Apostolicum colobium Dionysius Capreta Abbas, qui & pia concione tum primum, & exemplo postea, voceq; quasi flabellis quibusdam igniculos in flammas sacri ardoris fouet, & educit per sex benè vigilatos menses. Excipit sacras vouentis pollicitationes post anni curriculum Bonifacius Veronensis Abbas; non tamen ab tyrocinio prius eximitur, quam Patauinæ scholæ auditor accedat. Vnis Theologiæ arcanis studiorum Reformatores adigunt iam satis de naturalibus philosophantem. Sed cum ibi hæc profiteretur Honoratus Robertus Iuuenatensis clari omninò vir talenti inter Peripateticos; non ineptè vtrisq; facultatibus operam lubens, volensq; posuit. Sacræ illi quidem ex animi plenitudine, tanquam sibi pernecessariæ; huic verò, velut refricaturus quæ in sæculo adolescentior percucurisset, &, ad alia intentus in nouitiatu, ab mente obliterasset; Gabriel Pennottus præceptor Angelici Thomæ scholam cæteris præferens horruit primo statim in limine genium formalizans cum Scoto, & subtiliora, quam solidiora deperiens. Sed is labente tempore (quæ fuit docentis modestia, & irradiato melior) descendit sensim in cherubicam doctrinam, & modum. Ea propter interdicta per summum Pontificem Paulum quintum ditione Veneta dilapsus Patauio, cum Theses de more ad doctoream promerendam publicæ impugnationi proposuit in magnificis ædibus Placentinis, solus Thomas in eis triumphauit Theologus, pro Philosophicis, Iurisq; Canonici assertis nulli addictus, prout ex Marco Antonio Ottellio Vitinense doctore didicerat. Antecessere hæc Sacerdotalem initiationem, qua licet non insignitus, conscribitur statim Physicalibus profitendis, in eodem Placentino gymnasio, & anno immediatè sequenti in Cremonensi Sancti Petri de Pado; Vna maiorum voluntas, cui reluctari nefas esset, interpretis Aristotelici fungi illum officio disponebat, cum ad alia se propensioribus stimulis vocari propalaret; successiuè tamen sub eodem ministerio laborauit Cęsenati, Ariminensi, Florentinoq; seminarijs. Ærumnosæ dehinc Prioratus sarcinę præcipitur submittere humerum; nouam scilicet cathechisim gubernationi pręacturus, cum id de illo Patres decernerent, quod è re communi esse rebantur. Per diuersa tamen ipse gradiebatur, qui tametsi animo suo imperaret pro impositis perficiendis, non propterea eximebatur, quin vim sensus aduersi pateretur asperam; atq; ideo exorabat, vt Dominus responderet pro se. Seraphino Verdellio ad Ordinis clauum assumpto Abbas ipse Cretanus in Monte-

ferrato dicitur per eadem Comitia Rauennatensia. Patriam non admodum fauorabilem (quæquę tandem esset causa) illi experiri contigit, atque ideò perpauca laborum suorum eidem impertiuit, & ærumnas illius, horrendam cladem, funestamq; deprædationem absens collachrymatus est. Congregationi opem tulit quà in Monialibus sacramentaliter auscultandis Ferrariæ, Nouarię, & alibi; quà in Parochi ministerijs exercendis Bononiæ præsertim, vbi penes numerosos, deuotosue Patritios plurimum floruit opinione virtutis haud quaquam ordinariæ. Nec immeritò quidem dum æquè lætus minora percucurrit officia, ac maioribus assuefset; & dum vbique messis dominicæ operarium egit paratum ad omnia. Id ita esse euicit, cum ab Generali Manetto Massa iussus curare operum Mathęi Bossi recussionem, vigilauit commissam Prouinciam animo illo, ac si proprios fætus incubaret, varia auctoris eximij hinc, atq; hinc diffusa opuscula in vnum compingendo ad decus, & lectionis illicium: argumenta addendo ad maiorem claritatem: loca sacrarum scripturarum adnotando, & si quæ erant, Calcographorum errata corrigendo. Nec tamen deerant fæcundę menti, quæ proprij martis perpoliret, aut in quibus laboraret et incude. Sed præpolet iure obedientia sacrificijs. Edidit

De Methodo Inuentiua rationem explicante non solum inueniendi, & propè in infinitum multiplicandi considerationes, & demonstratiua argumenta ad quodlibet scibile disputandum libros quatuor Ad Marcum Antonium Manettum Abbatem Generalem, Bononiæ 1625. apud Benatium. Lib. vj.

Item Manuscriptum Opus De Operibus Dæmonum In corpora: In Animam corpori iniunctam: in eandem secretam ab corpore: In Angelos: In se ipsos Dæmones ad inuicem, libros quinque propè diem cudendos. Lib. v.

FINIS.

LY



LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER DECIMVS.



LEO DE CARATE MEDIOLANENSIS.



QVIBVSNAM omninò te nominibus appellabo virorum non adhuc in Appotheosim relatorum innocentissime, Diuis, hominibusq; probate Leo de Carate, Mediolanensium sydus inclite, Lateranensium Canonicorum Antesignane, Imperatorue strenue? quibus, inquam, te nominibus appellabo, cui gloria omnis, tanquam filio veri, summiq; Regis fuit ab intus, cuius Sanctissimæ animæ laus omnis ab homine nascens obsorduit? Certè pro patribus tuis (si coronati psalmografi Vatis prædictionibus vti expedit) nati sunt tibi filij constituti principes super omnem Regularẽ terram, qui memores erunt nominis tui in omni generatione, & generationem, propterea; confitebuntur tibi in æternum, & in sęculum sęculi. Tu enim is ipse es, cui secundas ab Augustino, tertias ab Apo-

stolis

ſtolis partes debemus in Reformatione Canonica. Inuſitata nanq; atque ad mirabili virtute tua omnem vel abſolutæ facundiæ vim exuperãte, & excludente, prouinciam ingentem illam aggreſſus es Reformandi Status Canonici, à qua Benedictus ipſe Duodecimus Summus etſi Chriſti Vicarius, atq; Sanctiſſimus, ante annos ſexaginta decidiſſe viſus eſt. Propterea ſi tanti, tamq;illuſtres conatus tui ęqualium agminum ductorum collatione expendantur, illorum piįſſima facta cum numero tum varietate, atq; ipſo felicis exitus p ondere antecedent. A præalto ſiquidem diuini verbi ſemine in fęcundum tellus ardentis pectoris per Bartholomæi Columnei concionatoris ſuaſiones ſato, ingenita virtus tua excita pridem, tum roborata, tanto Pnęumatis Paracleti impetu coaleſcere cœpit, vt altitudine culminis ad ſidera ferri crederetur, dum eademmet præ humilitate ad ima ſeſe mergere in dies adijceret. Hunc mirificus ille præco Ticini inhabitantem reperijt, Canonicam iam Regularem vitam profeſſum, & in almo Diui Petri ad Cęlum Aureum Collegio Abbatis Vicario (quem Priorem dicunt) fungentem officio, atq; pridem Doctorea Decretorum, quæ eſt Iuris Pontificij Laurea publico eo in Gymnaſio redimitum. Reperijt verò eum generoſa, illuſtriaq; facinora meditantem, tanquam ſub alto iam pectore prementem, ac ruminantem lapſum Canonici ſui Ordinis deformem, Quomodo obſcuratum eſſet aurum (quaſi de illo profetaſſet Lamentator Hieremias) mutatus color optimus, diſperſi lapides ſanctuarij in capite omnium platearum: quomodo egreſſus eſſet à filia Sion omnis decor eius, facti eſſent principes eius velut arietes non inuenientes paſcua. Quare non arduum fuit in materia iam per ſe benè diſpoſita formam introducere mirificę ſuaſionis verbo illo petras conterrente, quo Italiam vniuerſam luſtrabat lucrator animarum almificus. Quis verò priuatis in cõgreſſibus illis ſatis meditari poteſt quæ quantaue duo feruentes ij zelatores contulerunt, ac diſſeruerunt? Agitabantur vtriq; Spiritu Dei, vtriq;anguſtijs comprimebantur dilapſorum, charitate inueniendi remedij dilatabantur. Vnus ipſe comprobator exitus mentes allicit, magnalia viros innoxios diſſeruiſſe, poſtquam Leo aggrediẽdę Reformationis eximium opus in ſe vno ſuſcepit apud Diuę Virginis de Frigdionaria veterem Canoniã propè Lacam ſitam, de qua, ac de paucis Canonicis eius, vtpotè ad quinq;numero redactis, ipſe Romanus Orator plura referebat opportuniſſima ſibi ex tranſitu illac innotuiſſe. Præmiſit autem tam grandibus auſis Thadæum Binaſchium item Cælaureũ Concanonicum, ſibiq;colligatore Deo prędilectũ, à ſe lucratum, atq; eadem ſentientem, qui & locum conſideraret, & rimaretur mentes operanti diſpoſitas Canonicorum illorum, dum ipſe Ticini, alia firmaret cũ Bartholomęo circa aliquos acceſſores viros illuſtres proinde lucratos. Porrò Thadęus ipſe is ſuoptè talento erat, qui omnem abſq; fucata probitate ſanctimoniam

moniā referret,& moribus viueret inculpatiſſimis ferreis illis diebus, iamq; ad latiora quæcunq;prolapſis. Poſt non multos dies ſocium fœcundam terram ſarculo rigidioris diſciplinę referentē ſecutus eſt Leo,facta vtriſq;prius migrandi facultate per communia Abbatis,& Canonicorum Cęli Aurei ſufragia,ritèq;ſuper eo publicis confectis tabulis. Inijt in ipſo acceſsu per vniformem aſsenſum, & Electionem inuitus loci Pręlationem, iecitq; decretę Reformationis fundamenta Diuino afflante Numine Anno primo quintidecimi ſęculi ad ſextum Nonas Februarij die ſolemni Purificationis Immaculatę Virginis, ſingulariter à Socio Thadęo adiutus, Nicolaoq; Albergato proximæ chartuſię præſide opus maximè fouente pręſentia, atq; fauoribus. Et hi quidem duo primi Reformatores extitere. Interea temporis Bartholomęus,qui ex condicto Ticini verbo Dei declamando, componendoq; reſſidua ex formiter pertractatis remanſerat,Benedicto Parcitadio nobili Ariminenſi Sacerdote ex familiaribus Angeli Corarij Patriarchę Conſtantinopolitani Latini comite Frigdionariā acceſſit, vna cum Fratre Iacobo Aduocato & ad ſextum Kal. Iunias anni ſequentis ex Leonis manibus Rochetum Ordinis teſſeram ſumpſit,declinataq;Pręlationis ſuper eum ſarcina,viciſſim illum ſocio Benedicto tradidit:neq; ita multo poſt idem egit cum Petro Rido Patritio Patauino Iurium Pontificij,Cęſareiq;Doctore,Galdino ex Comitibus Bardi Placentino,& Nicolao Curtio Papienſe viris nobilitate inſigni, conſpicuis à ſe pręd icationibus lucratis,& moribus,atq;propoſita vitę Leonis conditione ex aula inſubrū Reguli tum Ticini comorante attractis. Duodenario autem hocce numero conſtituto,in perfectamq;corporis ſtructuram Reformatione erecta;tanto ardore vitæ auſteriori,& rigidiori diſciplinæ adhæſerunt,continentia, paupertate, mirabiliq; ſolitudine conſpicui, vt priſcorum apoſtolicorum ſuppares viderentur, hinc Satana per famis,diræq; ægeſtatis crudeliores ærumnas acriter vrgente, & diuexante, hinc Deo per ſeruos ſuos Ieſuatas, perq; duodecim rutilantium ſyderum in modum Coronæ locum ambientium apparationem (quod latè eſt in chronicis) confortante ineffabiliter, vireſq; adaugente, & confirmante. Cæterum Leo rebus ita primæ eius famliæ conſtitutis, in ipſa ſpiritus pinguedine ſic excolendo interiori ſuo, & aliorum homini magiſter, & director ſpiritualis vitæ almificus ſic incubuit; vt ſingulàriter in eo delectari Numen, eiuſq; pectus inhabitare ex mirabilium patratione dignoſceretur. Annos triginta ſeptem poſt iacta huiuſmodi fundamenta vixit miris de Cælo conſolationibus confortatus in maxima temporalium rerum ærumna,& egeſtate,atq;barathro ipſo contrarium perugente. Quartum loci Præfecturam, quæ totius hinc inde repullulantis puſilli gregis præcipua erat,geſſit;partito ſcilicet miniſterio cū ſocijs id enixè deprę canti, licet egrè, permittentibus. Primus Abbatiam Inſularum Tremitanarum acceſsit quatuor tantummodo comitatus Con-

canonicis

canonicis, cum cedente Ioanne Dominico Florentino Cardinali Episcopo Ragusino Commendatario, Gregorioq; Duodecimo accessum præcipiente quilibet eo progredi exhorrescerent, latronum, pyratarumq; inursionibus frequentibusue de populationibus præsertim exteriti. Iuuit secessus, & solitudo medijs sita in vndis Adriatici maris sanctas viri contemplationes, perpetuaq; orationis, flagellorum, & ieiunij exercitia; vicissimue ab eodem adiuta, clarificataq; est non ipso solum odore fragrantissimo religiosissimę conuersationis, sed & ipsis etiam à Deo per eum præstitis mirabilibus de quo fortè constat in Annalibus. Anno primo post vigesimum ab Reformato Ordine Saluatorianam præposituram Brixiensem gesit tertius in serie Pręposítorum Reformatorum, & octennio post Visitatoratu functus est cum Paulo Maffeo, Galdino Bardio ad rerum apicem assidente. Ab illius desuper illustratæ prudentiæ promptuario semina legum illarum, & Sanctionum (Constitutiones appellamus) recognoscenda sunt, quas libris tribus digestas per publica Comitiorum suffragia receptas, & Apostolico præsidio munitas, paucis tantummodo ex temporum, & rerum opportunitate, & exigentia mutatis, nunc vsq; nos adhibemus successores, vtinam, sicut palij, sic & duplicis spiritus. In bonam demum progressus senectutem plenus meritis sancto fine quieuit Anno millesimo quadringentesimo trigesimo octauo Prior Sanctę Crucis propè Cesenam visa per diuinam benignitatem Ordinis dilatatione, quę sicut multiplicauit gentem, sic & magnificauit letitiam in Reformatione decem, & septem insignium Canoniarum Orosio de Oxio Mediolanensi generali Rectore Sextodecimo.

Constitutionum Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini Congregationis Saluatoris Lateranensis Libri tres postremum editi Romæ Anno 1628. *ex Typographia Vaticana*. *Lib.* iij.

LAV-

LAVRVS MARANIVS VICENTINVS.



DIVERSAM omninò vitæ viam à progenitorum suorum semitis ingreditur Laurus de Marano Vicentinus ex ephebis vix egressus, non absq; admiratione nostrorum,& amicorum, & non absq; consanguineorum aduerso conatu, aut propè vi. Quippe viri eius familiæ omnes ab eo vsq; sæculo, quo Actiolini de Romano plusquam Scithica sæuijt feritas in Vicentinos, Patauinos, finitissimasq; ciuitates, arma secuti, militiam feliciter tractauere, traductis scilicet, & deriuatis ingenita propensione, educatione, & exercitio à patribus in filios ab Antonio illis, & Carolo Maranijs, qui sub eodem Actiolino strenui militum ductores stipendia meruere magè, quam gratiam. Laurus vero hic noster, licet puer eadem vestigia terrere cogeretur, nec deessent mollioribus annis natura ferox, geniumue acre, & ferro aptum; tamen (alio mentem flectente, qui hominum versat corda, Deo) cum annorum penè quartam Olympiadem attigit, seruorum Dei, non sæcularium castrorum militiam agere sibi indixit primum quidem æternæ salutis desiderio,dehinc & obseruatione, quam parum post tot decursa sæcula, postq; exanthlatos tot labores rès domestica profecisset, serio vtiq; & male compensata à Regibus, & Principibus fortitudine, nobiliq; tam multorum maiorum suorum seruitio. Cum primum autem apparuit aggrediendi vitę instituti decretum, tumultu penates ruere, & communicato consilio adhuc absentibus familiæ viris, dissuasoriæ processere epistolæ,proscriptio comminata est, & proscisio consanguinitatis, affinitatis, agnationis, & amicitiæ. Sed qui iam secum volutabat certamina, & oppugnationibus colluctabatur intimis, & extimis, nihil deterritus est, in fidem recipiendus Numinis. Nocte intempesta aliquando Patauium properat,& ibi studiorum prætextu(& ipso quidem odioso, minus tamen impugnato)aliquot menses agit,donec firmatis omnibus initiatur Christo,& prima Tyronum candidatur Stola. Atq;hic quidem & conspicuus extitit viri ad Religionem accessus. Æquauere autem sequētia spiritus huiuscemodi primitias. Siquidem manuductus qua exemplo, qua monitis ad puritatem, innocentiam, deuotionem, primosq; virtutum gradus à directore feruido, & ad superna insigniter erecto; dediscens præterita quantum

Sss liceret,

liceret, reformatur melioribus cæptis. Et licet inhiaret ingenium ad excelsa studiorum adipiscenda, vtpotè illa in quibus splendor præluceret humanus, & per quæ leuigaretur, ac perpoliretur facilior semita honoribus, & nominis claritati; tamen igniculos ambitiosæ titillationis consopire, ac temperare maluit, euacuatis iam quę paruuuli essent, & mentis castigatæ dulcedinem pręferre philosophiæ, atq; doctrinę. Hinc iuuentutem totam intra cancellos humilioris exercitationis continens, ad studia quidem consurrexit, & coniunxit pro virili cum sanctitate doctrinam; sed illam tantummodo, quæ cum præsbiteratus vnctione sacrarum literarum lauream adipisci meruit, & potestatem populos prędicarione puriore erudiendi. Zelus domus Dei, & animarum salutis stabat vnus in oratore probo pro multis partibus, cuius ministerio non auribus prurire, & delitias in sermone dare, sed cordibus loqui, & solido cibo propinare. Multus orationi, & lectioni substituebat vigilias natiuæ tarditati in ijs præmandendis, quæ domestica facta memoriæ exibant ab ore sonoro, & à visceribus charitatis non fictę ignea, & in mödum fulguris corruscantis. Ideo qui infra conclassiarios plures per acquisita dona numerabatur, per infusas fortè gratias emicuit cum paucis, nõ absq; admiratione emensurantium more humano dicentis suppellectilem, Atestinos, Mortarienses, Cenetenses, Cornelianenses docet circa prima rudiméta Concionũ, deinceps vates fit maximi ieunij Venetis, Mantuanis, Vtinensibus, Forocornelianis, Mortariensibus, Comensibus, Rodiginis, a quibus ad Ragusæos vsq; commigrat. Augebatur senio approbatio illa ab auditoribus, quę in alijs elanguescit vt plurimum, siue quoniam illicium artis floridiori ætati tollerabile, minus deceat Canos, siue quoniam irretiret aspectus venerandæ ætatis ad promptius assentiendum in candida verba, in piasq; directiones. Operi apostolico incubuit ad annos vsq; vitę postremos in ipsa etiam præssura Pręfecturarum, quas licet aliquando studiosius admiserit, quod & ingenuè sibi crimini dedit; tamen pergustata illarum amaritudine, postea tollerauit potius collatas, quam obuiauit conferrendas, Taruisinam, Eugubinam, ac Vicentinam suam, semel atq; iterum Canonias moderatus est integritatis quidem cum opinione præclaras, sed quæ eadem monstraret in cognitione prouenruum, & expensarum, quam si non negligeret, saltem non possideret pro exigentia. Inter hæc qui iam experientia præceptrice obseruauerat in Congregatione duplicem gubernationis formam, & quæ ex eis germinarent siue commoda, & vtilitates siue incommoda, ac damna, scripsit de Perpetuitate Magistratuum, ac de Gubernio Triennali libros duos ad Seraphinum Merlinum Ordinis Generalem. Effulget in ijs inter plurima, quæ commemorat, sensus Auctoris in sententiam, quam egregius scriptor alius horum temporum in hæc verba eleganter expræssit. Triennis, vt plurimum potestas sit, nec prorogatione

gatione fascium spem illis facias plus nomina quam imperia esse mutata. Breuioris Magistratus non timebit Congregatio in tiranidem tolli, &, quamuis angusti temporis, honores cupidè commendabit ambilio. Tu quoq; in plures liberalitatem diuides, vacuis sæpè prouincijs, in quas alios pro meritis temporibus sufficies. Ita clarissimè indolis torrens ab erroribus Gubernij in iustum alueum coactus in consilia quidem non minus fortia, aut expeditiora rapietur, sed multò æquiora, & quæ in virtutem nullam pugnent. Ad decessum Adriani Cassonij consuetudo cuiusdam anterioritatis in eum propendere videbatur, quoniam ex assumptis ad fasces, ętate præibat, aut prædicationis merito cæteros nationis Concanonicos. Sed vegetum illud genium, & firma solidaq; ea ratio, quibus prælucebant Iustinianus atq; Paulus Emilius Saracenus in gubernando, & in negotijs pertractandis, ęquauere penes Electores Proceres iura; quin & aliquando iuniorem valdè Innocentium Serpam illum, qui postea Polæ Episcopus extitit, & Bartholomæum Morenum virum idiotam sibi prẹponi passus est. Eadem insuper æquanimitate tulit acrem Seraphini Verdellij Generalis increpationem publicè actam, qua virum senem, & sibi iuueni beneficium sugillauit nimiæ familiaritatis erga supremum magistratum, in eo ad hospitij & saluationis iura recipiendo. Decessit propè septuagenatius in patria.

Elucubrauit igitur Tractatum de Bona Gubernatione, seu quod præstet Canonico Ordini Lateranensis.

Prelaturarum, & Prælatorum continuationem, quam Perpetuitatem dicunt Triennali administrationi postponere Libris duobus Italicè scriptis Ad Seraphinum Merlinum Ordinis Generalem. *Lib.* ij



LVCAS CACCIA
NOVARIENSIS.





VSQVAM omninò gentium aut eueniſſe, aut euenturum fore crediderim, vt Lateranenſes noſtri, (qui tamen ſapiunt) vel proprio ore protulerint, vel alieno pronunciatum audierint Nouarienſis Ciuitatis nomen; quin ad amicam vocem lætabundi animum ad iam fortunatè tranſacta erexerint, ac non ſe illi deuinctos pronunciarint, dum hoc idem ab illa erga ſe expectare legitimè poſſunt. Siquidem dedit iſtis Vrbs clara duo fulgentiſſima lumina, totius Scholaſticæ Theologiæ anteſignanum Petrum Lombardum encomio æquiſſimo Magiſtrum Sententiarum, atq; Scholaſticæ Hiſtoriæ notiſſimum Auctorem Petrum Comeſtorem appellatos: iſti verò dulciſſimo lacte, ſolidiſſimoq; cibo bonitatis, diſciplinę, ac ſcientiæ illos enutriendo; originis iura, patrijq; amoris leges latiſſimo fænore compenſarunt. Hinc dum & nobis de Luca Caccia ſcripturis lętitia hęc intimius oboritur; agnoſcimus ſtimulos, & piè veneramur cauſam. Is nanque in eadem Ciuitate natus, vt præteritorum ſæculorum non intereuntem memoriam renouaret, noſtrorum ſe aſſociauit numero, iam adoleſcentiam quidem ætatis ingreſſus, ſed ingenio properanti virilitatem aſſecutus. Auguſtinum Cacciam genitorem habuit nobilitate inſignem, eruditione inſigniorem, illa pręſertim, quæ viris equeſtris ordinis, ac Patritij glorias cumulare ſolet, & ornamenta, atq; propterea communiore vſu quodam frequentius adiſcitur, reiectis ad ſolitarios ſolidioribus doctrinis, atq; ſubtilioribus diſputationibus. Ea propter paterno animatus exemplo poſteriores pubertatis annos in eiſdem diſciplinis aſſequendis abſumpſit inſtructore Ioanne Mario Cataneo conciue viro de latinis, græciſq; literis maximè merito, vtpotè ex priore ſchola Demetrij Calchondilis, & Georgij Merulę egreſſo. Talibus ornamentis intimè indutus erat, cum extimè linum noſtrum induit, vt pacto viciſſim duorum fędere firmius inſurgeret in vitia, & praxi probitatis aboleret in ſe ipſo prius, quod poſtmodum in alijs eloquentia erat condemnaturus. Attigit gubernationem Reipublicæ vna cum creſcentibus annis, & multiplicante fama, quod Proceres ex priore decennio contubernij coniectarint abundè, quid

de in-

de industria eius sperandum veniret in contrectandis administrationibus, & in præfecturis ex Ordine gerendis. Præcedebat feruore disciplinæ antiquiores, ac præibat in se ipso omnem perfectionis ideam despectiore habitu erectissimas virtutes magè exornans, quam occludens. Vt verò impotentius à populis semper suspiciuntur, & venerabiliora putantur, quæ ex Oratore verè catholico, atque dudum sæculi nobilitate, opibus, ac affinitatum potentia conspicuo audiri consueuerunt; ita quoq: plausibilibus vocibus, & obuijs animis, ac inde ad omnem emendationis emotionem paratis excipiebatur. Hinc licet ebulirent vndique bella, præsertim apud Insubres, ac maximè in Ciuitate Nouariensi nunc Gallorum, nunc Cęsarianorum præualentibus armis; voces tamen eius e suggestu clamantis obaudiebantur, & erat ille tanquam maleus conterens petras. In promptu essent exempla rerum per eloquentiam eius præclarè gestarum, pręsertim Mediolani apud Franciscum Secundum Sfortiam Principem; sed alijs latiora prosequentibus resseruentor. Dum se per humilitatem abijciebat interius ex animo, dumq; extollebat illum virtus diligentiore sedulitate; Lancianum à Comitijs Generalibus transmittitur Abbas ordinatus illius Canonicę, vt nouo Monasterio, nouæq; Ecclesię Sanctæ Marię Nouę in ea Ciuitate inchoatis, ex Castroue Frisę penitus diruto comportatis pręesset assueto spiritu, & curaret perfectionem vtranq; quam enixè. Quę ibidem pręstitit antecesserunt, excesseruntq; omnem expectationem, dum intra nouennium benè ordinatę fabricæ machina ad coronidem ex eius iconographia, principijs, paratisue materiebus perducta est. Adijt insuper opulentam hereditatem Domini Riccij Equitis aurati, cuius altera pars erat Castrum Fossa Cieca nuncupatum, eiusq; possessionem obtinuit vna cum pręstito sibi fidelitatis iuramento à subditis in Ecclesia Diuo Donato dicata. Ita per suos gradus ascendebat eo culminis, à quo per egregiam animi despectionem se deijciebat assiduè. Licet enim pręedicationis munus nunquam intermiserit maioris ieiunij tempore, in quo perfecti animarum lucri molimina reponebat; tamen se tantis occupationibus distrahi, conteriq; potissimum à scribendo ingenuè fatebatur. Prouinciam assumpserat maximis quibusq; humeris formidandam, Heroico videlicet carmine vtranq; Veteris, ac Noui Testamenti paginam decantandi quadraginta libris compræhensam: quo in munere explendo, dum se totum audere in solitudine molitur, ad actuosam semper vitam euocatur, vt melior experiretur in semetipso obedientia esse quam victimæ. Atque hoc illud est Volumen, de quo Bonauentura de Oliuis Minoritanus de Obseruantia in sua parentali Venetijs edita pro Iacobo Antonio de Brusatis Patritio, ac Iure consulto Nouariense testatur, Lucam morte præripiente typis prodere nequiuisse. In arduo, maximèq; difficili negotio mirum est attigisse tanta, & aliquando portum

con-

conſpexiſse, & ſi litora reluctantibus obitus ventis non poſsederit. Quartum Viſitatoris munus obiuit, vt omnem Congregationem cenſorio iure inexorabilis, & morum antiquitatis tenax ſæpius luſtraret intra duodecim annorum ſpacium, ab anno ſcilicet eius ſęculi vigeſimo octauo vſque ad quadrageſimum. Quo tempore vidit acceſsionem trium Monaſteriorum Ordini factam, nec minima pars extitit in ea curanda, vt dominus multiplicando gentem magnificaret, & lętitiam. Non dubijs greſsibus properabat ad ſupremam Pręfecturam, cuius ornamenta iam pridem ęquarat merito, ſi non exceſserat, vel & vna omnium communi voce in ea Synodo, in qua Ioannes Franciſcus Gaddius Mediolanenſis Generalis primum renunciatus eſt. Verum aliud deſuper dari ex arcanis infallibilis prouidentia contigit. Nam plenus dierum, bonorumq; operum diues, relicta fragili ęternam vitam metijt. Reliquit igitur manuſcripta ſui ingenij monumenta

De Rebus Veteris, Nouæq; Legis carmine heroico decantatis Libros Quadraginta. Lib. XL.



LVCAS PILIZZARIVS PLACENTINVS.





ERTIVS Annus ante millesimum sexcentesimum renunciauit Generalem Lateranensiũ agmini Theodosium ex Comitibus Rouescalæ Papiensem in coacto Rauennatensi Capitulo. Is verò per eadem Comitia redimiuit Prædicatorea rude ex vniuerso cætu Canonicos quadraginta quatuor ab potioribus Ordinis vniuersitatibus electos, vt scilicet in multa messe populorum Domini ad horrea semper dealbescente operarios iugiter decumbentibus submitteret pro modulo Congregationis, & conferret in sacrum gazofilacium obolos suos. Præ cæteris autem effulsere in partium eis creditarum executione Gabriel Pennottus Nouariensis, Petrus Nicolaus Lucensis, Constantinus Phaseolus Laudensis; Seraphinus Verdellus Cremensis, Michael Angelus Malchiodus, & Lucas Pilizzarius Placentini. Postremus iste ante annos nouem admissus ad penetralia Canonica æquauerat coætaneos morum suauitate, vitæ probitate, & disciplinę regularis obseruanta. Sed in ijs,quæ ad scientias attinebant, segnior præ multis habebatur; parcè enim, sobrièq; labor improbus, & vigilia longior respondebat profitenti, siue ob naturæ hebetioris vim terream, siue ob animi diuisionem in varia obiecta. Literaria enim curiositas, nisi intra terminos alicuius particularis scientiæ coarctetur circumspectè, exundat in torrentis modum quidem, sed præterfluit nullo, vel leui aquarum, fructus scilicet, signo superstite. Iuuit tamen Rempublicam iuxta intellectualis suæ facultatis modum non oscitanter. Quippe qui œconomica aliquando tractare incipiens omni sedulitate operarius frugifer Canonijs euasit: eò præsertim quoniam ministerio suaptè natura distractiuo, & officioso actuosę vitę fluxui sic inhæsit; vt neutiquam deuotioni, culturæq; spiritus interioris præiudicium aliquod inferri pateretur. Quo fiebat, vt tremendo sacrificio quotidianus, matutinusq; accederet sacrificator, & ijs concessionibus abatenunciaret, quæ ab Prelatorum humanitate, atque tollerantia œconomis impertiri solent, tanquam ijs, qui portare pondus diei videntur, & æstus, tam in choro frequentius adeundo, quam in alijs pluribus obseruantiæ Canonicæ institutis. Ea propter æmulatione quapiam exquirebatur anxiè in distributione familiarum à Cano-

niarum

niarum præfectis, quorum ijs solis posuit operam, apud quos per imperium destinaretur, nihil ipse postulans, vel propensionis quidpiam apponens. Sed cum per huiusmodi officij curas se totum penitus abigi cerneret ab prędicationis officio præstando; cordatè petere cæpit absolui, vt inter minores anfractus solius verbi solaretur spiritum iam iam pręfocatum. Annos quatuor incubuit in hęc postulata, antequam exaudiri obtinuerit, ęgrè permittentibus Prælatis de tanti administri manibus res labi suas. In vtriusque partis satisfactionem datus est Tremitano Monasterio Prior Sanctæ Mariæ in Valle apud Istonium, quod Vastum Amonis appellant in Fretanis. Huiusmodi nanque secessu dabatur illi frui concupita diù quiete, prędicationi vacare, ac ministerio iuuandę plebis: neque interim cessabat penitus ab temporalium bonorum procuratione, dum in loci profectum laborare adhuç cogeretur, qui vt amenitate situs benè audiebat apud Canonicos in Congregatione, ita ab prouentuum responsione declinauerat non modicè. Sterilitati scopulorum Diomedeorum leuandæ plurimum contulit quamdiù eam regionem incoluit. Ab comeatu enim suppeditando nullam penè hebdomadam inanem pręteriuit, quippe qui ex animo compateretur religiosę Iuuentuti, cęterisq; Patribus Nitriam illam incolentibus, apud quos nihil propè nasceretur necessariorum vitæ, pręsertim verò fructuum, & inferioris annonę. Præstabat verò id prę cæteris antecessoribus tanto promptius, quanto securius penu omnis generis ad eum cumulabatur, non tam ex Prioratus benè curati introitibus assuetis, quam ex incolarum, & finitimorum liberalitate, qui ad eum tanquam ad animarum patrem, curatoremq; comportabant nunc primitias, nunc portiones omnium terrę frugum. Profectò vna erat mens eius in id potissimum fixa, quo pacto gentem illam in exactionem pietatis, religionisque cultum dirigere posset. Hinc industriæ spectabiles omnis generis aggressæ. Villas, pagos, castra, oppida excurrebat inuitatus in solemitatibus insignioribus locorum Quadragesimas, Aduentus nullos à concione habenda dimittebat inanes, popularis sermone, sed feruens spiritu, purus doctrina, puriorq; moribus. Aures dabat pœnitentibus, robur decedentibus, solamen afflictis, caduceator rixantibus, catechista pueris. Vnus partes plurimorum obibat, vnum auscultabant tanquam de raro habitum, vniq; morem gerebant tanquam auctoritatem habenti. Quare vt contigit ab præcipiente Generali reuocari post aliquot annos, dolore, mæstitiaque perculsi sunt profundiore: eò præsertim quod nulla spes ab eo afforet vltra eius ministerio fruendi. Meliores ex parochis, & ex opulentioribus prosecuti sunt abeuntem ad Truentum vsque & vbi quæ obuiantem plebem, benèq; illi præcantem inuenit. Vt se aliquando recepit in patriam, ad Diuum Petrum Casæ Dei curatus adscribitur, in quod

munus


munus (licet iam senium persentiens, eiusq; incommoda alacrius est ingressus, quoniam adiunctam gereret aliqualem solitudinem spiritui, studioq; peraccomodam. Ibi post assueta ministeria prestita in expolliendis, expurgandisq; gregis sui animabus; totum se contulit ad Sanctorum vitas de integro peruolutandas. Ex aliquo incolatu pridem apud Bergomates habito Firmum Sanctissimum martyrem patronum asciuerat, & ex populorum deuotione propriam sensim deducens, ac fouens, ad compensandos igne latiore igniculos intra fibras alitos, vitam eiusdem gloriosissimi Herois scribit, euulgatque, & lato adhuc fœnore persoluto per nactam occasionem simpliciter ad aures plebis, sed solidè edisserit de Sanctarum Reliquiarum translationibus, de Inuocatione, Intercessioneq; eorum, alijsq; similibus. Demum Epidimia Insubriam vniuersam, aliasq; regiones conterminas depopulante, dum totus alienæ saluti operatur pro posse, nec partes suas prodit infractus contra morbum, vel morbi timorem, fato fungitur vix sexagenario minor Anno Domini 1631. Edidit Italicè,

De Vita, & Actis Sancti Firmi Martyris Bergomensis Tractatus tres Ad Serenissimam Margaritam Aldobrandinam Farnesiam Parmæ Ducissam. Placentiæ apud Iacobum Ardizzonum Anno 1629. *Lib.* iij.



LVDOVI^vs FLORAVANTES BONONIENSIS.





VANGELII Strenuum Præconem Ludouicum Florauantem Bononiensem initiauit Canonicatui Archangelus Rossius, dum septimum Montanam Virginis Euangelistæ Canoniam moderaretur. Atq; ritè factum est, vt prudentissimus senex athletam postremum illum adiungeret cætui, cui Paulum imitatus diceret, Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina: vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ ministerium tuum imple, sobrius esto; ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Quippe anno sequenti octuagesimo quarto superioris sęculi plenus dierum, & boni certaminis religiosus Antistes, qui supremis Ordinis infulis bis caput redimi obtinuerat, in Victorino secessu obdormiuit in Domino, translato ad Montanos cadauere. Interea Florauantes bonam militiam inter tyrones exercebat, vt aliquando emergens ab eis, firmato per religiosum exercitium animo, & corpore, clariora stipendia duceret. Idoneam, paratamq; ad omnia mentem sub conuenienti membrorum structura, & laborum capaci viuidus adolescens habebat, ab quibus solertissimus ille Rossius, & in dignoscendis intimis affectionibus ab exteriori temperamento coniector haud ineptus erexerat Patres in spem feracis Autumni, quando Ver tam floridum appareret. Feliciter autem cum eo actum accidit, vt in ea inciderit tempora, in quibus inter profitentes gymnasiorum Ordinis Florianum Nanium conciuem inuenerit. Ab hoc enim vno per semitas veræ virtutis specialiter manuductus non in incertum pugnauit, neque aerem verberans ire perexit. Ab naturalium stadio in diuinarum scientiarum semitam ingreditur tanto duce, cuius pars minima erat, quod ex cathedra profitebatur; tum quia moribus, & vita exprimebat per sanctam praxim quod speculatum ab ingenio, & ab ore promebat, tum quia priuatis sessionibus ita patebat cuique, vt omnis horę interpres meritò iure dici posset. Laureatur eodem promorore, & per proximas cinerales inedias epulum dat sacri verbi nouus administrator fidelium plebi apud Foroiulios. Enituit autem per omne fermè vitę curriculum in hoc opere pręstando siue obsecundans genio, siue ab genio ipso obsecundatus. Et

quamuis

quamuis non primas omninò laudes attigerit, eflorescentibus alijs, atque alijs tum nostri, tum diuersorum Ordinum ad supremos suggestus; secundarum tamen sedium iura tenebat. Quin aliquando talem egit Oratorem, vt & primis adnumeraretur. Ita profectò euenit cum Euangelium Siculis exposuit. Nam Auria Cardinalis Panormitanorum Archiepiscopus operam eius probauit adeo, vt concionum nullam sibi deperdi non modo siuerit; sed & de Canonia in ea Ciuitate fundanda auctorem Ludouicum expresserit, & abeuntem literis hoc de negotio efficacibus cumularit ad Iacobum Serram Cardinalem, ac Protectorem, nec non & ad alios. Et licet res exitum non maturarit; vtiq; nostris ita libuisse notum est, qui ad rationum trutinam reuocantes vniuersa, non nisi latè præmatura admittunt, & dum præualent consultatione, executione serius agunt. In eo munere socium habuit Hippolitum Cacciam Nouatiensem Sacerdotem probitatis, & humanitatis per quam gratæ, nec non & Leonardum Bononiensem Conuersum virum industrium. Commendante Auria Principe Panormum eius supposuit concionibus Archipræsul Cardinalis: & ille commendationis rationes ex quadragesima in summo Genuensi Templo ab eo audita elicuit, secundum quam vt apud Louaniam primum sibi Ecclesiastem agere, deinde, vt & fratrem adiret, curauit, fermè Ludouico ipso inscio. Ariminensibus quoque in Principe Ecclesia, & Mantuanis ex Diuo Andrea summè probatus est; licet in posteriore suggestu æmulam virtutem profiteretur de Cathedrali ex Minoritanorum seueriore dogmate alius quidam percelebris, quo cum & iter ei agere contigit ignoto ignotus, & lepide tractans sub familiari colloquio. Præ cæteris comprobatores virtutis admiratæ, & excultæ habuit Spoletanos. Cum enim discessionem iam meditaretur, & pararet acta Quadragesima inter innumeram confluentium Coronam non Ciuium modo, sed & finitimorum quoq; populorum amplæ, nobilisq; vallis, coacto Senatu per vniformia suffragia illum ciuitatis iure donant, & nihil omninò tale cogitantem aptissimis verbis decorant; comitanturque. Atq; hinc postea factū est filis varijs telam texentibus, vt facilio re negotio ad Diui Martyris Ansani Canoniam moderandam vna cum annexis Diuæ Virginis de Stella, & Apostoli Matthæi, ac Iuliani, cæterarumue fuerit die succedente assumptus. Verum non æquè tractauit præfecturam, atq; concionem; siue quoniam non omnia possumus omnes, siue quoniam distracta in partes varias mente non singulis respondet de integro, dum contemplationi incumbentem deserit actiua, aut versa vice. Cucurrit tamen fulcimentis non leuibus obtentis et hoc gubernationis stadium per annos supra quindecim Abbas Ponticulanus, et Montanus, Archipresbiter Bellianus, Priorq; Victorinus, sed ambigua sub commendatione prudentię, et dexteritatis pręsertim apud suos. Insimulabatur quidem ali-

quando bomolochię, seu getotopię, quarum vsus profectò procul absto ab talem vitam professis. Sed non vtique de virtutibus ac vitijs ęquè sentiunt, ac disserunt omnes: probant enim plerique in familiaribus colloquijs expeditam, lepdamq; linguam, seriosis hominibus ad antra ablegatis, adq; anachoresim. Placuit ipse principibus viris quę non minima, vt aiunt, laus est, Alexandro Ludouisio, Maphæoue Barberino, ijs, quos postmodum adorauimus diuinos homines, ac Christi Vicarios, Gregorium, & Vrbanum. Priorem illum coluit in Belliano secessu apud se diuersantem Archiepiscopum Bononiensem cum Ludouico nepote conualescente, posteriorem hunc Legatum eiusdem Ciuitatis Spoletanum Antistitem. Hinc & post obitum ab postremo hoc Sanctissimo pro summa benignitate commendari meruit, cum prouolutis ad beatos pedes patribus septendecim sub Iosepho Viuolo Generali, actorumq; rationem reddentibus, et ab celebrata Romana Dieta profecturis in suas prouincias bene pręcaretur. Vtcunque. Præluxere in Ludouico naturæ beneuolentis dona super quodlibet artis talentum, et in eis potuit populis esse vsui, ore sonoro, pectore lato, obfirmatis ilijs, aspectu conspicuo, pronunciatione clara: et qui extra pulpitum ab crassiore Bononiensi allocutione natiua non abstinebat, in concione e melioris Tusciæ sinu ortus rerebatur. Varium etiam ingenium aliquam picturæ operam non inutiliter nauauit, cuius exercitatione grauiora studia falleret per importunas horas. Ad idem Poeseos Italicè barbiton pulsauit, varioq; lusit carmine, ob cuius superstitem memoriam in eum refricare possumus, quod pridem Codrus de Ludouico Bononiense alio iure panxit.

Carmina, quæ scribis gracili Ludouice Thalia,
Certè sunt prima candidiora niue.

Circa senium podagra, chiragraq; adeo laborauit, vt non nisi alieno ministerio incederet. Nec se tamen penitus abdicauit à prædicationis ministerio; quin sub sancti muneris sarcina piè occubuit. Cum enim apud Centenses quadragesimam ab sugestu ageret, in morbum incidit postremum, à quo prægrauatus Canoniæ Victorinæ, cuius gerebat Prioratum, restitui voluit, ibiq; post paucos dies decimo kal. Aprilis superioris anni vigesimi sexti viam vniuersæ Carnis ingreditur, & ad Montanam Ecclesiam tumulatur.

Scripsit

In Diuinam Psalmorum Conclusionem Gloria Patri ad Vrbanum Octauum Pontificem Maximum Librum vnum Latinè. Interamniæ apud Thomam Guerrerium Anno 1624. *Lib.* 1.

LV-

LVDOVICVS MAZENTA MEDIOLANENSIS.



IAM verò Ludouico de Mazentis mentis aciem, calamiq; flexum dirigamus eò propensius, quò æquius, ne e suo quisquam loco expunctus posteritati remaneat. Is adolescens ingenuus, nobiliq; loco regia Insubrum Vrbe Mediolano natus post excessum e grammaticis ingressum in Lateranensem Cętum habet paratissimum ab parentum claritate, ab animi, corporisq; dispositione, & ab summo, quo vtebatur ardore in eo enixè postulando. Fortè subijciebat puros ignes illos sancta quępiam æmulatio Ambrosij fratris natu aliquanto grandioris, qui per ea tempora ad Regulares Clericos, quos Barnabitas dicunt, e sęculi illecebris non ita pridem aufugerat eius instituti præclarissimi auriga Deo dante aliquando futurus. Marsilius Sorosina Sanctæ Mariæ Passionis Abbas in parentis locum incipientium, proficienti dehinc, & successiuè fuit, donec sapientiam inter perfectos eum loqui contigit. Id porò Ludouicus ipse testatum voluit in grati animi tesseram eidem nuncupans infra reddenda Hyeroglifica. Tu mihi, inquit, Pater: per te enim à sæculi illecebris ad præstantissimorum religiosorum cætum mihi patuit aditus: tu ipse Canonicali me habitu redimisti, vnde & nouum esse meum eò clarius, quò spiritualius tibi debere fateor. Profectibus insuper attulisti suppetias, & nunc tandem consumationem confers, quà partum hunc etiam si abortiuũ emittere valeam. Nodis Philosophorum, Theologorumq; placitis extricandis insudantem habuere præcipua Instituti gymnasia Rauennatense, ac Placentinum sub præcipuis elucidatioribus Valeriano Zampetrio, & Bartholomęo Garzonio. Ascanij Martinengi Bononiensis Dieta laboranti indulsit lauream de anno quinto ante exactum proximè sæcularem, consortibus Lauro Girello Brixiense, & Ludouico Pompilio Rauennate. Haud multus fuit in habendis populo concionibus, ne diem suam oneri illi locaret infecundè, ad cuius laboriosa viribus non abundaret. Gracilis artuum structura, vocis exilitas, pectoris languor suoprè genio sunt dicenti parum æqua, nec assurgit ad fecunditatem Orator, in quem natura, arsq; minus fœderantur liberaliter. Vix triennem Aduentum posuit in ipso flore iuuentę Nouocomio, Mediolano, atq; Nouarię, vt saltem quadrantem egestatis

suæ

suę in Domini gazofilacium contulisse pia mens iuge conuiuium lętaretur. Opportunè factum ad exerenda studia in actuosę ministerijs per assuetos gradus Patres Canonijs moderandis sępius adlegere quà Casoretanę Abbatię, quà Pręposituręi Brinatensi, quà Cassiaco Prioratui. Industrius, solersq; Canonici Speculi zelator in se vno exprimens quę subditis ingeminabat hortatione, ac monitis, per spiritus semitas ad temporalium bonorum prouenta feliciter procedebat: quo in ministerio post Gabrielem Cittadinum, Celsumq; Dugnanum partes primas, primasq; laudes inter Mediolanenses administros iure obtinuit. Ab operibus disciplinę fesso leuamen manus ministrabant opificij cuiusuis excellentioris absolutrices. Sacrificia, orationes hinc chori, hinc recessuum multam nutriebant horam, cęteram vel diem, vel noctem fallebant collineatio, opusq; tessellatum in primis; cibus, somnusue erant infra modicum. Artium illarum suffragio, vel geograficas tabulas, vel sacra vascula, thecasq; ad pietatem inter amicos fouendam dono danda operabatur. Studia grauiora quinquagenarius seposuit, vtinam, & ocijus: quippe illa capitis distillatio, quæ rheumati illum subiecit, vt longiùs exercuit sub aduersa valetudine infractum pectus, ita quoq; citius traxit ad funera. Extat tam piæ occupationis excellens opus magna illa Sacratissimæ Eucharistię custodia, quam tabernaculum dicũt, super Ara maioris Basilicę Virginis Theotocos de Passione collocata, in qua adeo simul pugnant Inuentio, Delineatio, Compositio, Materiæq; pretium, vt vno intuitu nescias quid tibi excellentius præscribere,& primas tamen necessariò concludas artifici. Aurum, æs, argentum, vniones, gemmas,calybem, chrystallum, ebur,abiegna, cedrina,porphiritem, cæterosq; lapides nobiliores adeo commiscuit manus proba, ingeniumue ferax; vt pretij maioris quid eo in genere assurgere quidem Regum opibus posst; venustatis autem, & elegantiæ vix, ac ne vix quidem. Solus omninò absq; omnium fabrili adminiculo absoluit grandem prouinciam. Atq; hoc sanè modo Dei amor, Patrięq; Cęlestis desiderium ex otio inuito negotium voluntarium faciunt, & ab ægro bene valere venantur. Interea ad stadij sui metam signandam se vocari prænoscens miris patientiæ documentis posteriores semitas exornat. Deffixus in Seruatoris Dei Passione meditanda, quam vnicum dolorum leuamen experiebatur,præcipua illius mysteria Elogijs mirabilibus celebrauit, ijs inquam, quæ & pario in lapide literis aureis insculpta ad singula parastata Tholi maximi pręlaudatę Basilicæ sub respondentibus non ignobilis penicilli iconibus opponi curauit, & typis etiam euulgari ad iuuandam exterrorum animi deuotionem voluit. Scripsit ergo

Super præcipua mysteria Passionis Domini N. I. C. Elogia elegantissima, & deuotissima. Mediolani apud Io. Baptistam Malatestam Anno 1628.

De Decem Hieroglificis. Mediolani apud Pacificum Pontium Anno 1594.

LV-

LVDOVICVS MAIORANVS GRAVINAS.





SQVE adeo floruit in Ludouico Maiorano Grauinate veræ virtutis præsidium, viguit vsq; adeo fortuna comes, vt non modo intra priuatos nostrę Reipublicæ lares; sed & apud exteros quoq; Magni Patris nomen aquisierit, dum & domesticæ dignitates, & extraneæ in eo exornando conspiraſſe quodammodo videbantur. Omnibus naturæ liberaliſſimę dotibus cumulato dies ipsi decorem vniuscuiusq; ætatis superinduxerunt, dum prætereræ infantiæ oris venuſtatem præcipuam afferens ex parentis vtero illam adauxit adoleſcentia, locupletauit virilitate, & coronauit ſenio, ita vt ipſa forma valdè conſpicuus, & nunquam expers vrbani moris ab erudita facundia inter togatos admirabilis appareret. Nec concidebant conſpicuæ dotes, ſi quando militaria tractantibus ęqueſtris ordinis, & pręcipuorum Aulæ Procerum opplendæ aures eſſent vel ex contingentibus negotijs, vel ex conuerſationis themate; ſed quaſi nouacula ad cotem creticam exacuata minutiſſimos ipſos affectuum pilos abradebant. Erat ab infantia in ipſo Regio Neapolitano Gymnaſio omnibus instructus adminiculis artium, quæ humaniores dicuntur, ſiue concinendo carmini, ſiue ſolutę orationi illius induſtriam alligaſſet occaſio. Quæ res, vt interiore afflatu Numinis ad Canonicam normam animatus fuit, ſtatim fores ingreſſuum aperuerunt. Quippè nec occludi poterant nobiliter nato, ſplendore iuuentę, ac magis animi conſpicuo, quæ alijs inferioris ordinis reſſerantur: cui ue ianuæ dignitatum ſęcularium, ac in primis prætorianarum proſtabant ſpontaneę, & inuitabant ad acceſſum. Inſueta verò huiuſmodi noſtrorum hominum in eo acceptando liberalitas ritè compenſata fuit liberaliore exitu omnigenæ eruditionis, & omnifarię probitatis. Eruditionem probauit Congregatio, non tam in eo redimendo Patauij doctoreis inſignibus, quam in cumulandis proprijs gymnaſijs auditorum, etiam extraneorum, cumulo, & in adaugenda iuniorum proficientium generoſa ſcientiarum ſuppellectile. Cum è pulpitis verbum Dei enunciare cæpit, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, aſt in feruore ſpiritus animarum lucra perurgebat, & cui non deerant artes, artes ipſe fugiebant, vt eò firmior cenſeretur, quo imprę meditatior, & compoſitione incompoſitior.

positior. Verum nil incompositum ex compositissima anima, cuius mores omnem redolerent sanctimoniam, cuius verba omnem repræsentarent scientiam. Hinc cum Pius Quartus Mediceus Sanctissimus Pontifex, & verè fœlicis recordationis perurgeret longè necessariam Ecclesiæ Dei Tridentini Conuentus prosecutionem, & absolutionem, iuberetq; vt ex Ordine Lateranensi aliqui insigniores Theologi eo accederent, ad discutiendas videlicet consultiuo suffragio materias; Ludouicus vnus ex ijs compluribus fuit, super quos mens esset, & oculi Procerum nostrorum ad tantum munus obeundum. Nil verò arctius obstitit eius missioni, quam prior electio facta iam sub Paulo Tertio. Consultius enim visum est Patribus stare in iam decretis, atq; prouisis; vt tres illi eo proficiscerentur, qui pridem in anteactis sessionibus locum habuerant, Riccardus Vercellensis Abbas Sanctæ Mariæ de Præuallo, Sixtus de Rhenis Cremonensis Abbas Sancti Bartholomęi de Pistorio, & Paulus Pelatius de Laude Pompeia. Isthęc tamen, vt cunque considerabilia, minus obstitissent; ni propensissimi Pontificis infirmitas frena imposuisset ardori. Propensissimi, inquam, Pontificis, qui Marco Antonio Bagarotto Generali Rectori refferenti tres prædictos destinatos ad Oecumenicam Synodum, ordinarat, vt e florenti sodalitio multò plures mitterentur, quos ipse Abbatiali præeminentia honestasset assignatis per Generalem locis in eiusmodi titulum erigendis, ne præiudicium inferreretur vertenti liti cum Monacis de Primatu, quod Rector ipse obijciebat. Quod si alij numerum illum adaugere debebant; alter omni remota dubitatione Maioranus erat. Ipse interim absens quidem corpore, præsens verò spiritu, nactus satis opportunum (quod ipse dicit) studijs suis recessum; quatuor eiusdem Tridentinæ Synodi quasi capita summatim commentatus est, & in vnum perpetua quadam dicendi ratione redegit. Hæc autem illud sunt Opusculum, quod sub Orationis nomine De optimo Reipublicæ statu ad Oecumenicos illos Patres transmisit sub Herculis Gonzagæ Cardinalis Legati nuncupatoria. Vt verò dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, ad Gallicanos fluctus oculos mentis conuertens, quibus tum temporis Petri Nauicula impetebatur, qui certè maximi erant, & imminere communi exitio videbantur; illis iam tumentibus, aliquam vigiliarum propriarum tabellam, ne sacra pupis inimico imbre operiretur, obiecit. Composuit propterea Opus illud De vero Dei cultu, quod sub titulo notissimo Clypei Militantis Ecclesiæ inscripsit, & dicauit Gregorio Tertiodecimo Summo Pontifici, Henrico Tertio Gallorum Regi, atq; Antonio Perenotto Granuellano Neapolitano Proregi Cardinali. De Operis autem præstantia nil potius dicere expedit, quam pauca libare. Certè supra vniuersalem approbationem maximè contulit ad finem, ad quem directum erat, dum sub candore latinissimæ locutionis

transal-

transalpinis illis ingenij probatissimo Paternarum traditionum prestantiam, & Apostolicæ Sedis diuinam auctoritatem probauit omninò, atq; conuicit. Nec facilè quispiam sibi suadere potest quanta, aut quali & diuinorum, & humanorum testimoniorum vi id ab eo sit effectum; nisi paratissimo animo ad eum ipsum legendum iudex scientissimus accedat. Vir enim omnis Historiæ tam Ecclesiasticæ, quam profanæ, omnisq; Theologiæ Positiuæ Patrum, Scholasticæ Gymnastarum, Patheticæ Contemplatiuorum, Catheticæ Mysticæ, aliosue generum peritissimus; ita cumulauit, & locupletauit puncta; vt sub mirabili breuitate omnia conuincat, & obuia animis etiam dura obstinatione firmatis faciat. Attingebat interea Ordinis gubernationem, vt actiuæ etiam vitæ operibus propriæ Reipublicæ conferret commoda ex ciuili quidem, at maximè religiosa prudentia. Abbatialem Canoniam Diui Petri ad Aram semel, atq; iterum moderatus est, item ad Prioratum Diuæ Virginis Pedicriptensis, atq; Paretanæ apud Nolam, quibus quasi gradibus euectus est ad lustrandæ totius Congregationis munus, quod Visitatoratus dignitatem dicunt, in Comitijs Generalibus Rauennatibus anni septuagesimi quinti anteacti sæculi Theodosio Burla Placentino Generali Rectore. Eandem insuper dignitatem iterato subijt quadriennio post sub maiore præfectura Cypriani Pontecaralis Brixiensis, totius Ordinis habenas moderaturus expectatissimè, nisi paulo post per Summum Hierarcham ad Ecclesiam Ciuitatis Castellamaris gubernandam Episcopus assumptus fuisset. Fato functus est circa annum 1590. Supersunt prædicta eius monumenta primum Romæ cusa, deinde Antuerpię anno octuagesimo nono apud Petrum Bellerum, & Dilingæ anno sexagesimo tertio.

Clypeus Militantis Ecclesiæ, siue de Vero Dei Cultu libri tres Romæ apud Vincentium Accoltum, & Valentem Panitium socios Anno 1575. Lib. iij.

De Optimo Ripublicæ statu ad Patres in Concilio Tridentino, vbi egregiè pertractat. De Vtilitate, & necessitate Concilij, præsertim Tridentini. De Corruptelis extirpandis, deq; lapsa morum disciplina in pristinum statum restituenda. De modo, quo Euangelicæ doctrinæ, & Religionis, quæ vigebant, controuersiæ dirimendæ, atq; sedandæ essent; ac De Pace, & Concordia Ecclesiæ. Romæ apud eosdem eodem anno. Lib. 1.

LVDOVICVS DE ODDIS PATAVINVS.





T quid Ludouicum de Oddis Patauinum minoribus laudibus posequendum arbitrabimur, quia vberrima ingenij fœcunditate prædiues, sterilis penè apparere voluerit parcè scribendo posteris; cum talia sint quę reliquit, vt in eis immortalitas florere, triumphareue videatur? Certè si rerum succosam abdominem, ac pondus, non molem inconditam, incomptamue attendamus; non pauca dicenda sunt, quæ ab eruditorum quorumcunq; palato suauissima pergustantur. Pro tam multis valent, si bona; si mala, pro tam paucis, vt pro nullis. Non tamen omninò pauca sunt, quæ vno contenta volumine, tam grandes Heroas extollit. A natura genitus ad Carmen Italicum, ab educatione teneriore excultus ad Latinum, maturioribus annis ab arte, & assuetudine regressus ad congenitam propensionem, inrer perfectos Poetas sui temporis enumeratus est. Intimè familiaris factus Gabrieli Flammę Veneto Concionatorum Coripheo Mercurio, ac Poetarum Musagetæ Apollini; vtrasq; dotes & ipse in se perfectas reddere, atq; tanto exemplari se conformare enixus est. Nec improbus labor deiecit virum ab conceptis fructibus; cum hinc atq; hinc tanto clarior euaderet, quanto cultior. In concionibus tamen sobriam quandam exercitationem secutus est, coactus ab ipsa complexione, qua debilitate laterum, ac pectoris elanguescebat. Neq; omninò ambones conscendisset, ni feruor ipse spiritus, dum floreret ætate, ac virium corporearum flaccida quadam integritate, perpulisset conscientiam, qua sibi videbatur creditorum talentorum à Domino esse reus, quando in eis non negotiaretur quoquo modo. Vix quadragenario maior ab huiuscemodi prouincià totus se amouit cum eo vno lucro, vt notior factus esset apud suos & exteros vno doctrinæ, atq; gratę elocutionis nomine insignium vrbium Ecclesiastes illustris. Tum Reipublicæ gubernandæ se applicuit, à quo auuersum iam animum, atq; conatus habuerat; proceribus virum per assuetos gradus eleuantibus, in parremq; sollicitudinis, ac ministerij assumentibus. Deferebat regimini ipso egregias animi, corporisq; dotes, qui ore maximè venusto, & serena quadam comitate occurrentium oculos, ac corda alliceret. Sed aduersæ illius valetudinis languor minus paratè, atq; promptè da-

ptè dabat exequi regulares illas feueriores normas, ad quas animus ipfe fua fpontè, et ex officiorum debito ferebatur. Hinc cogebatur ire quò poterat, non quò volebat, et accommodare fe viribus, dum fe illi non vires accommodarent. Ne verò minus vtilis remaneret, vrgente charitate, et verfans fe quoquo verfum, Sacramentorum panem populis miniftrauit diuturnius nunc Romæ, nunc Neapoli, nunc Beneuenti, nunc Venetijs, et femper frequenti pœnitentium catherua ftipatus. Viro autem in minifterio tam frugi fuffragabantur mirum in modum innata dexteritas, nobilis ęducatio fub nobilibus, eruditis, ac valdè pijs parentibus, quæ ad perfectionis apicem per Ordinis præceptores euecta fuerat, tuta confcientia, ac certitudo moralis per fcientiarum facrarum peritiam fe minimè fallere, falliue pofse. Quare facillimè confulebat, confulebaturue extra facramentalem delictorum aufcultationem, & omnibus folatio erat lucris animarum femper intentus. Quod à virium debilitate, atque proximorum curatione fibi temporis permittebatur, id totum ad leuanda incommoda, et mentis affixiones, mitioribus mufis conferebat. Quo in munere vt erat apprimè à natura formatus, ita copiosè fœcundus facilè plura exprimebat ad datam quamcunque occafionem: in probando tamen formata fibi ipfi amarus, ac nunquam fatisfaciens. Atque hęc ea vna ratio eft, propter quam non ita multa eius carminum nunc habemus. Præter illa enim, quæ Italicè dicata nuncupauit Alexandro Montalto Cardinali Vicecancellario, Marco Antonio Columnæ Tagliacotij Regulo Regni Neapolitani Comeftabili, Maximiliano Columbo Archiepifcopo Beneuentano, Feranti Farnefio Epifcopo Parmenfi; nobis nil vltra videre contigit, præter aliqua breuiufcula hinc inde in aliorum voluminibus diffufa. Neque illa item fupereffent, nifi aliquando Abbas Diuæ Virginis Calenæ apud Sipontinos creatus, ab alijs occupationibus animum peramplè fubleuaffet. Tum enim demum fui iuris omnimodè factus, dum ex lethali aeris in temperie ab debito actualis refidentiæ abfoluitur, nunc apud Samnites, nunc apud Parthenopeos degens; e re nata ad carmen pangendum, & præter confuetudinem etiam non expungendum, fe dedit. In eo, licet natiuam facilitatem fortitus effet; tamen elaboratè ftylum fuftinuiffe ex induftria videtur, fiue rebus ipfis velut inferuiens, fiue periciores aliquos poetas, ac præcipuè Torquatum Taffum imitatus. Sequentes annos melioribus adhuc inferuiens cogitationibus fe totum ab actuofę vitæ negotijs adduxit, vt media contemplatione faciliorem fibi fterneret viam futuræ vitæ, atque æternæ patriæ. In eis firmiore vfus eft, quam antea valetudine, perparum, vel nihil fenectutis fentiens incommoda, qui adolofcentię, ac virilitatis neruofiores annos non nifi cum moleftia tulerat. Reddidit mortale fuum

terræ grandeuus Venetijs apud Diuam Virginem de Charitate, vt ſub eo titulo requieſceret, ſub quo abundè militauerat, anno quarto ante ſextum decimum ſæculum Aſcanio Martinengo Rectore. Reliquit poſt ſe inter noſtros Archangelum de Oddis nepotem iam prædicatorea laurea redimitum & in bonos fructus exuberantem, quem nos aliquando Patauij Abbatem, ac noſtrę iuuentutis directorem verè parentem venerati ſumus. Scripſit igitur Ludouicus

Odas Italicas, & carmina ad Diuerſos volumine vno comprahenſas. Neapoli apud Ioſephum Cacchium Anno 1591. *Lib.* 1.



L V.

LVDOVICVS PAVESIVS NEAPOLITANVS.





ON erit vllæ futurorum ætati, Canonicis præsertim nostris, ingratum Ludouici Pauesij Neapolitani nomen: Theologica autem, & Philosophica tractantibus viris nunquam iniucundum. Robusto enim ingenio, tenaciq; memoria Doctissimi famam meruit, cum Stagiritam Philosophum, Petrumq; Lombardum Theologum interpretandos suscepit, animosa quidem, at per exitum valdè felici parentis æmulatione. Ioannem Iacobum Pauesium ex professa Philosophia in omnes ferè Italiæ insigniores Academias summa cum admiratione cognomen Magni Calabri promeritum genitorem habuit. Sub eius seuera educatione, acriq; disciplina à maternis fermè distractus vberibus puer peragrauit abundè, ne videlicet ab eo latere disiungeretur, quod ei ad optimam frugem instruendo futurum erat vice noui vteri, quasi Bromius (si flectere decet) Semele, ac Ioue iterato genitus. Ita quod de illo iurè dici potest, quod de Politropo suo Vlysse cecinit Homerus,

Qui mores hominum multorum vidit, & Vrbes.

Maiorum genus deducebat Magnus Calaber ex Liguriæ oris de Sauonensi Ciuitate, licet ipse genitus, altusq; apud Calabros esset. Filium verò Ludouicum Neapoli genuit, vbi tum Acromatica Aristotelis publico opimo honorario profitebatur. Adolescentiā in spes egregias ingressum, & philosophica laurea in Academia Romana redimitum alta incessit cupido per arctioris vitæ genus se Deo dicandi, rem neque reprobante patre, qui non minora instilasset tenero pectori pietatis, religionisq; quam scientiarum documenta. Remorari tantummodo elegit percurrentem, vt probaret, vtrumne ex leuitate animi, vel ex constanti mentis decreto decerneret. Vt comperijt afflatu superni numinis prætacta præcordia quoquo versum flexa in idem semper tendere; tenero lachrymarum stillicidio, & assensum præstitit, & curauit accessum. Franciscum Gonzagam Cardinalem Ferdinandi incliti ducis filium ad omnia naturalis philosophiæ penetralia lustranda Ioannes Iacobus pridem inuexerat, & solidæ doctrinæ filo Dedaleos illos labyrinthi Aristotelici errores, quonam pacto vinceret, ostenderat, summa mutui amoris, & reuerentiæ gratia, à per quam grato purpurato discipulo

in omnem

in omnem fortunæ adaugendæ aleam magnificè compensatus. Hunc Canonicorum Lateranensium Protectorem strenuum elegit, vt filij Mecenatem ageret in Congregatione initiandi. De facili sors eius ministerij obtigit egregio adolescenti tot promeritis pręmunito; atq; post tyrocinij tempora ad sacræ Theologiæ arcana perdiscenda deputatus est. In ędibus Pedecriptanis Virginis Deiparę, & habitum sumpsit, & solemnia vota instituti emisit; Patauij verò quadriennis auditor Gymnasia sacra Viridiana frequentauit. Fructus studiorum extitere prius per doctoream lauream coronati, quam publico disputationis munere ad id destinato de more, illos necessariè magis, quam ambitiosè ostentaret. Quippe præceptoribus referentibus, Abbatibusque sub quorum gubernio cursum peregerat, atque ex parte Censoribus ipsis manu fermè palpantibus Visitationum tempore verius Doctor, quam discipulus apparebat. Dehinc deputatus ad Naturalem Philosophiam sexennis Lector interpretandam; vltimo loco Doctoribus Theologis nostris profitentibus annumeratus est. Diù in hoc postremo munere se exercuit: & qui ab initio, & opes permultas eruditionis, & existimationem ipsam ritè fundatam secum ad ministerium peragendum comportauerat; ita suas tesseras in vtraque parte auxit, vt omnium omninò eius ętatis in Ordine profitentium melior putaretur. Habuit veluti scenam propriæ virtutis Academias Rauennatensem, Cremonensem, Placentinam, Ticinensem, in quibus tot egregia præstitit scientię documenta, vt omnis ordinis confluerent scholares ad illum audiendum, atq; dum publicè propositis thematibus disputaret, Mirabilis omninò acclamaretur, quod frequentius obtingebat, pręsertim dum ad Prędicatorea ornamenta discipuli Concanonici essent promouendi. In priuatis congressibus, accedentium pręsertim nobilium, facundia orę Neapolitanę propria dilliti ulitis illecebris exhilarabat, & demulcebat animos lepidissimis sermonibus rem vniuersam agendo. Placentię primum ex domesticis huiusmodi allocutionibus nouo imposito nomine Ciclopus est appellatus per honorificum iocum, quod nomen nunquam postmodum intercidit ob commodiorem vocitantium vsum, & ob repręsentatam viri eruditionem, qui terrifica promptę scientię fulmina veri Numinis in officina scholastica (vt dudum de fictis illis Ciclopis dictum est) componere, atq; fabrefacere videretur. Nullus autem eo scholaribus prædilectior fuit tam gratia virtutis, quam lenitatis, & humanitatis studio, qui nihil sibi requirens, cultu priuato neminem excedere pateretur. Exanthlátos labores eius ornauit multimoda Congregatio auctis honoribus, dum adhuc e cathedra profiteretur. Declaratus deinde dux emeritus, vacare quieti permissus est, quam tamen non absimi-

lem

lem ab reliquo vitæ instituto admisit. Ad Diomedeas per aliquod temporis spacium se recepit Vices Prælati functurus, vt extra lineam solicitudinum actuosæ vitæ moraretur, atq; totum se dederet eximiè conceptis post tot studiorum curricula scriptitationibus ad rem literariam pleno iure promouendam. Otio amicè nacto diù fruitus non est. Promotus enim in Abbatem Beneuentanum ædium Diui Modesti eò transmigrare compulsus est, vt præsens gubernaret sibi commendatam familiam: vtq; ibidem mortem vbiq; ineuitabilem, nullique parcentem ætati inuenit, vbi decus parabatur. Prolabentem enim equum in æquali soli planicie, atq; misere se posternentem cum sustinere manu, calcaribusue nequiret; ephippiario pomo in pectore percussus, ex nimio abdomine, quo naturaliter prægrauatus erat ferè præfocatus diem suum non ita post obijt sexagenario minor anno tertio huius currentis sæculi.

Reliquit nonnulla opera Philosophica in eadem Beneuentana Canonia asseruata, quæ nondum lucem aspexerunt. Lib. jx.

FINIS PRIMÆ PARTIS